
HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA ORTÆ ET OPPUGNATÆ

SUB POSTREMIS VALESIÆ STIRPIS REGIBUS.


TOMUS PRIMUS IN X. LIBROS DIVISUS AB ANNO CHRISTI 1534. AD ANNUM 1589.

Auctore P. BENEDICTO BONNEFOY, è Societate IESV.









TOLOSÆ,
Excudebat IOANNES BOUDE, Regis, & Comitiorum Linguæ Occitanæ Typographus. M. DC LXII.

CUM APPROBATIONE.



AVGVSTISSIMÆ VIRGINI

MARIÆ DEIPARÆ

MONSPELIENSIVM PATRONÆ.

VT vni potissimum tibi (SANCTISSIMA DEI MATER ET VIRGO) qualecunque hoc opus inscriberem, suasit hæc in primis ratio, quòd Monspelij conceptum, elucubratumque id fuerit, hoc est in vrbe multis nominibus tua, cùm à te non inclyta tantùm, quibus gloriatur, primordia, sed & incremẽta sumpserit amplitudinis suæ. Certè quidem produnt vetera literarum monumenta non priùs hanc extitisse ciuitatem, quàm Mariana, Marianique omnino iuris fuerit, non citiùs accipiendis destinatas ciuibus ædes, quàm augustissimum Templum nomini tuo consecratum, in quo, quia nullibi frustra, & otiosè habitas, vt clementiæ, & immensæ largitatis tuæ, ita & humanæ salutis aram Superioribus seculis erexisti, ad quam innumeri ex vniuersa Gallia remotisque nationibus confugerẽt mortalium greges, salutare desperatæ valetudini remedium quæsituri. Illinc, quod pleræque testatæ sunt tabulæ

tholo tuo ſuſpenſæ, audiebas & exaudiebas pia rite ſupplicantium vota, frangebas inueteratorum morborum contumaciam abſque vlla Medicorum ope, non tamen abſque tacita, ſed non inimica eorundem expoſtulatione, blandè, vt è Cæſario conſtat, queritantium feriante Hippocratis arte, aureos, aut argenteos emanantium inde quæſtuum exareſcere fontes. Iure igitur hoc tibi volumen offero (CASTISSIMA DIVINI VERBI PARENS) quia in mancipata tibi ciuitate, tuiſque inchoatum & perfectum auſpicijs. Quanquam, vt illud idem nuncupatum tibi velim, admonet ipſa ſatis ſuſcepti à me argumenti ratio, quod cum totum ſit de oppugnata in Galliá hæreſi, gratum, acceptumque tibi fore confido, quæ conſimilia olim bella tam auſpicatò geſſiſti, vt nunquam non viceris, magníficéque triumpharis. Etenim ſi replicanda eſſet AnnaliumEccleſiaſticorum memoria, quos geſtis mirabilibus tuis, ingentiumque victoriarum multitudine locupletaſti, ſi recenſendus debellatorum à te, aut tuorum, aut filij tui Dei, Romanæque religionis hoſtium numerus; prodiret confeſtim ex ædium, quibus olim oppreſſus eſt, parietinis infamis ille Cerinthus à balneo recens, & à recenti lotione ſordidior; ſequerentur extemplo Carpocrates, Manes, Arius, Iulianus Apoſtata, Neſtorius, Copronymus infelici, pudendoque mortis genere ſublati, quia nomini tuo, auguſtiſque religionis noſtræ myſterijs infenſiſſimi; his Lutherum, Caluinumque non immeritò adiungerem haud longè diſpares ſortitos exitus, quia paria, aut ſceleſtiora fortaſſis in te, reliquoſque Cœlites impiè auſos, molitoſque nefariè. Sed quæ in te mor-

talium inquinatissimi sacrilegorum dictorum iacula intorserunt, facile momentoque difflasti; nec enim vlli patere potes vulneri (BEATISSIMA VIRGO) cùm mille pendeant ex te clypei, incedasque semper cum cataphracta rectéque ordinata Cœlestium Spirituum acie ad tui defensionemNominis excubante continuò. Vtinam quæ cunctarum hæresum interfectrix iure diceris, has Monspelij grassatas diutissimè, sic interimas, vt hæreticos serues, vt eos viuere, valereque iubeas, dum haustum deprauatarum opinionum virus euomuerint. Magna profectò me spes tenet fore, vt in Ecclesiæ Romanæ castra sponte, nulliusque coactu, breui remigrent, dominante præsertim in Gallia Ludouico Adeodato, Principe cælitus misso, atque in id toto animo, curâque maxima incumbente, vt in tradito sibi à Maioribus regno cum sincera Christi fide, Christiana reflorescat pietas, restituantur supremo Numini templa, templis altaria, altaribus Sacerdotes, à Sectarijs olim magna cum Ordinis sacri contumelia, ignominiaque proscripti. Postremò librum hunc in anathema tibi perpetuum dono, dedicoque (VIRGO DEIPARA, QVÆ OBSIGNATVS DICERIS LIBER) magno mihi versurum decori ratus, si quam Imperatores, quam Reges, quam Carolus Magnus, quam Dagobertus, quam Ludouicos inter & Sanctus, & Iustus, & Iusti filius Ludouicus asciuere sibi Patronam, eandem adiutricem habuero. Tutelarem itaque te (IMMACVLATA NVMINIS PARENS) cupio, ambioque ambitu non magis flagrante quàm æquo, oblatoque tibi hoc munusculo grandem istam maternamque tutelam emereri festino, quæ inter

tot imminentia humanæ saluti pericula; casusque innumeros, quibus mortalis hæc obnoxia est vita, tutum mihi cœlestem ad patriam iter muniat, vbi nulla existit de fide controuersia, quia nulla est fides, neque enim illic in ænigmate, sed apertè conspicitur Deus, quæ suprema, perfectaque est Sanctorum felicitas.



Facultas Reuerendi Patris Prouincialis Prouinciæ Tolosanæ societatis IESV.

EGO FRANCISCVS TARBE Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Tolosana, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. & Ludouico XIV. nunc regnante 23. Decembris 1650. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiusdem Societatis hominibus conscriptos absque Præpositorum ipsius consensu imprimant, permitto I. BOVDE, aut cuilibet alij Tolosano Typographo, vt librum, cui titulus est, *Historia oppugnatæ in Gallia Hæresis sub postremis Valesiæ stirpis Regibus* à P. BENEDICTO BONNEFOY, *è Societate nostra compositum*, & à tribus eiusdem Societatis Theologis recognitum ad decem proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & officij nostri sigillo munitas dedimus. Monspelij 1. Maij 1659.

FRANCISCVS TARBE.



Approbatio Doctorum.

NOs infra ſcripti Academiæ Toloſanæ in ſacra Theologiæ facultate profeſſores perlegimus hoc volumen decem libros complectens in quibus accuratè & eleganti ſtylo deſcribitur, *à Reuerendo admodum Patre Benedicto Bonnefoy, Societatis Ieſu hiſtoria hæreſis in Gallia orta & oppugnata*, nihilque in eis inuenimus Apoſtolicæ & Catholicæ religioni contrarium, ſed ad fidem & bonos mores conformes iudicamus proindéque dignos cenſemus quòd ab omnibus legantur, & ad publicam vtilitatem in lucem emittantur. Datum Toloſæ die 13. menſis Nouembris 1661.

SIMPLICIANVS Profeſſor Regius Academiæ Decanus Auguſt.

IOSEPH BRVNET, profeſſor Regius Sancti Auguſtini.



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA ORTÆ ET OPPVGNATÆ SVB FRANCISCO PRIMO REGE.

LIBER PRIMVS.

Ab Anno Christi 1534. *ad Annum* 1547.



RINCIPIVM huius Operis ab Omnipotente Deo ducam, & illibata Virgine Numinis eiusdem Genitrice, vt ascita mihi Cœlitum ope impios exortæ in Gallia & insultantis hæresis conatus piè dicam & fide non mala; quanquam sublesta in me esse non poterit fides post torrentem omnium ferè nostratium historicorum ituro; & id facturum me spondeo, ne abortiuum quid edam & veritate cassum, quæ veritas historiarum est anima. Nec malignè faciam, si in hæreses interdum& flagitia inuectus ero asperiùs; ma-

Principium à Deo ducendum.

Veritas historiæ anima.

in quæ vna stylus acuetur, non in homines his imbutos; aut si aliquando in homines, leue duntaxat vulnus imprimet & amicum, quamquam & ab hoc etiam calamum abstinendum esse censerem, nisi ex intempestiua taciturnitate adulandi periculum foret; assentatio autem cùm in omni historico turpis, tum in religioso viro longè obscœnior. Speculum quoddam est historia, mentiri non potest, nec è Vatiniis qui inter fœdissima sui temporis ostenta fuerunt, Traianos præstare potest, aut Theodosios, quorum augusta species plurimùm de cœlo traxisse perhibetur: præclara libenter, alia necessariò commemorabo, vt, quia iuxta vetus dictum peccando discimus; vitiorum enarratio remedium vitiorum existat, & quod à theriaca fieri assolet, venenum veneno exarmetur. Cæterùm dum minùs probum aliquid & religiosum de nonnullis afferam, nolim id in eorum liberos aut nepotes refundi, quasi verò maiorum suorum insaniâ vti posteri ad salutem non possint? Num pedem ab his reuocarunt plerique, quæ parentibus attulere naufragium? Num promptum est Deo procreatam ab errantibus & anormibus prolem æternæ veritatis luce perfundere? Arduum autem est quod molior opus; in hoc quippe Annalium nostrorum (si fas est dicere) campo, non gladiorum tantùm, sed & opinionum velitationes exprimendæ sunt, linguarum & militum acies instruendæ, ita enim verò à verborum contentionibus, ad armorum aleam procursum est; necdum feralis hic ludus desitus est, perinde quasi obortarum circa religionem difficultatum nodi similiter atque Gordij sine ferro extricari non possint.

Historia Speculum.

Vitiorum enarratio vitiorum remedium.

Non transeunt semper in filios parentum vitia.

Propositio operis.

Ab opinionum rixis ad arma proceditur.

Hæresis autem originem perscrutanti mihi, vix occurrit quod astruam. Spuriis enim adulterinisque fœtibus vt plures interdum haberi solent, ita incerti sunt patres. Tamen si è natiuis baccarum succis, arborum, quæ progenuerunt indolem & naturam indagamus primarios inter hæreseos progenitores versatilem animum duxerim, nutantem plicatilemque mentem aduentitiis opinionum coloribus combibendis obnoxiam, quæ haustam semel degustatamque veritatem apud se consenescere minimè sinat, sed velut annorum fasce degrauatam proturbet. Amant quippe hæreseon inuentores quam circa fidem sententiarum peregrinitatem aut prauitatem potius inuexerunt, & cogitatus suos tanquam Pallades suas tametsi non inco ruptas mitiùs fouent, osculantur vt filiolas, adeò blandæ sui conciliatrices sunt, quas quis parturit opiniones.

Variæ causæ siue origines hæresis.

Versatilis animus.

Nec procul aberrant qui hæreseos hydram plerumque semidoctorum partum esse confirmant, dum Ecclesiasticos codices ad

Semidoctorum vulgus

Grammaticorum canones accuratiùs exigunt, quasi verò puerilibus nugis istis illigentur grandia Theologiæ mysticæ sensa, & in anormibus tricis æternarum veritatum regulæ delitescant. Audet quippe profanum grammatistarum vulgus in ipsa diuinæ scientiæ adyta sæpius & temerè penetrare, & in dissoluendis secretioris sapientiæ nodis animo conniti, cùm vix nouerit poëtarum suorum syllabas dimetiri. *Atque hinc fit vt homunciones huiusmodi euanescant in cogitationibus suis, & à sanctiore, iuxtà ac reconditiore sapientiâ fatua eorum deuoretur sapientia, glutiantque tandem maleficorum Ægyptiorum serpentes Aaronis colubri; Vtinam non indurarentur vt Pharaones, qui sic cum Pharaone vincuntur. Psal 106. Exod 7.

Arrogantioris etiam mentis hæresim partum esse scio, aut inanis gloriolæ fumum è suscepta hac religionis nouitate captantis, aut in dignitatis alicuius petitione præteritæ. Et sanè in confesso est apud omnes grauem religioni ab ambitione plagam illatam, vbi enim popularis auræ studium homines inuasit, tum religio deflorescere cœpit, & magna in moribus subsequuta est labes, atque inde fit, vt in obstinata prauorum dogmatum tuitione palmarium inesse putent aliquid, denique operam, quod rectè monet Irenæus, hæresum architecti, vt in pessima à se causa suscepta superiores euadant. *Non quærunt quomodo saluentur, sed quomodo superent*, vt præclarè monet Ambrosius, versutis sophistarum dilemmatis instructiores longè, quàm moribus; cauillationibus, non veritate depugnant, & animi causâ mali sunt, quod vix in aliis deprehendas. Hos eleganter Apostolus verbis istis depingit. *Erunt* (inquit) *homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes*, causam autem subiiciens, sic ait. *Quemadmodum Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem &c.* Quod idem Augustinus asserit. *Diuersis* (inquit) *in locis diuersæ sunt hæreses, sed vna mater superbia omnes genuit. Si quis Ecclesiasticas historias reuoluat, hæresiarchas omnes ex superbia, & ambitione in hæresim incidisse reperiet.* Et certè ad infames hos ambitionis scopulos impegere Montanus, Meletius, Nestorius, & superiore sæculo Martinus Lutherus iuris Pontificii prædo, quia spiritualium Pontificis largitatum præco esse non potuit. Caluinum corrupit par assequendæ gloriæ pruritus. Atque ex hoc superbiæ & ambitionis fermento maledictorum massa compingitur, quæ conuitiatores importuni in veritatis propugnatores ingerunt, regeruntque quasi temerè quid & audaciùs aggressos, dum inleuiculos illos religionis emendatores insurgunt; hinc obstinata illa mentis pertinacia, aut

Arrogantia. 2. Timoth. cap. 3. De Pastoribus c. 8 *Hæresiarchas tumor efficit.* *Et contumacia.* *Peculiaris hæreticorum Spiritus.*

nunquam, aut rarò à degustato semel errore dimotæ; hinc decantatus afflatus ille nouatorum mentibus infusus, à quo tanquam ab oraculo certior petitur abstrusarum circa fidem difficultatum explanatio, vnde fit, vt quod maximè optant, Sabinorum more somnient, vt fidem priùs constituant, quàm accipiant, quod cudunt, credant; adeò verum est non amantes tantùm, sed & amentes somnia sibi fingere, quibus postmodum vigilantes imprudenter adhæreant.

Cudunt sibi quam volunt fidem.

Corporea voluptas hæresis origo.

Non è tumore mentis tantùm, sed è crassitie & obesitate ventris fusum hæreseos esse portentum nemo negabit, si propiùs eorum, qui pestem illam disseminarunt, sordes inspexerit; Nam cùm cœlestes nos & originis nostræ memores effectura Christiana religio iis nos astrictos esse præceptis voluerit, quæ mentem procul à terrena corporis huius contagione remoueant, & quæ sursum sunt appeti voluerit, non quæ super terram, cùm statis per annum diebus inediam cupiditatum expugnatricem indicat, quam castitatis murum, præpetemque pennam appellat Chrysologus, cuius operâ ad ipsum pietatis auctorem aliger peruolet animus; cùm ad immaculatas Agni cœlestis nuptias, comitatumque nonnisi cælibe vita coëmendum non imposita præcepti seueritate, sed ingesta consilij suauitate alliciat; cùm putidam carnis tyrannidem coërceri, corporeasque ablegari voluptates præcipiat; enimverò ad hæc sapientiæ cœlestis aut monita, aut præcepta nouatores obsurdescunt, aut si audiunt, obstrepunt; obiicientes identidem conditionis humanæ minimè esse aduersus impetum proruentis in flagitium corporis tam constanter obniti, austerioris esse ingenij incultique cuncta quę titillant sensus & ad eos cum suauitate illabuntur reiicere; in anilem iam morositatem delapsam esse Romanam Ecclesiã dum tam horrida filiis præcipit; reuocari iam hoc sæculo Iunonis fabulam debellanda herculeis hominibus monstra obiectantis; impium esse bonis Israëlitis, conuectando diu luto fatigatis iustum carnium abnegari demensum. Hæc aut similia dequerentes delicatuli nostri religionem cuderunt variis voluptatibus confertam, in quam diræ in cælibem vitam coniectæ, sublata ieiuniorum religio, lapsi in mollitiem mores, vita denique ad Epicureorum dogmata tota ferè descripta.

Et Temporum iniquitas,

Nec explodendam eorum opinionem duxerim, qui non verbis tantùm, sed & scriptis asserunt, vt variantes temporum vices sunt, ita & stata mentibus euenire sententiarum dissidia, nempe vt eluso agricolarum sudore noxiis omninò graminibus inhorrescunt agri, sic humanis in mentibus spreto orthodoxorum præceptorum semente dissonos pugnantium opinionum aut errorum fœtus

sobolescere non rarò intuemur. Nec ad roborandam eius rei fidem maiorum nobis refricanda est ætas, cùm fœcundum corruptelarum huiusmodi seculum hoc nostrum fuerit. Nam quibus ignota est Ianseniſtarum colluuies aduersus sincera Patrum dogmata cum signifero suo intemperantiùs oblatrans? Quot adulto hoc seculo palabundas errorum pestes imbecillioribus mentibus illusisse conspeximus? Et huic etiam opinionum prauitati mordicus adhæserat imbecillior sexus facilis hic quidem in errorem induci, difficilis emendari; ausæ quippe sunt fœminæ de nascente hoc aut amplectendo aut repellendo errore licentiùs arbitrari cum viris, sed audaciam fregit Innocentius Papa X. quinis in hydræ capita totidem intortis ex Apostolica Sede fulminibus. Augustior longè nunc est Augustini facies abstersâ Iansenicarum opinionum fuligine, purior iam effluit vena Augustinianæ Doctrinæ quam infecerat Iansenius, repurgauit Innocentius, cui præter alia multa pro religione constituta sapienter, prudens omninò de reparationis humanæ pretio iudicium vniuersa gratulatur Ecclesia, quod in paucos à nouatoribus restrictum, diffluere pronuntiauit in omnes, Christique sanguinem pro singulis fusum asseruit, tametsi non æquè ab omnibus ad salutem acceptum.

Ianseniſtarũ hæresis huius sæculi fœtus.

Innocentius Papa Ianseniſtarum domitor.

Cur noui sæpius inducantur errores, rationem addunt nonnulli ex arcanis Dei petitam consiliis, quæ tametsi tecta sint nobis, nunquam tamen non iusta esse possunt. *Oportet hæreses esse* (inquit Apostolus) siue quod in pingendi, sculpendique arte fieri assolet, ex innatis hæresi vmbraculis tenebrisque splendidiùs veritatis iubar emergat, siue quod hostilibus pugnis appeti sinat Deus Ecclesiam, ne marcescat eius sine aduersario virtus, aut vt eandẽ Numen excoquat purgatrice tolerantiæ flamma, quò defæcatiora membra sua exhibeat integritatis auctori Deo, Fuit illa vagienti propemodum Ecclesiæ pugnata pugna maturę semper certaminibus, quia non immaturæ coronis. *Aliquando*, vt ex D. Augustino habemus, *in solo Abel Ecclesia erat, & expugnatus est à fratre malo, & perdito Cain; aliquando in solo Abraham Ecclesia erat, & quam a pertulit ab iniquis. Cœpit esse in populo Israel Ecclesia, pertulit Pharaonem & AEgyptios. Ventum erat ad Dominum IESVM CHRISTVM, prædicatum est Euangelium*, nec tamen debita Magni Regis filio reuerentia est habita *Sæpè* (inquit) *expugnauerunt me gratis.* Atque id vaticinantis olim Simeonis ore depromptum nemo nescit, positus quippe Christus in signum fuit cui contradiceretur. Nec in pertundendo angulari lapide Christo hostilis hebetata est acies, enim verò in perscrutandis Orthodoxorũ visceribus pari cum furore ver-

Oportet hæreses esse, & cur? A&Cor. c. 11.

In Ps. 128.

sata est, id actura scilicet ne qua Sanctorum in pectoribus emicaret Christiani sanguinis vena, quam non exhauriret. *Prima persecutio Ecclesiæ* (vt idem habet Augustinus) *violenta fuit; cùm tormentis & cædibus Christiani ad sacrificandum cogerentur; altera fraudulenta est, quæ nunc per hæreticos & falsos fratres agitur; tertia superest per Antichristum ventura quæ violenta & fraudulenta erit.* Ego postremam hanc quæ in Galliæ regnum irrupit, hæresim, Antichristo, quàm veterum Hæreticorum institutis propiorem affirmare ausim, quippe non gladiis minùs perfurentem, quàm subdolis fraudum illecebris irrepentem, & vulpinam (quod aiunt) pellem leoninis falculis assuentem, & vtramque à Proteis nouatoribus istis pro temporum varietate indui solere personam ostendemus; nempe Damoclis ab illis aduersus Orthodoxos renouatur historia, fabula potius, nam blandientes inter Catholicis ingestos cibos comminantem stringunt acinacem, aut vti vocant, Euangelij gladium, quem cælitus ad se missum fabulantur, quasi noui Regum Regis Comestabiles instituendi sint.

Hæretici Protei.

Pessimi fœtus complures hactenus causas recensui, at quam primariam volunt & obtendunt ipsi, non attigi, non castos satis, imò & corruptos Ordinis Ecclesiastici mores. Inter tot Clericorum sordes, probra, & opprobria (sic enim differunt) quî sincera & incorrupta fides consistere possit? concluduntque in tam fæculentis morum cloacis delitescere minimè posse tam pretiosum Cœli margaritum, chimæricam hanc esse religionem, cui virginalis vox sit, manus autem meretricis, quare pulsam ab Ecclesia infinitis Sacerdotum flagitiis veritatem in Lutherianorum & Caluinianorum immigrasse familias. His vt respondeam, non dissimulo næuos aliquos in Cleri mores id temporis irrepsisse, sed à debacchante calumnia mirum quantum exaggeratos, quæ conceptum ab vno aut altero flagitium in omnes facilè regerit eiusdem instituti viros, quasi verò ex externo religionis eiusdem cultu parem quoque animorum cultum habitumque interpretari fas sit, serpatque vt corporum, ita & animorum contagio. Non excuso virtutem tam arctis in Clero compeditam temperantiæ legibus, noxiis interdum naturæ laxamentis plus nimio indulsisse, & ex alto cadere potuisse in alto constitutam eandem, iamque ferè prensantem fastigium sanctitatis. *Difficilis profectò est in perfectâ mora*, & aduersus adblandientes voluptatum Sirenas obstinatum semper præstare Vlyssem, Heroïcæ fortitudinis est. Verùm ex alto labi secta non potest, quæ nunquam in alto consistit. Quomodo extra temperantiæ limites pedem efferat, quæ carnis vbique blandimenta sectatur? atque ea est Heterodoxorum temperantia; quo-

Malè referũt aliqui originem hæresis in lapsos Clericorum mores.

Hæreticorum temperantia quæ?

modo legem soluere queat secta quam non habet, aut ieiunij præceptum infringat, aduersus quod & ore & scriptis obmurmurat? Quid est quamobrem ob infrequentes in turpitudinem lapsus pharisaico se tumore attollat, asseclis suis nuptiarum solennia non indulgens tantùm sed imperans? Nonne Lutherus teneri monachos & moniales nuptiis operam dare etiam reclamantibus votis asseruit? An non quod scripsit excucullatus & vxoratus Monachus fecit? Erigat sese tandem aliquando sectariorum virtus, & ad sublimiora connitatur nobiscum, intestinum cupiditatibus bellum indicat, effrænem gulæ licentiam cohibere adnitatur, expertem tori vitam Catholicorum more, Angelicæque parem inire conetur, sic planum fiet sectatios nullis veræ fidei communitos præsidiis hoc in voluptatum lubrico labi præcipites, vbi Catholicorum pauci offensant, tantò in hoc etiam meliores hæreticis, quantò rectiùs vadit claudus in via, quàm cursor præter viam. Quare Romanæ religionis veritas paucorum è flagitiis æstimari non debuit. Ad doctrinam (inquit Bernardus) non ad actiones debemus respicere, doctrina de Deo est, mores hominum, quæ enim à supremo Numine veritas in homines dimanauit, hominum corruptelis labefactari non potest, quorum in arbitrio positum est deteriora sequi cùm meliora clarè perspiciant. Verùm demus non sobriam satis fuisse in Sacerdotibus aliquot vitam. Infirmæ parti scalpellum adhibendum erat non sanæ, emendandi mores erant, non euertenda religio; reformatores esse debuerant, non deformatores; correctores non carnifices, conuelare cum Constantino Magno Sacerdotum sordes non traducere, non exponere ludibrio, non erecto supercilio in alienam vitam debacchari, cùm vitiis ipsi nec ferendis, nec nominandis scaterent. Verùm confringentibus iugum & seruire nolentibus honestus aliquis cudendæ nouæ religioni quærendus erat obtentus, & contumeliarum iaculis Romana tanquam delirans iam anus configenda erat religio, vt iuuenculæ religioni, toti hilaritudine conspersæ, amœnitatibus vndique diffluenti perinde ac vitulo aureo, sacrilego thure litaretur.

Obscœna Lutheri opinio.

August. lib. serm. de ver. Ap. f. 15.

Doctrina attendenda, non mores.

Heretici non reformatores sed deformatores.

Et exorta tandem est meretrix crasso in cælo ac solo, crassioris tamen parentis crassissimus partus, erupitque non tam ex acumine mentis, quam pinguedine ventris infamis hic fœtus. Non dissimulo igneam Luthero ingenij vim fuisse congenitam, sed honorum, quibus inhiabat fumus, & voluptatum, quibus immersus hic erat, nidor obscurabat hanc flammam. Salis etiam aliquid à Dæmone trahere poterat, quem compransorem habuisse memo-

Lutherianæ hæresis ortus in Germania.

Lutheri indoles. rant Scriptores nonnulli; & Lutherus ipse hospitium & societatem iunxisse se cum Apostata illo Spiritu non facetiùs fortasse quàm veriùs asseuerat, quin & cum eodem aliquid se salis elinxisse adiungit. Sunt qui arctius hos inter cognationis intercessisse vinculum asserunt, & ab incubo natum sectæ Prophetem memoriæ tradiderunt. Verùm non est huius otij tam infamis prolis dedecora cum pudenda matris obscœnitate coniungere. Erat igitur in *Studia.* importuna abdominis obesitate peracre Luthero ingenium, quasi ex aruina illa igneæ dimanarent scintillæ aliquot, quæ ad decurrenda festinatiùs studia non mediocres vires adderent. Philosophiæ *Professio.* & Iurisprudentiæ non segniter studuit, & occasione fulminis quod socium cum quo fabulabatur attriuerat, sacræ se Monachorum familiæ voto obstrinxit. Pepercit homini flamma tantum postmodum excitaturo incendium, quantum vniuersum ferè terrarum orbem peruadere potuit. Non nego præstita tum ab eo Christianæ pietatis documenta, eaque maxima, quæ si cum eo simul adoleuisset, tam sanctum habuisset Ecclesia filium, quàm impium habuit & flagitiosum. Verùm calentes illos pietatis igniculos consopiebat facilè innatus huic arrogantiæ flatus, quo supra modum *Superbia.* intumescebat, ausus in iuuenili adhuc ætate venerandam Doctorum canitiem incessere, editosque ab iis in sacras literas commentarios more blattarum arrodere, aut Sermonis inscitiam, ruditatemque styli carpere grammaticus, aut sententiarum in iis inanitatem vellicate Theologus, adeò morsicantem naturam è salis grumo traxerat quem partitus erat cum Dæmone; atque hunc carpendi magis quàm stabiliendi; destruendi, quàm ædificandi genium transmisit in posteros nouitiorum errorum patronos.

Versutus Draco seu sophista. Cœpit ergo altercari Lutherus de libero arbitrio, de meritis bonorum operum sophistico semper fuco quidquid ad probationem afferret illinens, spirisque ac caudæ voluminibus aduersarios implicare Draco connitens, quo promptiùs execrandæ doctrinæ virus infunderet. Et titubabat iam hæresiarcha in rebus fidei, cùm à Leone X. venere indulgentiæ, quæ noxarum veniam & impunitatem his duntaxat pollicerentur, qui profecturis aduersus Turcas Christianis militibus æris aliquid erogarent. Cœpit tum in- *Debacchatur in indulgentias & earum largitorem.* famis Apostata in Pontificiarum largitionum (vti appellabat) abusum intemperantiùs inuehi, promitti æterna garriens, sed non certò constare spem datam; certa tamen auri, argentique pretia deradi, aut Pontifici, aut Pontificiis locupletandis addicta. Atque ex indulgentiis ad alia sanctitatis adiumenta conuellenda progressus

minicam

mimicam illam facundiam in sacros fidei ritus tanquam telum intorsit suffragantibus præsertim nonnullis in Germania proceribus, nouamque doctrinam osculantibus eorum more, quibus absque vllo delectu arrident nouata omnia, dum iucundo facetiarum syrmate conuestita proponantur. Non hic commemoro incestis ab Luthero nuptiis inquinatum Sacerdotium, indulgentiorem eiusdem erga naturæ propensiones flexibilemque mentem, incuruatam in fœdos belluarum appetitus indolem. Ab inauspicato hoc ouo voluptarius effluxit hæreseos fœtus, quod monstrum ex antiquarum hæresum colluuione conflatum esse memorant, symbolam ad id suam conferentibus Donatistis, Montanistis aliisque religionis corruptoribus multis. Non explico fatales per Lutherum Germaniâ totâ aliisque in prouinciis Borealibus aduersus religionem excitatas faces, ne circumlatâ per varias terrarum oras portenti huius imagine, aberrem à proposito, in Gallia duntaxat vna hæsurus, in quam exitialis hæc pestis cum literis aut literatis hominibus irrepsit, quod magna diligentia, fide haud impari explicare aggredior.

Mimica in eo facundia.

Incestæ eius nuptiæ.

Eius hæresis conflata ex variis hæresibus.

Quomodo hæc hæresis inuecta in Galliam.

Per hæc tempora Imperij Gallici habenas moderabatur Franciscus I. Rex benigniorem longè promeritus, quam expertus est sortem; sæpius enim ingentibus eius conatibus aduersata est, quò æmulum heroëm haberet, cum quo congredi posset: at vicit Franciscus noxios eius impetus, dum succumbere maximè videretur, non minùs Rex apud hostes, quorum in potestatem venerat, quàm apud subditos quos regebat. Hic cùm scribenda quotidie præstaret, dignus erat profectò, qui plures, quàm Gallia tum eruditos alebat rerum suarum præcones haberet, quique regias posteritati virtutes literarum præsidio transmitterent & huiusmodi multos, aliunde accersitos, aut illice rerum, quas gesserat, magnitudine nactus est Princeps, aut profusâ largitate Mecœnas demereri instituit. Quin & non tam literatos, quàm literas ipsas adamauit, vtrique sese Palladi ex æquo impertiens & armatæ, & eruditæ, atque inde factum est, vt regiæ stabiliendæ locupletandæque Bibliothecæ, variis è regionibus selectissima quæque doctissimorum virorum volumina, tum typis edita, tum edenda per varios à se missos conquiri iusserit, ad id assequendum vsus opera Guillelmi Pelisserij Monspeliensis Episcopi varia eruditione præstantis, quem ad Venetos Oratorem misit, qua in vrbe præter res gallicas, quas strenuè procurauit, selectissimos variorum idiomatum codices regiis impensis coëmit per strenuos amanuenses exscribendos, ex iis autem suis quibuscunque loculamentis insertis

Franciscus I. Doctos homines in Galliam euocat.

Bibliothecam suam selectissimis libris instrui iubet.

Vtitur opera Monsp. Episcopi.

ingens illa coaluit Fonbellaquensis Bibliotheca, quæ ne frustrà esset, euocandos curauit Rex tum è Gallia vniuersa, tum è remotis nationibus illustre doctrinæ nomen assequutos viros, qui in vrbe Galliæ principe principes artium omnium artes profiterentur. Accurrere ex Italia, Germaniaque complures, tum gloriæ cupiditate inducti, tum blandiente propositi lucri dulcedine deliniti. Hebraicas tum literas profiteri cœpit Franciscus Vatablus, quem sibi, sectæque fauisse falsò asserunt Nouatores, Græcas Petrus Danesius, quibus post paulò adjuncti Iacobus Tusanus græcæ linguæ doctor, & Agathius Guidacerius Hebraicæ. Mathematicas autem disciplinas tradidere Orontius Fineus, & Ioannes Martinus. Reliquis artibus sui sunt attributi Doctores.

Professores sub Franc. I.

In hanc literarum, literatorumque societatem tanquam in equum Troianum includi ambierunt Lutheriani. Missi sunt itaque à nouella secta, tum naturâ, tum sectæ ipsius, quem combiberant, genio præfidentiores viri, qui in hoc eruditorum cœtu pestilentiæ cathedram erigerent. Et influebant sensim in animos dulciarij Oratores isti; ita enimverò melle, saccharoque temperabant quam spargebant doctrinam ex Epicureorum disciplina erutam, habendo molliùs corpori, titillandisque sensibus comparatam totam. Et doctos plerosque fuisse haud abnuerim, nego tamen fuisse salubriter doctos, nempe ex eorum numero fuerunt, quos sinistras literas, non dextras Musæ docuisse perhibentur. Ad concionalium orationes tot adhinniebant, vt miraculo Nouatores adscripserint, quòd tanti ad Lutherum, aut Lutheri emissarios tam breui tempore facti fuerint animorum concursus. Verùm nunquid vetus satis admonet dictum, indicium pessimi turbam esse, fatuisque betis oblectari fatuum vulgus. Non magnum est eorum cogere numerum, qui nihil cogitatione faciunt, & ad sui similes cæco quodam impetu abripiuntur, nemo nescit tam in procliui hoc esse, quàm agnorum gregem, quà velit, ducere veruecì sectario. Horum insaniam refellit egregiè Thomas Morus; homines enim ait ad blandientem vitæ licentiam prolabentes, non aliam, quam quæ à saxis deorsum cadentibus exhibetur, miraculi speciem repræsentare. Vergit enim ad ima per se natura, & celeriùs labitur dum blandientis eloquentiæ lenociniis concitatur; quæ quidem eloquentia, vbi à flagitiis pudorem, à noxa metum impunitatis amouit, hoc velociùs rapitur in præceps natura, quo confidentiùs, & cum integra fama, si tamen famæ cupiditate ducatur, labi se putat.

Lutheriani Parisienses ambiunt cathedras.

Eorum doctrina ad corporis voluptates inclinans.

Probatur à multis.

Quid super hac re senserit Thomas Morus.

Non diu latuit Lutherianorum virus Parisiensibus propinari cœptum; inquisitum itaque diligenter est in nouatæ doctrinæ tum discipulos, tum magistros: & concidisset, profectò infans & vix è cunis suis euoluta secta ad petram veritatis & pœnarum allisa, nisi patrocinantium procerum alis tecta latuisset, qui aut erroris, aut errantium etiam patronos se profitebantur. His contra religionem excitatis procellis plerique in priuata commoda abutebantur, inter turbidas has tempestates vtilitati propriæ velificantes: fouebant alij infidos Deo homines, quòd etiam Regi, quem clàm oderant, infidos fore putarent. Variæ ergo varios ad tuanda hæc Hæreticorum primordia impellebant causæ: Margarita in primis Francisci I. Francorum Regis soror, Henrici Nauarræ Regis coniux, nouitatem hanc sectæ omni ope tuebatur, siue odio aduersus Romanum Pontificem incensa, quòd in Alebretana Mariti familia hæreditarium hauserat, ob regnum Ioanni Nauarræ Regi ereptum, manebatque adhuc alta mente repostum supremi Pontificis iudicium, siue quòd, cùm aliæ opinionum prauitates fœminarum opera propagatæ fuerint, Montano quippe Priscillam & Maximillam fauisse comperio; Paulo Samosatensi Zenobiam; Donato Buciliam; ita & per fœminam dignitate & autoritate præcellentem euulganda censuere Lutheriani noua dogmata, more serpentium per Euam semper aliquam vafrè illudentium. Infirmum autem hunc sexum in mendaciorum patronum frequenter adoptarunt Hæretici, tum quia ludificatur ex facili, exorbetque auidè lenocinantes nouellæ sectæ opiniones, arreptasque semel propugnat contumaciter; ad eas tanquam ad saxum adhærescunt fœminæ, atque in hoc vno sibi pessimè constant. Addo etiam molliorem huic sexui facundiam inesse & natiuam plerumque vt ori, ita & verbis assidere gratiam, vnde quod exitiale virus hausit, cum audientium iucunditate eructat, persuadetque non rarò.

Inquisitum in nouæ doctrinæ Professores.

Quibus plerique fauent.

Margarita præsertim Nauarræ Regina.

Errores per fœminas propagati.

Et curè

Alia erant quæ Margaritam ad impertiendum nouis concionatibus auxilium sollicitabant vehementiùs, regius nempè ille animus spargens omnibus beneficia, calamitosorum miserias absque commiserationis sensu intueri non sustinens. Genium quidem hunc laudarem, quippe Regina tanta dignissimum, si discreuisset prudentiùs in quos regias aptabat, & dispensabat opes; ni nouis hoc pacto præstruxisset aram erroribus, ni Ecclesiæ transfugis, & cœnobiorum fæcibus cuncta corrumpere maturantibus nimiam regalium admissionum facilitatem impertisset. Nam cùm à qua-

Margarita cur Nouatoribus fauerit?

ternis Lutherianæ doctrinæ propagatoribus Meldis ad Matronam iacta fuissent prima hæreseos semina, quos eò aduocarat Episcopus haud satis cariosus inspector, oues inter & lupos quid differret; illi continuò impietatis armis instructi contumeliis incessere purissimæ Dei Genitricis integritatem cœperunt, omnem Cælitibus abrogare patrocinandi vim, aliaque huiusmodi sacrilegia perpetrarunt; Incredibiles referebant plausus blaterones isti à gregariis præsertim hominibus, mendiculisque extra ctepidam textrinæque radium vix sapere gnaris; cùm vrbe tota spargitur rumor in Ecclesiasticas caulas aut dormitante, aut conniuente fortasse pastore Lutherianos lupos irrepsisse, qui aduigilantis tandem Pastoris clamoribus repulsi, metuque pœnarum perterriti alij aliò dilabuntur, Farellus ad Heluetios vadit, Iacobus Faber in Aquitaniam, Neraci apud Margaritam Valesiam latebras quæsiturus, vbi ridiculam verbo tenus religionem instituebat, quam palàm profiteri non audebat. Gerardus Roussellus Lutherum adiit, & è Germania regressus in Galliam ad paratum sociis asylum perfugit, à Margarita exceptus perhumaniter, quem & in suam ascribi iussit familiam, tradita ei primùm Cleriacensi Abbatia. Postremò Oloronensis Episcopatus infulas addidit, quod quidem munus Gerardus non vulgari probitatis documento gerere visus est, sed castos, saltem in speciem, mores fœdabat nouæ persuasionis impietas; erga inopes largus, in teneram præsertim ætatem munificus, quam in literarum gymnasiis sustentabat de suo. Felix sanè nisi dotes has omnes pestilens doctrina corrupisset, quam eorum instillabat mentibus, quorum corpora tam profusis sumptibus educabat; curator corporum, carnifex animorum, cum pane lapides, cum piscibus scorpiones immiscens.

Meldis blasphemant in Cælites.

Plausus à plebe referunt.

Repelluntur.

In varias prouincias confugiunt.

Roussellus fit Abbas & Episcopus.

Hic Reginam Sycophantiis suis planè de statu rectæ mentis deiecerat; Hæc enim Gerardo de religione differenti regias identidem aures accommodabat, dicentis ab ore pendebat tota. Et perorantis Episcopi verbis autoritatem magnam conciliabat Reginæ credulitas, quæ eo hortatore Biblia gallico idiomate quamuis inculto reddita lectitabat non sine gustu aliquo infundentis se sensim erroris, è prauo intellectu nascentis. Quin & ausa est eadem Regina sacras Noui Testamenti historias in argumentum tragicomœdiæ seligere, quas stylo ipsa gallico conuestiebat, actoresque ex Italia præcipuos accersebat, qui dialogismos recens consarcinatos in theatrum inducerent, applaudente circùm spe-

Reginæ virus errorum instillat.

Hæc comœdias scribit & dari iubet.

ctatorum coronâ. Verùm non sic ludebatur, quin Catholicis ac præsertim Sacerdotio præditis illuderetur, in res item sacras, & Ecclesiasticos ritus hoc liberiùs iaciebantur facetiæ, quo dicacem illam scurrilemque vernilitatem auidiùs excipiebant aulici, Reginæ exemplo corrupti ferè omnes. *Principes non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem, plusque exemplo, quàm peccato nocent.* A comœdiis ad blaterantium Nouatorum conciones decursum est, inque ipso Regis conclaui prædicantes auditi, quod indignè admodum acerbéque tulit Henricus Rex; cùmque vt Ministro verbera ingereret, clam irrupisset; vbi eum terga vertisse comperit, Reginæ ipsi colaphum infregit, exprobrauitque nimium in ea perdiscendæ recentis doctrinæ studium. Eo tamen in loco concionati sunt duo Roussellus scilicet, & Solon excucullatus Orator nihil à vetere illo Solone trahens sapientiæ, quinis instauratis nuptiis infamis. Post exhaustas à prædicantibus in vociferando vires in cellis vinariis mutuum sibi calicem mero coronatum propinabant in meræ defæcatæque doctrinæ symbolum, quam Cœlitus transmissam garriebant, & hanc deinceps potionem nuncupari cœnam perplacuit.

Aulici cum Regina corrupti.

Cic. de Leg. lib. 3.

Prædicantes auditi.

Regina malè à Rege Nau. accepta.

Matth. histor.

Hæreticorum cœna in cellis vinariis instituta.

Hæc dum Palensi in aula geniales inter calices luderentur, manabat Parisios vsque rumor non sine infami Margaritæ nota, & Francisci Regis indignatione, non minùs Euangelicæ veritatis, quàm literarum fautoris. Angebatur autem Christianissimus Rex quòd Musarum occasione, quas ipse cum literatis hominibus acciuerat, inducta fuisset in Galliam hæreseos lues, quòd sic incestatæ fuissent Musæ à corruptis amatoribus; quodque in insanas illas opiniones Margarita Nauarræ Regina collapsa fuisset, cui non fratris tantùm, sed & Patris in loco fuerat semper; quare digressam post paulò Lutetiam Parisiorum corripuit seuerè vt Rex; blandéque vt frater admonuit, animum vt à Lutherianis commentis auocaret, quæque in orthodoxa Regum Maiorum suorum religione sanctè adoleuerat, in ea quoque consenesceret; turpe & indecorum esse mentem verè regiam posthabitis rectè credendi principiis per continuatam tot seculorum seriem, infinitorum penè miraculorum testimonio comprobatis, ebriosorum hominum somniis imprudenter abripi. Vbi constans ille fidei vigor, quem ipsi etiam in Diuo Ludouico demirati quondam fuere barbari? in auo Rege scilicet inuiolatum perstitisse Romanæ fidei candorem, vt in nepotibus regales inter delicias, & adulantium fraudes miserè deperiret? In regia Magni illius Ludouici stirpe auitum illud efflorescere religionis

Dolet Rex quod à doctrinam profitentibus viris error dimanarit.

Rex seuerè Margaritam corripit.

Regis Oratio.

decus; Margaritam vnam esse eamque Reginam, quæ nobilissimum illud Cæli margaritum apud se inquinari permittat. Pia tanti fratris hortamenta non respuit soror, quamuis prona in hæreticos, nunquam tamen hæretica, sed multò auidiùs cælestes & secretiores hausit monitus vitæ cum hæreticis actæ pios fidosque obiurgatores, quamobrem editâ Catholicæ fidei professione ad misericordiarum parentem Deum confugit, ne præueniretur à Iudice; mentem cum fallacibus hæresum blandimentis eluxuriatam diutiùs ad sanctiores veritatis amores traduxit, abstersitque piè obita mors quidquid Heroïna illa peccarat, aut nimio, quàm fœminam addecuisset, in mysteriis religionis nostræ peruestigandis studio, aut præposterâ in Lutherianos prædicantes indulgentiâ.

Respicit Margarita.

Nunquam fuit hæretica.

Interim Franciscus Rex, qui Cardinalis Turnonij consilio Melanchthonem in Galliam proficisci vetuerat, licet hunc eximium componendarum litium arbitrum Margarita censuisset, regias in id præcipuè curas intendebat, ne qua Lutherianæ flammæ scintilla vrbem aulamque corrumperet, aut si qua furtim illaberetur, hanc confestim extingueret. Hic annum 1535. feliciter auspicatus est ab edito facinore Christianissimi Regis prærogatiuâ dignissimo, ad quod enarrandum aggredior. Sacramentarij cùm imbutum veneno in Sacrosanctam Eucharistiam os palàm afferre non auderent, quò vt tectius, ita & tutiùs peccarent, libellos, quibus augustissimum hoc mysterium, compluresque Romanæ Religionis ritus sacrilegè traducebantur, sparserunt in publicum, ausi etiam regiis sacrilega hæc scripta postibus affigere. Sed quam ab hæreticis erga Principem reuerentiam expectes? cum continuis Regum Regem maledictis concerpant. Rex comprehendi iussis illico tam atrocis flagitij auctoribus, quò sartum tectum Christo decus ab sacrilegis tam impudenter violatum quoquomodo restitueret, Blæsis Parisios proficiscitur luculentum in vrbe Galliæ Principe Regum Principi Deo triumphum adornaturus. Igitur XII. Cal. Febr. qui Diuæ Agneti Sacer est dies, innocentis huius Virginis exemplo Omnipotentem, Adorandum, tremendumque Dominum Majestatis totâ mente complexus, hunc solenni pompa per vrbem totam circunferri voluit panis integumentis conuelatum. Processit pia supplicatio à Diui Germani æde sacra ad Diuæ Mariæ Basilicam, & ne delato magna cum reuerentia Principi Deo cœlestes deessent Aulici, circunlatæ sunt pariter regij sacelli reliquiæ sacræ. Præeuntem cum augusta pyxide sequebatur Rex Ioannem Bellaium Parisiensem Episcopum cum regia familia, Cardinalibus, Præsulibusque pro-

Optimum Cardin. Turnon. consilium.

Regis erga religionem studium.

Hæretic. in Sacrum Christi Corpus odium.

Libellos sacrilegos spargunt.

Regis pietas erga Sacram Eucharistiam.

Solennis indicta supplicatio.

grediebatur autem Rex nudato capite accensum funale manu gestans,, corpore ad Christianam modestiam, pietatemque composito, Vmbellam cum Delphino ferebant Duces, Aurelianensis, Inculismensis, Vindocinensis. Peracta supplicatione Rex in conflato ex nobilibus aulicis cœtu perquam sanctè iurauit, si contactum hæretica tabe brachium suum nosset, truncaturum se illico, ac consimilem in Regios quos habebat liberos, feueritatem expromptu- rum, si quid in his circa res fidei haud sincerum satis agnosceret. Interea ne qua execrandæ huius impietatis vestigia reliqua forent, hanc eorum qui auctores fuerant, supplicio expiari placuit. Igitur festos inter institutæ supplicationis ignes accensos, de vindicibus flammis in reorum pœnam excitandis agitatum à Iudicibus est, patuitque aduesperascente die supra lignorum struem erecta machina, in qua Sectarij sex illigati sunt, qui supernè elati in subiectas infrà flammas deuoluebantur, erectique pariter demittebantur, donec reciso per carnificem fune penitus absumendi reciderent. Spectatores è Sectariis complures habuit hæc tragœdia, qui pœnarum metu correpti festinatam ad tutiora fugam arripuere, lucere sic nolentes coram hominibus, tamque illustria consummare martyria.

Pium Regis iusiurandum.

Sacrilegorum supplicium.

Nec Caluinus ipse morte sancire sustinuit, quod ediderat scripto; terga enim vertit aut iam inusta, aut liliato ad infamiam inurenda cauterio; de cuius ortu, quia crebra eius mentio incidet, nonnulla præfabor; interest enim historiæ non clarorum tantùm virorum, sed & nequissimorum interdum enarrare primordia, vt quibus quisque gradibus seu ad decus enixus fuerit, seu ad probra deuolutus, posteritas intuens, ex hoc decori turpisque confinio haud cunctanter emergat; in vno, quod prudenter elegerit, honesto moratura. Ortum habuit Caluinus Nouioduni Anno 1509. Sexto Idus Iulij, Patrem autem Gerardum Chauuinum publicanum siue actuarium, matrem Ioannam Francam Cameracensi natam caupone, ambo Catholicos & in Romana religione constantes. Alcuinum dici se voluit, & magni illius Alcuini Caroli Magni Præceptoris nomen æmulari iure potuisset, eius si mores adamasset; sed in Luciani potiùs impietatem deflexit, vnde hoc ei nomen anagrammatismus aptauit, eædem quippe litteræ Caluinum & Lucianum efficiunt. Lutherum eadem mentis insania ad honorifica huiusmodi captanda nomina pellexerat. Sordidam nempe vitam decora quadam nomenclatura obtendunt hæretici nonnulli. Chauuinus ergo, siue Caluinus Ecclesiasticis muneribus à Patre destinatus, iamque Sacerdotia quæ-

Fugit Caluinus.

Epitome vitæ Caluini.

Eius progenitores.

Alcuinus appellari voluit.

Ecclesiasticis muneribus destinatur.

dam assequutus, canonicatum verò nunquam, vt è pluribus constat. Post decursa feliciter puerilis ætatis elementa Lutetiam Parisiorum à Patre mittitur feuerioribus illic imbuendus literis, vbi Philosophiæ stadium emensus, Aureliani Iurisprudentiæ studuit, præceptore Petro Stella famoso tum iuris interprete, qui deinde in Parisiensi curia Præses fuit. Bituricas inde profectus est eadem iuris studia recogniturus, qua in vrbe Alciatum præceptorem nactus est ex Italia eò euocatum. Et sapere profectò potuisset sub legum interprete tanto, nisi pessimo quodam fato in Melchiorem Volmarium origine Germanum incidisset, quem eruditum satis Græcarum literarum professorem sustentabat Margarita Nauarræ Regina, eademque Biturigum Dux. Hic peracre in Caluino ingenium, memoriæque firmitudinem demiratus, autor ei fuit vt posthabitis reliquis omnibus disciplinis ad Theologiam, quæ scientiarum omnium caput est, animum appelleret, instillauitque nouo discipulo prima noui Euangelij rudimenta & Lutheriani aliquid fœtoris inhalauit, tametsi mente iam per hæresim corrupta eò aduenisse nonnulli asserant.

Parisiis studet.

Bituricas proficiscitur.

à Volmario Lutheriano corrumpitur.

Regressus in patrium solum Caluinus; post parentis obitum, sacerdotia, quæ obtinuerat vendidit. Sunt qui probrosum huic Sodomiæ crimen impingant flammis olim cœlestibus expiatum, expiandumque iure in Caluino, si par irrogaretur semper pœna flagitio, candente ferro eoque liliato inustus est, exulatum deinde abiit, quo grauiori se pœnæ subduceret, reformatorum tum antesignanus appellatus, imò, si Superis placet, Sectariorum Paulus alter, hoc enim nomen ambiuit, & certè stigmata quanquam per infamiam impressa in corpore suo portabat, referuntque scriptores Caluinum eundem, dum vrgeret metus, è fenestra fuisse demissum. In hoc Paulus fuit, aut simulacrum aliquod Pauli, in cæteris Saulus hoc est diuexator Ecclesiæ. Inculismam fecerit Græculus literator, tinctus quippe leuiter Volmarij disciplinâ, non leuem tamen admirationem efficiebat rudi hoc impolitoque seculo, dum paucula supra Alpha & Beta balbutiret: curtæ huic supellectili incrementum aliquod addebat inanis hominis iactantia è modico Græcarum literarum censu intumescentis. Ea porrò in vrbe triennio toto linguam illam, quam vix callebat, publicè docuit, venditauit potiùs; & institutionem suam è variis errorum centonibus compactam designauit, Melanchtonis, Oecolampadij, Hyperij aliorumque passim fabulis ac deliriis sparsam, nam vndique plumas emendicabat hæc cornix; quanquam ne plagiarij crimen incurreret, quæ in his

Sacerdotia vendit.

Candente ferro notatur.

Paulus hæreticorum.

Inculismæ Græcas literas profitetur.

Institutionem suam designat.

impietatis

impietatis Magistris sublegerat;truncabat,augebat, interpolabat, venenum tamen idem tametsi dispari stylo,aut periculosius propinabat.

Inculismâ relictâ Germaniam adiit nouis impietatis errorumque præconibus abundantem, quos officiosè inuisit, & à Rossello quidem, quo de suprà egimus amantissimè fuit exceptus, neque enim inter bonos tantùm, sed & nequam inter homines coalescit amicitia,aut amicitiæ simulacrum aliquod. Inducitur à Bucero in Erasmi hospitium, qui vtinam parem eruditioni pietatem consociasset ; is prælibato per breuem temporis vsuram Caluini ingenio peracri illo quidem , at in præcipuis fidei nostræ mysteriis nutabundo, nouitatis cupido, ambitione flagranti, somnia sua tuenti pertinaciter *Video* (inquit) *magnam pestem oriri in Ecclesia contra Ecclesiam.* Simile quid de Iuliano Apostata Nazianzenus interioris oraculi monitu prænuntiauit, & Tiberius Imperator de Caligula , quem aut Serpentem, aut Phaëthontem alterum ad commune totius orbis excidium enutrire se affirmabat. Erasmi oraculo fidem fecit exitiale Caluini aduersus Ecclesiam odium, cuius in perniciem & linguam & calamum nunquam non exacuit. Huius errores priùs hic strictim perstringam, quàm ostendero quibus primum fatales hi fuerint.

Germaniam petit.

Erasmi iudicium de Caluino.

Caluinus ergo, qui Lutherus Gallicus nominatur à multis, vix tamen cum Germano Luthero commune quid habuit præter odium, quo Romanam insectatus est Ecclesiam ; errores enim sparsit cum Lutherianis pugnantes in multis. Lutherus pingui aqualiculo æquè ac ambitione distentus hilaritudini bonæ litabat quotidie, credo, vt dies cum lacrymis in Cœnobitarum claustris exactos geniali festiuitate obrueret , vnde quò commodiùs fræna laxaret licentiæ, crassam hæresim condidit ad pastum & ad voluptates abiectam. Subtiliorem verò commentus est Caluinus, quasi Germanum hunc porcum sale conspersurus , ne computresceret. Concupiscibiles in Luthero motus , irascibiles in Caluino non malè quis dixerit. Caluinus enim naturâ accerrimus, vafer, quæ coràm promebat Lutherus arcana, premebat facilè mirus dissimulandi artifex , iracundiâ præceps, potus , cibique parcus , homini nempe hemicraniæ, seu vertiginis potius doloribus affecto opus erat inediâ corporum pariter atque mentium curatrice, sed consopiebat hæc in Caluino morbos corporis, non ægritudines mentis, cerebelli vapores absumebat, non insolescentis animi flatus in tuendis insaniis suis pertinacissimi , quas si quis oppugnare fuisset aggressus , enimverò è sicco & adusto corpore erumpebant illico ardentiores furoris scintillæ, hominemque sui impotentem facilè incendebant. Subtiliorem ergo macilentus hic con-

Caluinus in multis à Luthero dissentit.

In quo præsertim.

Caluinum, quanquam ementitæ personæ inuolucro contectum, suæ quæ quietum alibi consistere minimè siuerant, agnouere furiæ, admotisque facibus eum ex Italia remigrare coëgerunt. Geneuam ergo adiit tutiorem hæresis, Hæreticorumque periclitantium portum, pugnantium ex aduerso sententiarum Æoliam, impuritatum omnium gurgitem, excucullatorum Monachorum seminarium, quam vrbem furiis huiusmodi destinatam Babylonem nemo non iure dixerit, hostilibus semper odiis in ciuitatem Dei accensam. Hæc vrbs libertatis suæ tenacior Christi etiam iugum excussit, ne collum vlli teneretur submittere. Amœnitas soli in miram incolarum facilitatem immigrauit, quæ præcipua Geneuensium laus est. Lugendum sanè horum in indole ad bonitatem non tam instituta quàm nata, mentem esse non bonam, insitamque ad amandos & complectendos etiam discrepantis religionis viros propensionem, cum odio veræ religionis esse coniunctam. Geneuam ergo Caluinus adiit nouitatis lue iam antè à Farello corruptam, qui Viretum ad infame hoc opus adiutorem sibi asciuerat, quos ambo & diligentiùs inspicere, & inspiciendos lectoribus dare historici partes esse duco.

Geneuam adit.

Geneuensium indoles.

Farellus ergò qui & ferreus ante dictus, hoc est duri & ferrei oris Orator, nam in suggestu Periclis more detonabat, aut detonanti parum absimilis erat; felix profectò, ni egregiam ad dicendum indolem corrupisset pessimâ quam propugnabat causâ, Vapinci in Delphinatu ortum habuit, auumque Iudæum. Antilutherianus & Sacramentarius fuit; consepultam Pauli Samosateni blasphemiam restituit, inane id omne asserens quod à Romanis de Spiritu Sancto traditur; Spiritum Sanctum motum quemdam asserens & creatum. Elceseitarum quoque dogma reuexit, dum palàm docuit damnandos minimè videri eos, qui periculorum formidine correpti fidem suam dissimulant, modò idololatriam exteriùs non profiteantur; de carnis resurrectione anxiè dubitauit &c. Hic Meldis paratæ sibi pœnæ terrore profugiens, à Basileensibus proscriptus, nullibique tutò consistens, Geneuam profectus est primus hac in vrbe religionis turbo futurus, hanc autem vt nouitatis fraudibus irretiret, ferrei oris duritiem dicacibus iocis attemperare occœpit, popinas cum fæce plebis inire, frangere cum omnibus hilariter diem, tum mero madidus scurriles aduersus Ecclesiasticos ritus cantilenas non tam dextro Apolline quàm Baccho fauente concinnauit, quas vt imbecillior ætas promptiùs condisceret, dulciúsque balbutiret in compitis, puerorum in os crustula ouata & saccharata ingerebat, ex ore infantium & lactentium perfecturus non laudem Ecclesiæ, sed

Farelli patria.

Eiusdem blasphemiæ.

Primus Geneuæ corruptor

Facetus & dicax, vinolentus.

Scurrilia docet pueros: Cantores instituit.

iuuenis. Hi omnes, quia communi salino fouetur societas, in subterraneis Diui Benedicti Pictauiensibus cellis, aliisque abditis locis mysticam mensam suam etexerunt, quam cœnam & manducationem appellarunt pluribus pugnantium inter eos opinionum embammatis conditam, quàm crambe vetus fuerat, aut Atrei Cæcilij cucurbita, quam Martialis describere, quàm gustare satius duxit. Anagnosten, seu declamatorem habuit hæc cœna Caluinum, vel dimidiato nomine accumbentibus gratum; atque vt eandem in cœnam plures intrare compelleret, è sectariis aliquot legit, qui per Galliam hospites nouos inquirerent; qui quò tutiùs agerent, tacitis nominibus aptarunt sibi titulos demandatis sibi muneribus congruentes: horum enim alter quòd errantes hac illac hominum greges Caluinianas ad caulas inuitaret, Collectoris, seu Recollectoris nomen assumpsit, Alter verò quod nouæ Sectæ rosas seu oblectamenta passim ingereret, æternorumque suppliciorum metum abolere satageret, is quod totus bonitate perplueret, Boni viri nomen assequutus est, Minister etiam appellatus, quòd in Pictauiensi Iuris auditorio, quod Ministrariam appellabant iuris institutiones prælegisset, indéque factum vt id nominis in reliquos noui Euangelij præcones dimanarit. Nec profectò segnem recens cusi Apostoli Euangelio suo disseminando nauabant operam, postmodum Veronus apud Pictonas hæsit, Bonus homo Burdegalensibus paucos in dies concessus, longè enim latéque diffundenda erat bonitas tànta, quare reliquam Aquitaniam & Tolosam ipsam percurrendo lustrauit, nec inconsultè Palladiam hanc vrbem selegerat iuuenum vndecunque ad studia iuris confluentium multitudine nobilem; per eos enim quos corrumpere studebat iurisprudentiæ studiosos, virus illud quod aureo Babylonis calice propinabat, per diuersas propagaturus erat prouincias.

Hæreticorum cœna Pictauij.

Caluinus emissarios varia in loca destinat.

Recollectores hæretici.

Ministri cur appellati?

Bonus homo Minister hæreticus.

Tolosæ virus spargit.

Inter nouos illos præcones, aut religionis prædones Bonũ hominẽ primas retulisse compertum habeo; etsi enim rudis literarum hic esset, tamen seu iaciendis in Sacerdotes conuitiis, seu spargendis in eosdẽ famosis carminibus infimæ plebis gratiã facilè aucupabatur cantilenis huiusmodi cupidiùs aures accõmodantis. Fauit etiam longum vicenorum annorum spatium, quod ille tempus in corrumpendis iuniorum mentibus collocauit, cerea quippe hæc ętas, quodcunque simulacrum impresseris, admittit, admissumque conseruat. Quin & teneriori ætati præfectos præcipuâ ad partes suas curâ conabatur allicere, vt infusum Magistris venenum per Magistros ipsos in dociles discipulorum mentes diflueret; itáque propinatum à Doctoribus hæreseos poculum exorbebatur à pueris, atque eò faciliùs, quò iucundiùs

Iuuenes corrumpere satagit.

audiebatur à singulis austeras illas discernendorum apud Catholicos ciborum tum exhomologeseos instituendæ leges rescindi. Eructabant ergo auditoribus suis magistri quod exorbuerant virus; puerisque de more scholastica munia à salutari Crucis signo ritè auspicantibus, aderant illicò qui id reprehenderent censores nequissimi; ridiculum hunc in Ecclesiam inductum morem asserentes, Domitiano haud impares esse, qui præteruolantes muscas sic abigerent, tum alia atque alia facetè miscentes prima orthodoxæ religionis semina puerorum altè mentibus impressa, frugemque allatura minimè dubiam corrumpebant. Hæc dum Caluini asseclæ diligenter accurarent, Caluinus intutum se Pictauij ratus, euigilabant siquidem multi, & incendium religioni parari ex efferente se fumo coniectabant, destinandam sceleribus suis pœnam festinatâ fugâ anteuertit, ac Neracum, ad Iacobum Fabrum & Gerardum Rossellum deuenit communi sectariorum anchoræ mordicus adhæsurus, hoc est Margaritæ Valesiæ, de qua suprà memoraui.

Ritus Ecclesiasticos ridet.

Neracum petit Caluinus.

Profectus eò Caluinus à Fabro prouectæ tum ætatis viro comiter acceptus est; & incredibilem animo voluptatem capiebat depontanus iam senex, quòd defecto iam se & propter ætatem inualido, selectus à Deo iuuenis esset, qui vicariam Euangelij restaurationi operam allaturus esset; hunc itaque macte esse iussit; iret felici alite, & obuiis Papistarum conatibus obsistere conniteretur, collideret Dauid alter rugientium Leonum fauces reformatæ religioni oppositas; nouus Samson Philistæos omnes prosterneret. Non parem apud Rossellum, cui famulus inseruierat, gratiam reperit; huic inchoatum institutionis suæ opus cùm recognoscendum daret, explicaretque quæ agitabat mente consilia, Ecclesiasticos scilicet ritus moresque quos dilapsos asserebat, emendandi; cùmque Ecclesiam disturbandam necessariò affirmaret, vt eius in ruderibus nouorum dogmatum fundamenta iacerentur, audax hoc incœptum non vsquequaque probabat Rossellus, indignèque ferebat sublimiora hunc Phaëthontem ambire, quæque viribus eius non conuenirent, quare non à Caluino Ecclesiam, sed Caluini potiùs ab Ecclesia corrigenda vota esse dicebat; non euertendam, sed fulciendam esse, propagandamque Ecclesiam, Caluinum ipsum disiectæ religionis parietinis interceptum miserè periturum. Hæc autem aut similia non secus ac delirantis monitoris insanias Caluinus accepit, cunctatorem Rossellum appellans, qui progredienti tam feliciter religioni compedes injiceret ipse, aut injici ab aliis pateretur. Adeò verum est corruptum semel prauis opinionibus animum præfidentiorem præ-

A Fabro humaniter accipitur.

Malè verò a Rossello.

Nec probatur audax eius consilium.

Ridetur Rossellus à Caluino.

Superbi character.

flauit hæresim, cuius capita pauca hic inseram è compluribus, quæ Galterus in chronologia refert.

Eius errores seu blasphemiæ.

Asserit ergo Caluinus fidem esse cum incredulitate permixtam, atque ita nullum omni ex parte fidelem, igitur omnibus malè pereundum innuit comminante sic Christo. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Addit permixtam semper esse erroribus fidem, sicque mendacij Deum insimulat, è sacris scripturæ libris complures abradit, Deum peccati auctorem affirmat, eumque non absolutè Omnipotentem. In Christum, in illibatam Christi Genitricem, in Sanctos, in Ecclesiæ Sacramenta & alia pleraque apud Catholicos sacra spurco calamo, fœtentique ore debacchatur, spumat, oblatrat, quæ omnia silentio premere non prudentis tantùm, sed & pudentis historici est. Pessimam hanc errorum mercem è Germania in Galliam inuexit, Pictauiique primùm explicuit profanus institor, vbi in horto quodam cum literatis aliquot inambulans, simulac Lutheri, & Zuinglij mentionem induci animaduertit, inducebatur autem sæpissimè; ansam inde arripuit noua circa religionem placita prolixiùs enarrandi. Ac primo quidem sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum medio quodam cœpit Lutherianos inter & Zuinglianos interpretari modo, barbaros eos esse affirmans, qui Christum è cœlo detrahunt panis & vini simulacris illigandum. Hæc autem non tam commentus ipse fuerat quàm è Vuiclefianis libris hauserat, Tum concinnatas à se precum formulas aliquot obtrusit, & quia versatilis varias in partes erat ingenij, nunc timidè & mussitantis in morem, nunc audacter aut impudenter noui triumuiratus Lutheri scilicet Melanchthonis & Zuinglij publicabat errores; nunc prouolutus in genua, erumpentibus identidem suspiriis furibundum aut Ceritum simulabat, dum tremendum altaris mysterium scommatis incesseret, clamaretque papisticum hoc esse figmẽtum, exigendam procul execrandam hanc Romanæ Ecclesiæ idololatriam. Hæc quanquã impolitè satis effutiret nouus Apostolus, nullo in dicendo lepore præditus cùm tamen disertè scriberet, vt affirmant scriptores aliquot, inerat tamen inconcinnis eius verbis mira suadendi vis, nã cùm stomachum in Romanæ religionis ritus euomeret, cum maledictis Clerum vniuersum proscinderet, facetisque salibus Christi Vicarium, eiusque autoritatem perspergeret, irrepebat iucundissimè in hominum aures aut hæretico iam afflatu corruptas, aut proximè corrumpendas; vsque adeò delectantur homines obtrectantium hominum linguis & intemperiis, aut quod pares eos sibi nacti fuerint, quorum ratio vitæ reprehenditur, aut si à labe integros se fuisse hactenus viderint, è corruptis aliorum moribus, honoris aliquid decerpere adnituntur.

Pictauij venenum disseminat.

Vafer & Proteus alter.

Multos decipit.

In horto malam sementẽ iacit.

In hoc igitur horto sed infelici enata Caluiniana hæresis est. In

horto etiam primigenium natum est crimen, & vtriusque fœtus primordia ab arbore scientiæ profecta, cuius præcociores fœtus qui gluttiunt, non satis excoquunt, anginamque patiuntur. Adhæsere Caluino Antonius Duguius Professor Academicus, Philippus Veronus curiæ procurator, Albertus Babinotus, & Ioannes Vernonus Pictauiensis; hi omnes auditis, degustatisque Caluini aduersus Eucharistiam erroribus, quæ membra Ecclesiæ cum capite Christo IESV arctè connectit, ab eiusdem Christi, Ecclesiæque gremio miserabiliter diuulsi sunt, adeò verum est malam non semper respui mercem, cùm emptores multos reperiat. His accessere plerique alij voluptatum illecebris irretiti; alij horum qui Caluino iam manus dederant, multitudine abrepti, religionis nouæ bonitatem è plurium accursu interpretati, quasi verò prælabentes aquæ dum alios atque alios secum riuulos inuoluũt, in voragines aut cloacas sæpè non trahant. Hæresim etiam profitebantur aliqui rati videlicet elimati se vires ingenij probaturos, dum pessimæ causæ patrocinarentur, aut ne in stupidæ mentis probrum incurrerent. Et acuere videbatur simpliciorum hominum mentes argutatrix hæc secta, sophismatum semper instructa dolis, & labyrintheis pugnantium opinionum flexibus non impedita tantùm sed & impediens; atque hinc sapere momento iactabant omnes, qui hæreticorum delitamentis animũ adiecissent, iis confestim præsto esse argumentorũ tela, quæ in Catholicorũ castra distringerent, extemporales illic prophetas enasci, qui antiqua Ecclesiæ oracula nouis eluderent oraculis, denique per hæresim tanquam per Circęum poculum immutari mentes hominum, Proteos fieri Caluinianos omnes, in varias se fallendi causa formas conuertere. Perpugnaces hos in Caluiniana etiamnum secta vigere spiritus neminem latet, dum fullones, sartores, coriarij veteramentarij è crepida, aut subula in philosophantiũ porticus transmigrant. Eademque (quod pudeat) bella pugnare audet imbecillus sexus, nec se facilè capi sinunt sepiæ in atramento suo delitescentes. Vnde autem tanti hi animorum motus & certamina tanta? Haud malè quis referat in malè constabilitam, ruinosamque suapte natura sectã, quæ ne accedente Catholicorum aduersantium impulsu funditus corruat, excubantes semper habet hæreticos; perinde atque in malè compactum, fatiscensque tutandum propugnaculum, ne oppugnantium insultibus labefactetur, propugnantium vis tota incumbit.

Adhærent ei nonnulli.

Non æstimanda religio è sola profitentium multitudine.

Hæretici Sophistæ.

Cur perpugnaces?

Priores hos Caluinianis sacris initiatos sequuti sũt alij paribus mysteriis imbuendi. Carolus le Sage Professor Academicus, Sauortumius, & Ioãnes Boisseau, qui deinde cũ ad octogesimũ ętatis annũ peruenisset, sapere didicit eiurato Caluino, emẽdauitq; senex, quod peccauerat

Alij Caluino adhærent.

Vireto vernarat. Hic ergo cum Farello nouum Euangelium apud Geneuenses inuexit, quod eò lubentiùs à plerisque acceptum est, quò per illud actæ turpiter vitæ dedecora cautiùs conuelare sic poterant. Sic ergo Geneua à vera religione desciuit, & excusso Christi & Allobrogum Ducis iugo, suis hoc est pessimis legibus viuere cœpit. Ad vrbanam autem basilicam defectionis hoc programma erectum, quasi profligatæ religionis trophæum.

Inscriptio Geneuensis.

Quum anno Domini M.DXXXV. profligata Romani Antistitis tyrannide, abrogatis eius superstitionibus Sacrosancta Christi Religio hîc in suam puritatem, Ecclesia in meliorem ordinem singulari Dei beneficio reposita, & simul pulsis fugatisque hostibus vrbs ipsa in suam libertatem non sine insigni miraculo restituta fuerit; Senatus, populusque Geneuensis monumentum hoc perpetuæ memoriæ causâ fieri, atque hoc loco erigi curauit, quò suam erga Deum gratitudinem ad posteros testatam faceret.

Vt mali architecti, aut ineptè ambitiosi, ne videantur angustè habitare, aliquando paruis ædibus magna præstruunt vestibula, sic hæretici ruinoso religionis suæ ædificio illustre in speciem propylæum aptarunt, ære autem incisa fuit Geneuensium contra Deum rebellio quia æternam esse voluerunt. Hæc enim ciuitas, vt in admittendis sectæ deliriis mollior fuit, ita his in tuendis pertinaciùs pugnat. Pastorales vtinam excubias vigilantiùs egisset Petrus de Balma Geneuensis Antistites, murum vtinam opposuisset se ad arcendos frementium luporum incursus idoneum; staret adhuc ab eorum laniatu intactum Christianum ouile, nunc deposita est vrbis salus, nisi salu-

Petri de Balma studium iners.

Geneuensium impietas.

brioribus consiliis auscultet. Atque vt non exutam tantùm à se Romanam religionem, sed & damnatam pariter Geneuenses ostenderent sacrum ex Ecclesiæ Cathedralis altari lapidem, supra quem incruentum sæpius peractum sacrificium fuerat, ad furcas seu destinatum reorum supplicio locum deferunt; & in pegma erigunt exercendæ desuper carnificinæ. Durum sanè Catholicis omnibus visum solemni religione consecratam Agni immaculati sedem in infame theatrum mutari & nocentium inibi cruciandorum, & carnificum tortorumque contagione polluendum. Nec impunè id abiit Amico Perrino sacrilegij autori præcipuo, qui cùm magna polleret autoritate, Farelli suasu eò loci lapidem transferri iusserat, in eo siquidem in quo maiestatem Diuinam imminuerat, capite imminutus est ipse, pertulitque Aman impius, quam aliis erexerat crucem. Hæc Geneuæ tum facies erat, dum in eam Caluinus ingressus est, in qua & nouæ religionis interpretis, & supremi Dynastæ onera, honoresque sibi vendicauit, omnia tum sacra, tum profana, tum politica (Farellus enim excesserat) adgubernans; at sine vlla missionis tessera in deiecti Præsulis sedem intrusit se latronis more, per ostium intrare non valens, egitque Geneuæ, hoc est in noua ab se Roma delecta sacrorum omnium Antistitem. Cùm summa votorum attigisset, somnia sua tanquam ab Ægeriæ monitu profecta dispensare passim occœpit; tum incessit hæc hominem cogitatio, nouam quam euulgabat legem, arctioribus vnius duntaxat vrbis definitam esse spatiis, quare latiùs longiúsque propagandam, diffundendum per omnes terrarum oras spiritum illum à Deo recens deriuatum, pauciorum adhuc mentibus illapsum. Atque iugis hæc Caluinum cura coquebat non quieturum priùs, quàm flammis, quas sibi paratas in Gallia defugerat, acriores eodem in regno excitandas flammas reponeret. Igitur, quia id per se solus assequi non poterat, Geneuensi quippe intentus Ecclesiæ, misit, qui variis in vrbibus turbidas illas non religionis magis quàm seditionis faces incenderent, idoneam fatalibus his comprehendendis flammis Galliam asserens, quòd nouis continuò rebus studeret, nec maiorem in fide, quàm in corporis cultu habitúque teneret constantiam.

Sacrilego pœna inflicta.

Caluinus Geneuensium Antistes.

Emissarios in Galliam destinat.

Addebat Caluinus Lutheri dogmata è Germania allata, quanquam non in omnibus Euangelio consona, quia tamen grata quadam nouitate affecta esse videbantur, à compluribus in Gallia magnæ autoritatis viris non cunctanter, imò & iucundè fuisse admissa, acceptiora itaque Gallis omnibus fore, quæ plenus ipse Numine dogmata condidisset, hæc nimirum excreta Lutherianæ doctrinæ

Dogmata sua Lutherianis præfert.

crassitie, vt defæcatius quid, & subtilius præ se ferunt, ita & altiùs Gallorum in animos penetratura. Agerent itaque intrepidè, qui mittebantur, causam Numinis; si quid, variis in locis constituti de nouæ religionis capitibus addubitarent, mitterent ad se tanquam ad veritatis oraculum, neutiquam responsa moraturum. His monitis & arte veteratoria instructos nouos à se dimisit Apostolos. Præcipui ad infame hoc ministerium lecti sunt Rupichandiæus, qui Sadeelli nomen ambiuit, & Massonus, qui Riuum appellari se voluit, confictis his nominibus nouæ religionis inanitatem ostendentes. Sed frustra hæc assumebantur nomina faustum nunquam omen noui s concionalibus allatura; quid enim aliud præter inanem strepitum adjiciebant? Non enim impuros Ministrorum mores demutabant hæc blandæ appellationis illicia. Nec Clermontius primus Rupellanorum Minister, cùm fontem appellari se iussit, eiectauit propterea limpidiores eloquentiæ latices; nec Iacobus Coquus, dum iustum se Ionam inscripsit, in mare mitti se voluit, quò æstuantibus maris fluctibus quies foret; nec opinor, talem si Ionam piscis heluatus fuisset,euomuisset in aridam. Pergebant iniquitatis operarij in suam, quæ cuique destinata erat, prouinciam,& quanquam in Theologicis reliquisque ferè scientiis hospites essent, tamen, quia non inora vsquequaque animalia erant, futili eloquentia perinde atque tenuibus araneorum cassibus, non simpliciorum tantùm, sed Magnatum etiam animos irretiebant; ipsa etiam concionum materies, quia blanda, ita & potentissima erat animorum conciliatrix, nec eloquentiæ remis adurgenda magnopere nauis erat, quæ ad fortunatas insulas secundo flumine appellendam se promitteret.

Rupichandiæus & alij sub falsis nominibus tecti.

Voluptaria doctrina

Concionalium istorum clamor, quod lugendum maximè est, in ipsa cœnobitarum claustra tot legum vallata repagulis penetrauit. Et in hoc Hercules se nouos Caluiniani præcones iure venditent, quod non stabula tantùm, sed deuotas etiam Numini ædes facibus suis repurgarint. Complures enim ad sectam hanc nouam adhinnientes, quæ religiosis etiam votorum nexibus Monachos eximeret, religionis habitu cum pudore abjecto ad mollioris castra licentiæ defecerunt, vt obscœnas voluptates, quas raptim tanquam canes è Nilo cum ingenti metu in claustris delibarant, post ritus & Romanæ, & cœnobiticæ religionis eiuratos, hiantibus faucibus exorberent. Confluebant vndequaq; noui Argonautæ ad vellus aureū, hoc est ad propositas à secta diuitias; nec præstigiatrix Medea, hoc est libido procul aberat, quæ dracones flāmam euomētes, obuersantes

Monachi à vera religione deficiunt

scilicet animo sempiternorum incendiorum terrores consopiret. Dolebat sanè Christiana Rachel, hoc est Ecclesia lugendum filiorum suorum interitum, quibus pomum porrigi videbat, subripi paradisum; aut è cælo, quod D Bernardus dequeritur, in cœnum labi præcipites. Pudet dicere Romanæ religionis Antistites quosdam Caluinianis erroribus irretitos, obscuratum hæreseos tenebris aurum; salem ipsum quo condiendi Catholici greges erant, pestifero hoc afflatu corruptum. Verùm cœnobiticam vitam profitentium, tum virorum tum mulierum numerus longè auctior fuit; nam coram huiusmodi hominibus intra cœnobitica claustra gementibus nouæ religionis classicum inflari iubebat Caluinus; nempe è selectissima Templi supellectili conflaturus idolum Moloch; votorum autem vincula, quibus Deo, Religiosæque familiæ astringebantur Apostatæ, haud difficulter soluebat Geneuensis hic Antistes, imò expeditiùs longè quàm nodum Gordium Alexander; quin & nodos illos euoluente nemine continuò diffluere prædicabat ob nouæ religionis appulsum, cuius intererat Papisticas illas votorum pedicas soluere, nullis quippe filiorum Dei libertatem arctari posse vinculis. Confractis his in speciem laqueis, cœnobiorum claustra facilè perfringebant Monachi complures, qui pudoris iam claustra perfregerant, ac pudebat eos non antè fuisse impudentes, dolebant in cinere se cœnobiorumque spinis tandiu volutatos, qui ad byssum & purpuram aspirare poterant. Atque è tam fœtentibus membris, cœnobiorum nempe retrimentis conflatum est Caluinianæ sectæ corpus impurum.

Et Præsules.

Nouæ Religionis libertas.

Obseruet interim lector quàm disparibus Catholica religio, & Caluiniana superstitio principiis coaluerint. Innocenti Martyrum sanguine imbuta sæpius terra fragrantissimos in Catholicorum areolis sanctitatis flosculos protulit, contrà verò sacrilegiorum & flagitiorum eluuies innumeros Caluino peperit asseclarum greges; & dum quis præsertim sacerdotio præditus fit hæreticus, vulgò asseritur eum non tam hæresim despondere velle, quàm fœminam. Sanè impij illi claustrorum desertores absque sociali coniugij nexu quietè agere non poterant, itaque sacrilegiis sacrilegia cumulabant, nec pares magis nuptiæ, nec verecundæ minùs initæ, quàm cum sacrilega traderetur sacrilego; monialis fœmina Cænobitæ viro; nihil autem per id temporis frequentiùs vsurpatum. Ducebatur Monialis tanquam victima non reluctans ad pudoris Deo sacri carnificinam præstolante excucullato Apostata, nec sine fescenninis metris huiusmodi celebrabantur connubia, hoc sectariis acceptiora, quò Christia-

Infames & sacrilegæ nuptiæ.

norum coniugiorum honestatem ac verecundiam licentiùs oppugnarent. Barrus Lusignanus minister, Christienus Pictauiensis blatero, aliique complures cum huiusmodi cœnobiticis scortis conspecti; reliqui religiosorum septorum desertores non satis ad prædicandi munus eruditi vilissimis implicati coniugiis abiectissimas artes profiteri cogebantur, quibus inopem familiam sustentarent. Turpe sanè horrendumque visu Ecclesiasticis olim pensis addictos monachos, sacrisque inauguratos in fullones, caupones, phrygiones, pistores, muliones tam repente mutatos, aut in instructos fenis manibus, vt cum vetere poëta loquar Geryones, passim latrocinantes, dum fodere non valerent & mendicare erubescerent. Asperam hanc & operosam vitam mitigabat vna duntaxat libertas, & effusus in obscœnos mulicrcularum greges amor, & hoc Apostatis huiusmodi claustrorumque vomicis non semel exprobrauit Caluinus, quem reformatam, vti appellabant, sectam, è fæcibus istis conflasse tandem pœnituit; atque id nō absque acerbo doloris sensu pronūtiabat sæpius, quidquid in secta inquinatius esset, monachorum excucullatorum sceleribus partum, quos cœnum & impuritatum omnium gurgites appellabat, ac diutissimè probandos homines eiusmodi asserebat, priusquam cum fidelium grege consuescerent, ne saniori parti scabiem corruptorúmque morum pestem importarent. Hæc ille.

Monachi vilissimis artibus mancipati.

Eorum obscœnitas.

Verùm nemo est qui ambigat, quin præcipua nouæ sectæ columina claustrorum desertores extiterint; nam vnà secum peculium doctrinæ aliquod attulerunt ad sectam, & quod maius fuit, audaciam; qua freti nouam constabiliuere Caluini religionem infantem tum & infirmam, & absque fulcro facilè ruituram; animum enim Theologicis disputationibus in cœnobiis antè subactum ad sophisticas disceptationum argutias facilè traduxerunt, & mutatis clypeis, aptatisque sibi sectariorum insignibus dedidicere se totos. Non fœtido tantùm emissariorum suorum ore, sed sparsis etiam libellis religionem corrumpere adnitebatur Caluinus: gustabantur à plerisque noua huius placita, & elimatorum scriptorum lepore illaqueabantur, dumque putaminibus solis inhæsuros se confiderent, nucleum deuelabant, & gustabant incauti; confluebant itaque ad Caluinum non pauci aut oculis aut auribus capti, aut ambobus simul; & par vtrinque imminebat interitus morte per fenestras intrante, quanquam clandestino & furtiuo illapsu; premebant enim quod venenum combiberant, quia Prætores Regij & Rex ipse sectam variis edictis oppugnabant; indéque fiebat vt perire mente volentibus quærerentur latebræ, ne corpore simul interirent. Quare nocturno tempore sacra sua instaura-

Monachi desertores Hæreticorum columen.

Caluino multi adhærent.

Pœnas timent.

bant continuis mystas nouos flagellantibus furiis, pauoréque ne à Catholicis interciperentur calicem inter & labra nunquam non intercidente; hinc mille quæsita simulationum artificia, dum complures Caluinum ore eiurarent, quem mente confouebant, dum veterem, nouamque religionem temporum necessitati accommodarent nullius religionis viri, dum quod Romanorum olim Imperator Christum & Tyaneum, sic Christum illi cum Caluino consociarent; hinc inuectum in familias ipsas exitiale dissidium, interque eos, quos par coniugij nexus astringebat religionis inducta imparitas, & in coniugibus ipsis iniuges conspectæ sunt mentes.

Hæc tum per se, tum per emissarios suos Galliæ vniuersæ damna importabat Caluinus; cùm Anno 1538. in eundem tot tempestatum autorem repentina conflatur procella; delatus enim cum Guillelmo Farello fuit, reique acti ambo, quod perperam de Christi Diuinitate, & Sanctissima Trinitate sentirent, tum quod Geneuensibus azymū postulantibus, fermētatum obstinatissimè panem in cœnam obtruderēt, atq; hinc cōtigit, vt pascha suū absque manducatione solenni Geneuenses peregerint, quod indignè tulerunt ciuitatis primores; quamobrem noui illi reformatores cum fermento suo solum vertere iussi sunt additis ignominiæ notis tanquam aduersus impostores sacrilegos. Caluinus imperatum sibi exilium ægrè ferens Argentoratum secessit, cui docendi statim commissum est munus, tradita etiam synagoga diuersarum prouinciarum hæreticis constans, qui pœnarum metu in patrio solo sibi infligendarum eò tanquam ad asylum confugerant, atque vt quod verbis & scriptis astruebat, cœlibatum à secta reiiciendum exemplo ipse suo sanciret, anabaptistæ viduam Buriam nomine duxit. At coniugale iugum solum fuit, nullus ex eo fructus prodiit; & optandum illud magnopere erat, ne gehennæ filios consimilem olim parituros fœtum procrearent.

Caluinus cur Geneua pulsus?

Vxorem ducit.

Geneuam repetit.

Post trienne toleratum exilium Geneuam Caluinus remigrauit, quam specie recusantis flagrantissimè concupierat, reliquum vitæ inibi imperitando consumpsit, sed non absque grauissimis vt corporis morbis, ita & ægritudinibus mentis, cùm foris lacerari se scriptaque sua ac Parisiis præsertim non ignoraret; cùm certior factus esset pestilentem hanc quam Regi nuncuparat institutionem seuerè prohiberi, quin & in bibliopolas inquiri iussum, qui execrandum opus aut typis ederent, aut editum seu clàm siue palàm diuenderent. Quanti rum æstus in arrogantissimo hæresiarcha, dum per theatrum Galliæ totius nobilissimum cum æternis infamiæ notis traduci se multorum è literis cognosceret, Hic Franciscum Regem, quem

Eius institutio prohibetur.

missis ad eum libellis corrumpere adnitebatur, infensum tunc habuit, acriorem longè sibi suisque hostem expertus fuisset, ni Cæsarei in Galliam impetus regiis armis retundendi, Christiani verè principis vota retardassent, hoc præ omnibus optantis, vt Lutherianam & Caluinianam luem è Galliæ suæ finibus ante mortis appulsum extruderet, quæ tandem ei mors contigit Anno Christi 1547. ætatis 43. nondum euoluto. *Francisci I. obitus.*

Vir fuit variis tum corporis tum animi dotibus præstans, regium semper esse putauit literas adamare, eorumque studiosos ornare, cohorte Palladia tanquam satellitio succinctus, instructusque, quò augustior aliorum Regum fastigio prodiret in publicum, quare non mirum est, si eruditissimos virtutum suarum præcones nō paucos habuerit; tot animi corporisque dotibus, vna (quod aiunt) defuit fortuna, aduersus cuius minas & impetus inuictam mentem præstitit semper. Henricum eius nominis secundum successorem habuit, hæredemque inflammati in Cæsarem & hæresim odij, quæ vt absumeretur pestis, accensæ à Francisco Rege, vehementiùs sub Henrico filio exarserunt pyræ. Verùm aliquot hæresis, hydræ in morem repullulantis capita, quæ flammis exempta fuerant, quà incitatioribus sibilis, quà potentioris veneni profusione non infimæ tantùm plebis quisquilias, sed & primores aliquot regia cognatione illustres in sectæ partes traxerunt, quod lugebis lector dum leges, luctuosissimi namque temporis imaginem literis consignare iam molior, in quo Galliam eò miseriarum prolapsam intueberis, vt hanc aut Caluiniana lue imbui totam oportuerit, aut ad pestilens hoc abolendum virus, ignem excitare Gallorum corporibus enutriendum, qui impiæ huic falsorum dogmatum nouitati tenaciùs adhærebant. *Eius dotes: Henricum filium successorem habuit. Luctuosissimum Galliæ tempus.*



HISTORIA HAERESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ

SVB HENRICO SECVNDO REGE.

LIBER SECVNDVS.

Ab Anno Christi 1547. *ad Annum* 1559.



ENRICVS Secundus maturam cum virili ætate virtutem ad Gallicum Sceptrum attulit, quod multis iam annis & tractari viderat à Patre & tractauerat ipse; quare mœroris plurimum ex obitu Francisci concepti abstersit idoneus ad imperandum successor & hæres 29. iam natus annos, caruitque sensu doloris plaga, quæ eodem, quo inflicta erat momēto, coaluit. Patris cadaueri regio planè luxu parētari Rex iussit addito sepulchrali moli emblemate, quo signata Francisci de Heluetiis Mariniana parta victoria, & iure quidem poterat aut æri aut marmori regiam Patris inscribere fortitudinem, inuictamque semper etiam dum vinceretur cōstantiam, vtinam Regi

Henricus II. natus 29. an.

Iusta Patri exoluit.

optimò comitem fortunam aut felicitatem addere licuisset iniquis etiam Principibus plus nimio sæpius suffragatam.

Administros nouos legit. Mutato Galliæ capite, præcipua quoque corporis totius mutata sunt membra, pérque alios Rex in Galliæ corpus vniuersum influere cœpit, quàm quos consiliorum suorum participes, & voluntatum administros Franciscus habuerat. *Mommorancius & Guisius in aulam reuocati.* Reuocati nempe in aulam Annas Mommorancius Comestabilis, & Claudius Guisius, qui ex aula submoti, gratiâ quoque Regis exciderant. Quorsum autem priuatam agere vitam & à regni curis semotam iussi fuerint, variæ a variis afferuntur causæ. *Cur semoti ex aula fuerant?* Angebat sanè Franciscum Regem nimia Mommorancij credulitas tum maximè perspecta, dum Carolo V. liberum per Galliam iter postulanti faciliùs auscultarat, atque idipsum vt concederetur, persuaserat Regi; quasi non satis intelligeret haud cautè satis agere illos, qui serpenti clàm irrepere paranti sinum aperirent, & sanè si minùs tortuosum aliquid aut versatile Carolo inerat, rara certè in eo elucebat prudentia, atque vt id quod postulabat, assequeretur, non pertentarat Regis animum exulceratum quippe recentis cladis vulnere, quod in Papiensi pugna acceperat, sed primarij Galliæ totius administri mentem expugnandam esse duxerat, haud ignarus eodem se telo regiæ voluntati labem impressurum, etenim Regum continuos peruicisse, & Reges ipsos inflexisse iuxtà esse putatur. *Expugnantur Reges per aulicos.*

Non desunt tamen, qui Mommorancio telam hanc ordiri conatam Annam Pisseleam Stamparum Dominam asseuerent. Alij verò aulæ genio totùm id tribuunt scenicis huiusmodi ludis assuetæ, idque tum Regibus, tum aulicis ludicri genus non inutile, imò & interdum necessarium astruunt, Regesque congruenter Majestati facere, dum hos in altum euehunt, alios de culmine dignitatis exturbant; quia Regum gratia hoc locupletior esse videtur, quò in plures spargitur, & aulici, dum alternantis circumactum fortunæ in aliis deprehendunt, eniinverò castigant præfidentiores spiritus, cautiùs & moderatiùs agunt, inter gratiam odiumque Principis punctum duntaxat temporis vnicum interfuisse in aliis experti. *Aulæ Genius tragicis ictibus affinis.* *Aulici sapere docentur.* Mommorancij, qui Comestabilis & Maior domus erat inopinus ex aula secessus variè à Magnatibus acceptus, quem tamen magnus hic vir conscientia fretus non tulit indignè, & congruum est, vt interdum apud se habitent & fruantur seipsis Proceres, sic publicis implicandi regni negotiis, vt ex iis explicare se valeant. *Vtilis interdum ex aula secessus.*

Guisium ex aula submouerat non moderatum satis (vt aiunt) pro religione studium, nam inscio Rege lectos in Gallia milites in Germa-

niam aduersus Anabaptistas destinarat, opus sanè omni præconio dignum, nisi Regis nutui anteuertisset. Hi ergo à Francisco Rege ab aula exclusi, ab Henrico filio reuocantur in aulam, tum quia ambobus consueuerat puer, creueratque eum ætate regius in eos amor simul & æstimatio virtutis, quâ in Gallicarum rerum administratione pollebat vterque; tum vt è noua hac facie in Galliam inducta nouum etiã imperare Regem omnes intelligerẽt, qui à patre quidem regnum, nõ verò à quibus ipse regeretur, cõsiliarios accepisset, quos ideò ex aula eiecerat, ne cum his crederetur etiamnum regnare Pater, nõ Filius. Hi ergo vt in aulã reuocarentur, ex eadem exacti sunt Claudius Annebaldus maris præfectus, & Frãciscus Cardinalis Turnonius singulari ambo prudentia clari necnon politicarum rerum vsu illustres, huiusmodi sanè de quibus affirmari iure id poterat, non posse eos propter sapientiam errare, nec etiam velle ob summam in regnum beneuolentiam, nobilitate tamen & opibus Mommorancio & Guisio inferiores erant, quæ duæ potissimum res primariis regni administris suffragantur sæpiùs, dum maiorem iis auctoritatem conciliant; obsunt verò sæpissimè, dum nimiæ in iis potentiæ suspicionem apud Reges ingenerant, vnde repentini Procerum casus existunt, dum ablegare mauult Princeps quos in culmen euexerat, quàm riuales pati eosdem, & cum iis partiri imperia. Atque id Mommorancio & Guisio haud parum in Francisci Regis aula nocuisse comperio, sed à Francisco fastiditi inuenere Henricum sibi verè secundum, cuius gratiam obsequio, fide, prudentia cæterisque virtutibus emereri conati sunt.

Carnouetius aulam Rex administros induxerit.

Annebaldus & Card Turnon. ex aula eiecti.

Rara eorum prudentia.

Obest sæpè, & prodest Auitiorum potentia.

Porrò varia vtriusque indoles, geniusque dispar elementorum pugnantium in morem Orbi Gallico pacem inuehebant, è discordi vtriusque concordia exortam. Prouecta iam ætate Mommorancius collectâ ex longo prudentiâ conspicuus cultores sui complures nactus erat, quin & Rex ipse cano iam capiti assurgere visus, & quam subdito non debebat, deuexæ subditi ætati exhibere non semel reuerentiam. Contrà verò intensiorem Guisio iuueni Rex impendebat amorem, quîcum congredi & colludere sæpiùs consuerat, illi quippe & oris & sermonis lepórem afflabat efflorescens ætas; milites autem iteratis largitionum profusionibus haud difficulter alliciebat, qui vires ei vitamque deuouebant, ne frustra merita spargere videretur. Pugnabat ergo vterque pro deuinciendo sibi Regis animo, & cùm duo pugnarent, vterque victor extitit, ex æquo enim ambobus impertiebat se Rex: sed procedente tempore Regis mentem erga Guisium validiùs inflexit Diana Valentinensium Dux liberali

Varia Mommorancij & Guisij indoles.

Mommorancium Rex colebat. Vehementiùs Guisium diligebat.

Diana Regem erga Guisium inflexit.

facie, non vulgari ingenio, ideóque Regi percara, cui Rex aliquid oranti pronas semper aures, proniorem ad indulgendum voluntatem exhibuit. Dum magni illi viri priuatis augendis rebus certatim instarent, mutua pro negotiis publicis próque tuenda Romana religione studia coniungere non intermittebant, huic quoque rei strenuè allaborabat Rex, qui sectarios pessimè oderat paternis edoctus exemplis; atque hinc factum, vt seuerissimis in eos edictis detonuerit, Iudicibus variis tum sacris tum profanis, tum constitutis religionis censoribus, qui vigiles in id vnum curas intenderent. At cùm feruerent maximè electorum Iudicum tribunalia, inter Ecclesiasticum & sæculare forum exorta sæpe dissidia referunt annales; cùm definiendas religionis causas vendicarent sibi Ecclesiastici, reis verò pœnas irrogare penes se esse sæcularis Magistratus assereret; è mutuis huiusmodi rixis crescebat audacia sectæ, dum noxia morborum remediis cunctatio afferretur; maximam enim peccandi habet illecebram impunitatis mora.

Edicta conduntur in hæreticos.

Noxia impunitatis mora.

Principio, Franciscus Oliuarius regni Cancellarius, & doctrinæ, & religionis laude conspicuus seuerissimas pœnas in eos statuit, qui diuini Numinis Maiestatem, & sacra Augustissimæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctorúmque nomina ore sacrilego contaminarent: & quia sparsis etiam libellis præcipua impugnabantur Christianæ religionis mysteria, cauit prudentissimus Vir, ne è Germania, aliisque locis sectæ contagione pollutis exportati libri diuenderentur, aut typis denuò mandarentur absque Theologicæ Parisiensium scholæ recognitione, accurata censura, eorumque ad quos pertineret, concessu. Eximium hunc virum nemo condignè satis prædicet, quia omni maiorem præconio, qui regiam parum se rem curaturum in animum induxerat, nisi maiores in religionis tutelam curas deriuaret. Insereretur vtinam Procerum reliquorum mentibus decerptus ex hac oliua ramusculus, quò vberiores pro eadem religione baccas progignerent Atque hæc ab Oliuario gerebantur, nec illo segniùs Rex, imò tantò expeditiùs, quantò potentiùs religionis negotia procurabat, inaugurationis suæ haud immemor, cuius ad solennia persanctè iurarat huiusmodi se nouitiorum figmentorum fæces & religionis corruptelas abacturum.

Oliuarius Cancell. pœnas in Hæreticos statuit.

Prohibet ne libri hæretici in Galliam afferantur.

Oliuarij laus.

Studium Regis pro religione contra sectarios.

Anno itaque 1548. Iudicum concessum extra ordinem constituit Rex contra sectarios, à quo quidem tribunali complures carnifici cruciandi traditi sunt, & perterruit aliquos conspecta

Qui supplicio afficiuntur.

pœnæ præsentis imago, futuræque si paria auderent, periculum; sed vt turbidi Cæli non diuturna est facies, & post inductum aëri serenum, redeunt institutum ad opus mortales; ita euanescentibus sensim suppliciorum minis intermissa nouæ religionis studia resumebant Hæretici, quos vt arctiùs premeret anno 1551. ser etum Rex edictum apud Castellum Briennij, quæ Britanniæ minoris arx est, in sanctiore consilio edidit, quo promulgata olim contra sectarios renouabantur, & iudicibus etiam præsidialibus summa aduersus eosdem iurisdictio absque prouocatione tribuebatur, aliæque multatitiæ addebantur pœnæ, quò euelleretur hæc opinio nonnullorum animis insita ob enatam inter Iulium III. Romanum Pontificem & Henricum Regem discordiam, toleratum iri ab Rege religionis dissidium; quasi verò politica cum sacris ita cohæreant, vt si quæ ab vnis iurgia conflari solent, in alia continuò diffluere debeant. Discordes Pontificis & Regis animos subsequuta breui pax colligauit, nec enim tam in Christi Vicarium quàm in Cæsarem pugnabat Henricus, qui Cæsar occupatâ iam Placentiâ, Parmæ quoque minas intentabat; & & Octauio Farnesio vrbis vtriusque Domino tantò impensiùs succurrendum esse Rex duxit, quantò exploratius erat vniuersi hostilis exercitus molem in Comitem Mirandulanum Galliæ fœderatum versuram, cui validam opem afferre regiæ fidei intererat. Rex autem dum in Pontificem arma corriperet, aut potiùs corripere videretur, adeò non pugnabat contra religionem, vt eius conseruandæ causa sectarios renouatis edictis potentiùs attereret, quorum, dum vltricibus flammis exurerentur, intuitu non semel frui voluit, ferale hoc spectaculum Christianissimi Principis oculis haud indignum ratus, sectam vniuersam vnà cum membris suis sic interituram augurabatur, sed non vnum tantùm, sed plura capita huic Hydræ inerant, quæ ferrum, flammasque Gallici huius Herculis elusferunt.

Edictū Castr Briennij.

Sacra non cohærent cum Politicis.

Rixæ inter Pontificem & Regem cōposita.

Nō pugnabat Rex contra religionem.

Hæresis multorum capitum hydra.

At dum ferrum Parisiis in perduelles acuitur, pyræque in eosdem accenduntur, recens è Caluiniana prodiit disciplina sectæ propugnator Theodorus Beza, qui circa annum 1550. scripta edidit, seu Epigrammata priapea, non tam acuminibus, quàm salacibus Cupidinis telis instructa, in quibus inuerecundi vatis huius expressus est graphicè genius; cùm mores inter & stylum nihil magnopere intersit, quanquam non clàm habuit infixas medullis libidines hæresiarcha impurus, sodomia & pæderastia infamis; ideóque vt Senatus Parisiensis pœnas ab eo reposcentis tribunal deuitaret, Geneuam perfugit, tutam flagitiorum & flagitiosorum omnium statio-

Theodorus Beza.

Poëta infamis.

Pœnarum metu Geneuam fugit.

Eius Candida. nem, vbi, quod lubebat, liceret; sed non absque Candida sua eò maturauit proficisci, quàm è vili sartoris officina eductam, & Sotadeis carminibus decantatam, incantatam potiùs secum duxit. Atque hæc primordia sunt inquinatissimi vatis & corruptissimi postmodum Theologi, cuius in Theologicis insanias seu furores, furere namque dicuntur Poëtæ, huc afferre pretium operæ est.

Blasphemiæ aduersus Deiparam & Cælites. Et immaniter furere visus est in castissimam Dei Genitricem Mariam, cuius mores integerrimos impurus ganeo auersabatur, eodem in Cælites reliquos odio perfurebat, quibus quotidianum bellum indixerat, partem in sorte Sanctorum haudquaquam adepturus, dum quotidianis eos maledictis proscinderet. Quin & ausus vilis & despectus homuncio ipsam Numinis Maiestatem aggredi, dum supremam ei potestatem adimere niteretur, futili hoc vsus argumento, non esse Omnipotentem Deum, nisi ad peccatum impulsor esse possit, imò & peccatum ipsum admittere. *Deum Omnipotentem negat.* Ad hæc, commentitia pleraque congerebat fanaticus vates, non Theologus, contemptor Numinis; immodicus æstimator, cultorque Caluini, quem vocat *irreprehensibilem Prophetam, os Domini, maximum totius vniuersi lumen ad dirigendam Ecclesiam.* *Caluino laudes ineptè aggerit.* Quin & in Eucharistica re Sanctis eundem Patribus, antiquis Doctoribus, ipsis etiam Apostolis & Euangelistis anteponit, dum spretis tot Ecclesiæ luminibus impudenter asseruit *Caluini esse post Deum decisionis honorem.* Hæc impium vatem affirmare non puduit, quem non Entheum dicam, tametsi Poëtarum se choro immiscuerit, Atheum potiùs appellabo, aut cum Tilmanno Lutheriano Epicurum vni litantem abdomini, non Deo, quem ignorasse videtur, aut si nouit, contempsit. At quoniam in encomiasten incidi tam prodigè in Caluini laudes effusum, non dimittam hominem, quin priùs Caluinisticæ doctrinæ datum ab eo specimen retulero.

Edmundi Campiani & Bezæ de religione pugna. Edmundus Campianus Societatis IESV Sacerdos vir peræque doctus & sanctus; illustrisque generoso, quod in Anglia patria consummauit, martyrio; cùm Româ digressus Angliam repeteret, extorrem in amplissimum regnum religionem reuecturus, Geneuâ cum sociis transiit, & à Geneuensibus, quin & à Beza ipso Caluinianæ factionis principe acceptus perhumaniter est. Post mutuas ergo salutationes acceptas redditasque, pugnæ fecit initium postulatum istud. Ecquod tandem Beza censeret inter Lutherianos & Caluinianos dissidium? nullum omninò censuit Beza; aut si qua inter illos religionis dissidia viderentur, hæc adeò leuia asseruit, vt sequestro, qui hæc componeret, non magnopere indigerent. Tum Campianus in con-

similibus pugnis minimè tyro. Ain tu (inquit) leuia inter eos esse circa religionem diuortia. Ergo ipsa Ecclesiæ Sacramenta inter modica ponere non erubescis, de quibus magna semper fuit, restatque etiamnum dissensio, seu Sacramentorum numerum species, seu eorum vim aut originem, aut tradendi, accipiendique disciplinam. Hærebat his auditis Caluinianus Theologus, suppudebatque hominem hospitalem ei domum aperuisse, qui sub attrito laceroque pallio non trita Philosophiæ, Theologiæque sensa contegeret. Hic ergo, ne vltra progrederetur Edmundus, eius orationem præcidit aduocatâ confestim, quam familiarem habebat, paribus in periculis calliditate. Ergo mussante aliquid Beza, aut tussiente, aut nictante, adest continuò Candida cum literarum fasciculo, quem è Gallia recentem affirmat; accipit Beza, resignat, tacitus literas inspicit; silent hospites, & legentis, aut legenti similis nutus omnes cautè obseruant, ille interea ad singulos ferè literarum apices frendere, fremereque, diras in Henricum Guisium iacere, eum esse qui concussam tot motibus Galliam ad exitium vocet, turbari per eum publicam regni florentissimi pacem, violari sanctitatem, religionem extingui. Subridebant interim hospites, dum simulatâ in religionis tutores iracundiâ, pudorem ob inscitiam proditum conuelare satageret. Finem ergo disputationi attulit, commodúmque aduenit hæc Candida, ne inter nefastos dies atroque calculo notatos censeretur hæc dies, fecitque literarum simulatio, ne illiteratus omninò nouus hic putaretur esse Theologus. Verùm prostrata semel obmutescere nescit ignorantia, quod de Beza in historiæ huius progressu affirmare licebit.

Hæret Beza conuictus.

Patrocinatur Candida.

Ignorantia nunquam muta.

Neutiquam profectò elinguis erat in Gallia hæresis, dum augustissima religionis nostræ mysteria quotidianis cauillis incesseret, aduersus quam Paulus IV. Pontifex Maximus Borbonij & Lotharingi Cardinalium curas & studia concitauit, amplissimam iis de nouis dogmatis cognoscendi, eorumque cognitores & iudices constituendi potestatem impertiens: nec dissentire visus Rex est, imò & peruigiles Pastoris optimi curas collaudauit, qui è tam remota specula inhiantes caulis Ecclesiasticis lupos obseruaret, coerceretque, delectos tamen à Cardinalibus hæreticæ prauitatis censores à Senatu regio ratos haberi voluit. Atenim impigros Procerum Ecclesiasticorum conatus facilè peruincebat hostis Tartarei fraus, dum obseratis per tot edicta, per regias minas, per Hæreticorum pœnas nouæ sectæ ianuis, huic tamen aliunde irruenti aditum aperiret, & aperuit sanè occasione belli, quod in Prote-

Paulus IV. Cardin. Gallis curam religionis committit.

Censores contra hæresim lecti.

Occasione belli, quod in protestantiũ.

stantium Germanorum gratiam aduersus Carolum V. Imperatorem suscepit Henricus Rex verius, quàm gessit, cuius rei seriem paucis enarrabo.

Bellum à Rege susceptum in Carolũ V.

Per hæc tempora Cæsaris nomine ab Hurtado Mendoza violenter pleraque mouebantur in Italia, & ab ipso Cæsare durissima in Germania exercebantur imperia, qui Lantgrauium Hessium in carcere attineri iusserat interponentibus se Principibus viris Mauritio Lantgrauij genero, Brandeburgico electore, necnon Christierno Daniæ Rege; atque ob id decreta est à Protestantibus Germanis ad Henricum Galliæ Regem legatio, delectis qui hunc adirent, opemque vnà poscerent Alberto Brandeburgico, & Philippo Lantgrauij filio. Hi durissima (sic enim loquebantur) Caroli Austriaci tyrannide vsque eò premi se querebantur, vt omni planè libertate carerent, aut propediem cariturí essent, carcerem item & suppliciorum intentari minas, quin & supplicia Principibus destinari viris expostulabant, datos in vincula Saxoniæ Ducem & Philippum Lantgrauium, exemptos illos quidem carnificis gladio, cui tantùm non ceruices supposuerant; sed necdum à furore Cæsareo tectos, Austriacam satis diu toleratam arrogantiam, quæ per depressa & proculcata Principum etiam capita in sublime nitatur; itaque Protestantium Principum nomine auxilium petere se à potentissimo Rege aduersus Austriacum, cuius ipse calliditatis & ambitionis ignarus esse non possit, quippe toties à fœdifrago (vt aiebant) ludificatus, toties infesta eiusdem arma expertus. Quod si protestantium votis annueret, offerre se illi Principum nomine contestabantur speciosum Protectoris Imperij titulum, quo regias alias appellationes accumularet.

Legatio ad Regem.

Protestantiũ querelæ.

Regi protectoris nomen offerunt.

Rejici à Rege debuerant.

Cur iis opem spoponderit?

Hic antiqua Regis pietas hærere & titubare nonnihil visa, quam labefecit oblata vlciscendi Caroli infesti Galliæ hostis opportunitas: nam cum iniusta Hæreticorum postulata aspernari iure debuisset Christianissimus Rex, iis & aurem accommodauit & manum, hac fretus spe in regia Protestantium, quam apparabat, tutela, certissimam Cæsaris inuoluendam esse cladem. Et certè priuata in Carolum Regis odia aut extinguenda omninò aut premenda potiùs fuerant, quàm vt iis exsatiandis labem aliquam religioni inferret, verùm si quid hac in re priuati Senatus consilio peccare visus est Rex, haud absque exemplo peccauit, is enim ipse, quem adoriebatur, Carolus, qui vt Catholici nomen impleret, consilia sua ad rectum, aut recti speciem aliquam exigebat, fœdus cum Henrico Angliæ Rege percusserat à fidelium cœtu Pontificiis diris expuncto, vt atroci inexpiabilique in Gallorum Regem indignationi seruiret. Verùm ne quid à recto decrem,

Caroli exemplo peccauit.

deerrem, nec sic quidem Henrico peccandum fuit, virtutes enim etiam quæ in hoste promicant, Principibus in exemplum trahendæ sunt viris, hostilis verò nunquam æmulanda est impietas; virtuibus quippe certatur in vitia, nunquam verò flagitia à flagitiis rectè oppugnantur. Vires itaque protestantibus pollicetur Henricus, Galliæ suæ clades in Germania vindicaturus, & Cæsari Cæsarianos ipsos oppositurus; hunc in Germaniam proficiscentem primaria comitatur regni nobilitas, laudi sibi fore rata, si Cæsar ille qui tot tamque remotis gentibus nominis sui terrorem intulerat, in patrio solo frangi posset, aut trepidare saltem condisceret. Præcipui qui Regem hac in expeditione comitati sunt, hi potissimum à scriptoribus referuntur Antonius Borbonius Vindocinēsis Dux cum Ioanne Enguiennensium Duce, & Ludouico Principe Condæo fratribus, Ludouicus Monpenserius Dux, Guisius item & Aumalius Duces, Rohanius & Rupifocaldius Comites, aliique magno numero vniuersa è Gallia Proceres lecti, sic vt non arma tantùm Gallica, sed & Galliam ipsam Rex in Germaniam transportare videretur, Catharinâ Medicæâ Coniuge Regni gubernatrice relictâ.

Sed vitia in æmulationem non cadunt.

Regem comitatur Gallica nobilitas.

Recensentur nobiles primarij.

Ibant itaque selectissimi Heroes non ad aureum vellus, sed aduersus aurei velleris Torquatorum principem, vias omnes, per quas incedebant, laureis proseminantes & triumphis, Tullum enim & Virodunum præeunti Comestabili cesserunt, eidemque, quanquam ægrè admodum, Diuodurum Mediomatricum portas aperuit, intrantemq; Regem magnâ pompâ excepit, sublatis etiam Cæsareæ dominationis insignibus, detractæ enim aquilæ cum Herculis columnis, quas in Cathedrali Metensium templo Carolus inscribi iusserat cum hac epigraphe *Plus vltra*, suffici iussit Hēricus ternas easque implexas crescentis Lunę effigies cum hoc titulo *Donec totum impleat orbē*; atq; ita cum deraso Cæsaris emblemate, eius quoque Metenses imperium eiurarunt. Continuatis in itinere victoriis ad Rheni ripam cum ingenti Gallici exercitus mole Rex appulerat, omnesque Germaniæ ciuitates repentino perculerat metu, cùm in quem destinata iam tela distringeret, nusquam repertus est hostis. Nam cùm Rex Herbipoli esset, ad eum missi sunt à Protestantibus, qui eiusdem arma conciuerant, Germani Proceres, qui ob pronam ipsius in Principes voluntatem immortales gratias agerent, omnium ei mentes & studia pro suscepta hac expeditione deferrent. Cæterùm rogari se pateretur ab omnibus, ne quid hostile contra Cæsarem attentaret æquas iam in conditiones, vt persanctè iurarat, descensurum, vinctisque Principibus veniam & libertatem concessurum; frueretur interim Rex partâ sibi recens

Signant iter laureis.

Cæsareæ columnæ & Plus vltra disiectum.

Henrici Regis symbolum.

Expeditio irrita.

Pax inter Cæsarem & Protestantes.

gloriâ; hunc quippe vnum esse, qui solo armorum suorum terrore Imperatori tot partis victoriis tumenti altiores spiritus & supercilium terrarum multarum dominum gloriosè depresserit, & ad Protestantium tandem inflexerit vota. Conquieuit itaque Rex hac in gloria nullius hostis sanguine parta, gustauitque lubens tributum non Austriaco, sed Iulio Cæsari decus. Veni, vidi, vici.

An Regem decuerit hæc expeditio?

Tametsi amplissimam laudis segetem in pacato hoc Martis campo collegerit Rex, cumulatior tamen eius Gloria extitisset, ni labem ei aliquam aspersisset Protestantium tutela, quam sumpserat. Et sanè non rectè congruebat Christianissimo Regi Hæreticos Gallos iustis, prout meriti erant omnes, pœnis addicere, hæreticos verò Germanos complecti, & in tutandis his, illis verò excruciandis ambidextrum, hoc est parum constantem videri; sed quod Historico accusare fas minimè est, excuset vtinam in Optimo Principe misericors Deus, quem ideò haud obscuras iustæ in Galliam iracundiæ significationes dedisse interpretari iure quis possit; magnam enim hæresi in Galliæ prouinciis accessionem attulit Germanica hæc expeditio. Nobilitas quippe Francica ex assidua cum Protestantibus Germanis consuetudine, horum in mores facilè transiit. Obseruabat enim apud Germanos cuncta ferè naturæ genio indulgeri, proscriptam apud eos ieiuniorum sanctitatem, liberum quouis tempore prostare carnium vsum, audierat sæpius à Protestantibus, dum conuiuiorum crapulam exhalassent, neutiquam fraudi sibi futuram licentiam tantam; quippe qui conscientia sua freti, nihil bonis operibus tribuendum esse putarent, fidei verò vni cuncta adscriberent; satis eum operari qui crederet, abusum esse Papisticæ confessionis vsum, & cætera talia garriebant non repugnantibus, imò mentes auresque lætiùs accommodantibus Gallis, Atque hinc factum est vt Gallos in patrium solum reduces Germanicarum ollarum, offarumque proritarit orexis. Et quia hominibus in fide iam nutantibus mirum in modum sapida videbantur hæc corporis oblectamenta, placuit & quæ illecebras huiusmodi probaret impunéque obtruderet hæresis, quæ à Germanis per literatos primò viros sub Francisco I. vt ostendimus, in Galliam inuecta est, ac deinde aliquot post annos à proceribus Gallis, quòd cum Germanis consuescent hæreticis, confirmata altiores longè in Gallia radices egit; sic quam nimia sciendi cupiditas animorum pestem in Christianis-

Licentiores protestantium mores in Galliam inuecti.

Quomodo roborata hæresis?

ſimo regno genuit, hanc immoderata eſculentorum appetentia roborauit.

Haud exiguum etiam ſectæ incrementum acceſſit è diuulſis Principum nonnullorum animis, diſcrepantibus ſtudiis, & quæ pugnantes horum ſententias comitantur, factionibus crebris, quæ regni penè totius ſtatum conuulſerunt, quæ quò planiora legentibus fiant, altiùs omninò repetenda ſunt. Carolus Borbonius cùm certis indiciis deprehendiſſet hoſtiliter ſe à Duprato Cancellariò peti, Regis in hoc iuſſa exequente, acerbiſſimè tulit Principem ſe, tantæque altitudinis virum, regiæ iracundiæ ſcopum eſſe propoſitum, quare cùm dolor rerum æſtimator plerumque iniuſtus ſit, & nemo ferè, dum iraſcitur, vtile conſilium capiat, hominis inſaniâ furentis mentem induit, ſtatuitque perdere, ne periret ipſe prior; in patriam itaque & in Regem ipſum arma conuertit, ad Hiſpanos enim defecit, & dum Ticinum obſideretur, in armis conſpectus eſt, quo tempore Franciſcus I. eſt captus. Sed qui priuata odia multorum ſanguine ſaturare maturabat, vltorem ipſe, quod minimè cogitabat, expertus eſt Deum, cùm aduerſus Clementem VII. Cæſarei ductor exercitus bellum promoueret, admotis enim ad vrbem Romam copiis dum pugnaciores inter milites murum conſcendere niteretur, ferrea glande traiectus miſerè periit, ſic Auguſtiſſimum Borboniorum nomen duplici notauit infamia, quod aduerſus Chriſti Vicarium, ac Vnctum Domini Regem tam ferociter inſurrexiſſet. Num Franciſcus Rex conſultiùs egiſſet Regij ſanguinis Principem indulgentiùs habere, quàm tractare ſeueriùs, viderint politicarum rerum periti, dum id conceſſerint altius ſemper Principum in mentes iniurias à quocunque acceptas deſcendere. Regios penè animos in ſemetipſis alunt, qui Reges affinitate proximè contingunt, quamuis longè impares ſint Regum potentiæ, & quod mente concipiunt, eniti minimè poſſint.

Carolus Borbonius à Rege cur defecerit?

Eius cædes.

An mitiùs tractari debuerat?

Principum iniuriæ æternæ.

Interea quidquid Carolus Borbonius delirauit, reliqui tunc luére Borbonij; tranſeunt enim in familiam crimina ab vno aliquo admiſſa, & occulta contagione ſerpunt in conſanguineos omnes, hæc ſi præſertim regiam Majeſtatem violarint. Quare ſemoti ab aula Borbonij priuatam vitam agere non repugnanter incipiunt, quietiùs apud ſe habituri quàm in ſtrepitu aulæ, ſimul & Caroli nomen execrantur, expunguntque è familiæ Principis faſtis. Et quidem rerum ſuarum inclinationem ſedatè ferebant, dum æmulos non haberent; ſed quia inuidia more ignis

Mulctantur Borbonii reliqui.

Excunt aulâ.

fummã petere folet, vbi in primarias aulæ dignitates Guifios admitti animaduerterunt, fe verò Regis agnatos contemni, domefticos è gradu deiici fibi iure natalium debito, euocari peregrinos; enimverò pupugit eorum mentem acriùs quàm credi pofsit fortunæ fic alternantis ingratiffimus ludus, auditique fic conqueri. *Ergóne tã duriter haberi nullius noxa cõpertos Regis domesticos & cõsanguineos nõ modò patiatur Rex, sed idipsum vltrò imperet, obsolescere iam Borboniorum amplitudinem sinat, Guisiorum efflorescere auctoritatem, cùm hi iunctis cum regia domo connubiis ad honorum culmen aspirent. Quid iam Galliæ restat, nisi vt seipsam ignoret, aut aliud in corpus transmigret dominante capite peregrino, Quàm abhorrens id est à Borboniorum Principum dignitate, Lotharingorum expectare, atque pati imperia! non pollutum vnius Caroli culpâ Borboniæ gentis sanguinem totum, vigere adhuc in nepotibus eximiam illam Borboniorum veterum fortitudinem, qui per decoras cædes deficienti regni Gallici statui pristinum vigorem infuderunt; non inane transmißum eße sibi Borboniorũ nomen, transmißa namque pariter sibi altißimæ stirpis decora; audendum itaque nunc aliquid Maiorum virtute dignum, comprimendam Guisiorum potentiam non Borboniæ tantùm genti, sed & regno toti infestam.*

Se Guisiis postponi queruntur.

Nec emiffa temerè fuerunt hæc verba; arma namque fine mora corripiunt non tam in Regem, quod palàm conteftantur, quàm in Guifios, aut potiùs in aduerfantem fibi ludificantemque fortem, quam cùm nec placare fibi poffent, nec Regem, nec Superos ipfos fibi infenfos, Acheronta mouerunt, imploratis hæreticorum viribus, atque ita fectæ nafcentis opibus communientes fe fe, fectam pariter ipfam roborarunt; quæ certè religioni Catholicæ infefta admodum plaga fuit, hiatque peftiferum adhuc hoc vulnus ab inuidia natum, infinitorum penè Catholicorum fanguine tinctum, nondum tamen elutum. Tam illuftres nacta fautores perduellium fecta maximam veneno fuo ineffe vim ex eo præfertim intellexit, quod principes etiam ipfos de mentis fanitate deturbet, quare Procerum reliquorum in mentes illapfuram facilè peftem credidit, aggrediendos itaque è primariis Aulicis aliquot, qui incrementum aliquod nouæ opinioni afferrent. Nec in caffum vota conatufque cefferunt; Nam è nobilibus plerique nouam hanc religionem probro fibi haudquaquam fore putarunt, quæ à regiæ ftirpis principibus commendationem acciperet, hanc è for-

Arma capiunt.

Auxilia petunt ab hæreticis.

Nobiles plerique hæresim amplectuntur.

dibus plebisque quisquiliis eductam in illustri iam theatro positam esse iactantes, vnde non conspici tantùm sed & radios partes in omnes diffundere posset. Ex hoc tempore frequentiores sunt habiti cœtus, cœnæ vsurpatæ crebriores, & alia falsæ persuasionis mysteria longè audaciùs peracta, quanquam hæc clàm fieri putabant esse consultius, ne censores super hoc Regis oculos læderent, cui hæreditarium Caluinianæ pestis odium à Francisco I. vna cùm regno transmissum fuerat.

Clandestina eorum sacra.

Accedebant ergo Magnates non pauci ad Caluiniani dogmatis nouitatem; & Franciscus Colignius Andelori toparcha cùm interrogaretur à Rege, ecquid de Maiorum suorum fide sentiret, impiam hanc vocem emisit; quidquid apud Catholicos sanctius, ac maiori religione vallatum foret, totum id horrori sibi ac fastidio deinceps esse futurum. Exarsit illicò Rex ad sacrilegum hoc dictum hominémque illicò attineri & in custodiam abripi iussit, seuerius paraturus aliquid, ni Comestabilis interuenisset, melioris spem frugis puriórisque fidei in Nepote ostenrans, quæ spes in Colinio fluxa & euanida fuit: perdurauit enim in secta, sectæ caput futurus, & posthabitis sinceris Romanæ religionis frugibus, eandem semper ructauit glandem. Nempe frangas citiùs, quàm corrigas quæ in prauum induruerunt. Augebant præsertim sectæ sectariorumque animos Antonius Borbonius & Ioanna Nauarræ Regina eius coniux, hæc quidem hæreseos tenacissima, ille verò leuiter his erroribus tinctus, si his tamen aliquando imbutus fuit; quos tandem meliora suadente Numine diligenter expunxit, nec poterat non esse Catholicus, cùm nullo mentis delectu, sed quadam vxoris contagione peccaret, vnde quam mox Euæ suæ dolos detexit, repudiauit.

Impium Andeloti responsum.

Conjicitur in carcerem.

Manet hæreticus.

Ioanna Nauarræ Regina hæresum columen.

Rex Nauarræ resipit.

Atque vt à Regiorum Procerum imò & Regum purpura ad Præsulum infulas stylus hic noster procedat. Proh inuerecundi temporis dedecus, etiam obscuratum est Pontificum aurum, Ecclesiæ cardines, columnæque Caluiniano flatu disiectæ, serpsit in ipsa Ecclesiæ capita sectæ venenum, præualuere pastoribus lupi, aut quod verius est Pastores immigrarunt in lupos, quorum funestissimum casum, vt maximè vellem, pallio conuelare non possem, cùm non in sipario peccarint, sed (quod vulgò dicitur) in orchestra; edam itaque eorum nomina, quæ in æternum dirarum argumentum posteritati subseruiant. Iacobus Spiphama Niuernensis Episcopus primus occurrit non multarum literarum vir, propendente ad libidinem genio in errorem inductus. Is misso nobili sponsæ, hoc est Ecclesiæ Niuernensi repudio, in infames

Præsules Hæretici.

Iacobus Spiphama.

scorti amores exarsit, quam vt culpam matrimonij nomine prætexeret, Geneuam ad Caluinum profugit prodigium incestarum nuptiarum laudatorem, hortatoremque perpetuum, à quo vrbanè acceptus, legitimúsque scorti maritus pronuntiatus Niuernum remigrauit nouæ religionis Candidatos verbo facturus & exemplo, quin & stricto Euangelij noui acinace Niuernensibus mortem comminari auditus est, ni sectæ fidem proponenti, imperantique sibi, omni sublatâ morâ auscultarent: At eundem in se conuersum mucronem infamis expertus est Apostata, despicatissimæ siquidem & contemptissimæ vitæ suæ probrosum sanè finem imposuit, perduellionis reus actus, ideóque Geneuæ capite imminutus, æquo sanè vlciscentis Dei iudicio, qui enim vt execrandis sese totum amoribus dederet, episcopalem sibi capitis amictum detrahi passus fuerat; par erat vt capite ipso multaretur, nullâ posthac pastorali mitra induendo. Si quòd Catholicorum partibus clam faueret (vt nonnulli affirmant) id supplicij genus pertulit, laudo sanè frugi factum hominem. Vtinam exploratiora forent, si quæ tandem edidit pœnitudinis indicia, quò de prodigi filij sui reditu Mater exultare, ac triumphare posset Ecclesia.

Sacrilegas nuptias init.

Gregem suũ corrumpere nititur.

Fœda eius mors.

Capite truncatur.

Hanc eandem religionis nouitatem cum Coliniis fratribus fouit impensè Odetus Cardinalis Castilionæus anno ætatis vndecimo Romanâ insignitus purpurâ, quam in immatura illa ætate sanctiùs longè gestauit, quàm dum excreuit in virum; datus quippe est in reprobum sensum, euectus in sublime, quò grauiùs proruerer miser; Ecclesiasticis auctus dignitatibus, quò peccaret illustriùs. De hoc plura & infamia non absque pudore accipiet lector, vt si egregia aliunde documenta, quæ imitaretur, hauserit, quod in Odeto fœdum & incœptu & exitu fuit, audiat, vt cuitet. His accessit Annas Burgus Diaconus cum Laicis plerisque non postremæ dignationis viris, quod vt planiùs edoceam, perbreuis hic inserenda videtur de continuandis, aut mitigandis hæreticorum pœnis disceptatio ante lugendum Henrici Regis factum habita, in qua, quod est apud Augustinum, Hæreticorum patronos misericordes crudeliter, & Romanæ religionis fautores crudeles misericorditer agnoscemus.

Cardinalis Castilionæus etiam desipit.

Annas Burgus Diaconus cum aliis deficit.

Consopitis quæ aduersus hæreticos antè parabantur vltricibus flammis, refrixerant pariter Procerum Catholicorum circa religionẽ studia, abrogatoque Castribriantiano Regis edicto efflorescebat in dies Caluinianæ persuasionis impietas. Hoc Magnates non pauci, hoc Rex ipse animaduertens succrescentem hanc pestem ferro exsecare, aut re-

nouatis flammis exurere in animum induxerat, ni mitioribus autem consiliis accommodare rogatus, curiæ præsides acciri iussisset, quorum consilio palabundi mali cursus inhiberi posset. Adfuere Ægidius Magister Senatus Princeps, Ioannes Sanctandreanus, & Ægidius Burdinus cognitor regius, qui omnes iustâ, vti censebant, contra sectam seueritate armati hæc in commune dixerunt. Neutiquam ferendam hanc esse putribus è Geneuensium lacunis hominum colluuionem emersam, ex editis sectariorum stragibus, Romanæ religioni vitam, pacemque comitem propagari, quòd Lutherus, primique Lutheri asseclæ indulgentiùs habiti fuerint, tot in Germania contra veræ religionis fidem, sacrosque Ecclesiæ ritus excitatas procellas, quas paucorum suppliciùm auertisset: si furcâ luisset Lutherus, expiraturam vnà cum Luthero fuisse hæresim, sublatis quippe de medio prauitatis satoribus, interire quoque pestiferum semen; Merindolianorum Valdensium reliquias, dum Lutherus aduersus Ecclesiam declamitaret, turbare aliquid ausas, Francisci I. iussu in latibulis suis fumo enectas, quadringentos Albigeos Philippi Augusti mandato vnâ & eâdem die ambustos, regium eos politicumque statum euertere, qui nouas religiones inducunt: quid fidei erga Reges ab iis expectandum magnopere, qui oblatam hanc solenni Sacramento Numini frangant, refringantque impunè? contundendas illas superciliosorum hominum ceruices, iis denique pereundum esse, ne malè religio pereat.

Sentiunt aliqui sectam non indulgenter habendam.

Merindoliani.

Albigeis.

Annas verò Burgus ex ea stirpe apud Aruernos Ricomagos oriundus, è qua sub Francisci I. tempora Antonius Burgus Franciæ Cancellarius prodierat, arbitrantium contra Caluinianos sententias parum Christianam lenitatem sapere obiectabat, mitigandas itaque aliquo humanitatis temperamento; Et verò morbum animo inhærentem curari ferro non posse, sed pia quadam institutione, quam studiosus errantibus sensim instillet Doctor; resecanda quidem gladio scelera; quæ in actum erumpunt, opiniones non item, ferro quippe flammisque imperuias; crudelitate exasperari malum, non tolli; ferrum, flammæ, proscriptionesque adhibeantur, morbus idem perennat diutius, ni fortè contumacior fiat. Addebat, alia omnia pro arbitrio Principis, aut Magistratus sanciri, solam imperari religionem non posse. Quasi verò Apostoli quò fidem hominibus insinuarent, grassati sint ferro; & per inflicta corporibus vulnera intromittenti sese veritati viam aperuerint.

Seueritatem in sectarios damnat Burgus.

Hæc dum audaciùs defenderet, suo se Burgus ore iugulabat; nam

Idem hæresi imbutus. sectariorum causæ non patrocinabatur magis,quàm suæ,hæresi iam ex longo corruptus qui post iteratas tergiuersationes, de religione tandem coram quæsitoribus respondere coactus, ad singula interrogata cùm ex Caluini disciplina responderet,à Bellaio Parisiensi Episcopo hæreseos damnatus ac renuntiatus est, sacris insuper exauctoratus,vindicibus rerum capitalium ad supplicium traditus est, vti mox referam; sed inde ad curiæ tribunal prouocans, elusus confestim est, quia parabat illudere, perfugitque ad Archiepiscopum Senonensem Metropolitanum. Dum variæ essent quæsitorum sententiæ, Burgum in carcerem conjici Rex imperat, quem paria de religione sentientes à lictoribus capti comitati sunt, quos inter Paulus Foxius, Antonius Fumæus, & Eustochius Porta viri in senatu magni, si sectæ contempsissent offucias. Quæ cùm aduersus sectarios in quæsitorum tribunalibus cuderentur; Regem oratum miserunt è Germania Lutheriani vt aliquid sectæ pro innata sibi clementia condonaret, neu quos ipsi fratrum loco ducerent, tot judiciorum laqueis irretitos perditum iret; vt discrepantes sunt, raróque consentiunt hominum mentes, ita quoque arbitrandum relinqueret omnibus, quod quisque sequeretur deinceps. Rex acceptis perhumaniter Germanis Oratoribus, præmioque donatis, Lutherianos, ait, conscientia fretos legationem hanc cum postulatis huiusmodi adornasse, se quoque quod conscientiæ leges commonerent, haud cunctanter esse facturum; quare nihilo mitiùs iudicia contra hæreticos exerceri Rex iussit.

Damnatur.

In carcerem cum aliis traditur.

Rex Protestantes Lutherianos rejicit.

Atque hæc dum impigrè curarentur, respiraretque post domitã sectæ portenta religio; interruptus eiusdem prosperè fluentis cursus est funestissimo casu, qui Regem ipsum perculit; ac cum eodem totam penè religionem in Christianissimo regno extinxit. Nam cùm circa annum 1559. Henricus Rex Isabellam filiam Philippo II. Hispaniarum Regi, & Margaritam sororem Philiberto Sabaudiæ Duci iustum in coniugium traderet, inter consueta regiarum nuptiarum hilaria, hastiludium est datum, periculosum sanè ludi genus; sed vix ludunt, & colludunt absque periculo Galli, adeò vel in ipsa ludorum amœnitate nituntur in arduum. Henricus quò cumulatiorem genialis huius diei lætitiam efficeret, congressurus ipse cum aulicis venit; iamque decurso iterum cum palmari gloria campo, ad tertium palmæ decus aspirabat, cùm feralis sistit sese breui morituro cupressus; aduersis enim hastis cum Mongomerio Comite congressus, feralis huius artis peritissimo, hastæ ab æmulo violentiùs impactæ fragmine in oculum per apertam galeam illiso, ictoque

Respirat religio.

Funestus Regis obitus.

Ludicrum eius certamẽ in seriũ versum.

ictoque inde cerebro, inspectantibus quæ tum aderant Reginis, regiisque liberis semianimis corruit, indéque omnium manibus & lamentis in regiam elatus, quinto post die viuere desiit Princeps optimus, dignus sanè, qui pietatis, fortitudinis, accensique erga religionem studij intuitu meliore fato concideret, At mortis genus deligere extra Regum arbitrium est.

Casum hunc funestissimum subsequutus est eorum, qui tum Parisiis aderant, stupor; tum pro suo quisque captu discutere cœperunt omnes tam inopinum hoc mortis genus, Alij tale nihil commeritum Principem, at surdam cæcamque in disquirendis pensandisque cuiusque meritis mortem nusquam non insidiari dicebant; ludicra Regum certamina non raro in seria verti; ingentes Principum lætitias ingentibus molestiis funestari; incœptas plerunque cũ spectatorum plausu risuque comœdias, quarum flebilis & tragicus postremus fit actus; edi formidanda in principibus exempla, quibus mortalitatis admoneantur reliqui omnes; nam si per munita tot vigilum excubiis Regum capita grassatur mors, quasi verò incustoditos homines aggressura non sit. Alij verum duellum, quod nõ annuente modo, sed & spectante Rege nobiles aliquot inter commissum fuerat, ludicro hoc duello, sed eidem Regi fatali expiatum esse dicebant. Verùm iampridem damnauerat gladiatoriam illam ex prouocatione congredientium feritatem, & salutaris conscientiæ morsus expertus, castigarat seuerè, quod spectando deliquerat. Hæretici cœleste piamen aliquod Regis necem interpretabantur, tot scilicet sectæ cultoribus Henrici iussu supplicio affectis inferias mitti Henricum ipsum, quique de insontium (vt aiebant) corio tam implacabiliter lusisset, cum morte postremum hunc lusisse ludum, humanos ludos omnes & triumphos repentinis cladibus vertere gnarâ. *Varij de eius nece sermones.*

Hæc & pleraque alia crebris vsurpata sermonibus nec admodum deterebant, nec augebant Regias Henrici regis dotes virtute sua non alieno iudicio magni, nam præter fortitudinem, comitatem, liberalitatem, aliasque virtutes Regibus dignas, artes etiam liberaliores adiecerat; Mathematicas in primis disciplinas, quæ omnia cum acri tuendæ religionis studio coniuncta, felices eum inter Principes cooptassent, nisi aulicorum sibi gratiosorum iudiciis, aut fortasse imperiis plus nimio detulisset, nisi in Pictauiensem Dianam regiæ partem auctoritatis deriuasset, nisi denique postremum hunc & infelicem ludum lusisset, quo seriò, & lethaliter ictus regnum & vitam amisit, serâ tamen & religiosâ constantiâ, serâ peccatorum retractatione, doloreque postremum hunc vitæ actum conclusit, numerosam Ca- *Eius Virtutes.* *Quid in eo reprehendatur?* *Eius in morte pietas.*

HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB FRANCISCO SECVNDO REGE.

LIBER TERTIVS.

Ab Anno Christi 1559. *ad Annum* 1560.

GALLICVM sceptrum, non idoneas tamen ad illud temperandum vires Francisco filio transmisit Henricus secundus; is enim inualido corpore, & immaturâ ætate, nullis suis neruis regnum administrauit, Guisiorum ad id operâ vsus, quorum affinitatem per vxoris Mariæ nuptias quæsierat. Et prospero quidem cursu fluebant res omnes, tum præsertim cùm prudentissimi regni administri miram consiliorum vim suppeditarent, ac in primis Cardinalis Turnonius,& Oliuarius Cancellarius recens in aulam reuocati;ve- *Franciscus II. Rex inualidus.* *Guisiorum opera vsus.* *Felix rerum status.*

rum serenum illud efflorescentis regni iubar sparsis turbarum nubibus fœdauit ardens dominandi cupiditas, quæ, vti iam dixi, Borboniorum mentes insederat indignè ferentium, quæ regiæ stirpis Principibus committenda forent munera, ea externis hominibus demandari. Et in Antonio quidem Borbonio lenissimis moribus prædito, quanquam permolesta foret dignitatis imminutio, quietiores erant animi motus; in Ludouico verò Principe Condæo, vt feruidioris erat longè naturæ, ita & turbulentiores mentis æstus ciebantur. Suppudebat hominem tamdiu inclinatæ sortis, extinctæque propemodum apud Regem gratiæ spectatorem esse; non eiusdem emendatorem innatos stirpi regiæ honores ab extraneis, vt aiebat, prædatoribus per summum nefas inuadi, circumsessum adolescentis, & infirmi Regis animum in Guisios immigrare totum; regi ab peregrinis hominibus, qui nec se, nec subditos regere possit: saltem si ex amplissimis regni muneribus vnum aliquod ab se occupari fineret Rex, aut Guisij Regis administri; temperamentum fore dicebant aliquod, & internarum ægritudinum leuamentum; verùm non modo nihil de nouo Borboniæ familiæ adiici, sed recens concessa confestim in alios deuolui querebantur, delibari tantùm à Borboniis primarias aulæ dignitates, vt è prægustatis illarum illecebris cum maiori mœroris sensu deciderent. Quorsum enim Picardiæ Prouinciæ procuratio Principi Condæo ab Henrico Rege data, à Francisco Henrici filio in Cossæum translata? quasi verò non luculenta satis sint in Borbonia stirpe sustinendarum dignitatum theatra, cuius è sinu tot Heroes prodierint, & produturi etiam fortasse sint Reges.

Corrumpitur per inuidiam.

Variant Borbonij

variæ indolis erant.

Indignè ferunt Regem à Guisiis gubernari.

Se verò è dignitatibus deturbari.

Hæc sanè Principem altitudine familiæ, ingentibusque animis tumentem dies noctesque discruciabant, & ad audax aliquod tentandum facinus impulissent, nisi lentiora iuxtà ac leniora consilia suggessisset qui Vindocinum cum eodem Principe Condæo aduenerant; conuenerant autem Antonius Borbonius Nauarræ Rex, Colinius rei maritimæ Præfectus, Andelotius, & Cardinalis Castilionæus Colinij fratres, Carolus Comes Rupifocaldius, Franciscus Carnutum Vicedominus, aliique Proceres Borboniis addicti omnes. Hoc in cœtu Borboniæ familię deiectionem, vt in regno parum vsitatam, ita & minimè in posterum ferendam esse sanxerunt, qui aderant, vniuersi; restaurandum itaque pristinum regiæ stirpi splendorem, nec committendum, vt per indignam huius inclinationem ad supremum gloriæ fastigium conniterentur extranei, ne culmen honorum iam assequutos deijcere nimiæ operæ foret, irritique laboris; sed quàm ratum illud fore statuerant, tam periculosa videbatur Guisio-

Cruciatur animo Lud. Borbonius.

Vlcisci parans reprimitur.

De Guisiis amouendis deliberatur.

rum de gradu dimouendorum ratio, & varij super hac repugnantium opinionum conflictus audiebantur. Condæus, Carnutum Vicedominus, Andelotius, aliique complures præcipitis præproperæque naturæ rem armis decernendam esse asserebant; armorum nempe præsidio & magna olim parta, pararique in dies, nihil ab Rege inertioris quippe naturæ iuuene deinceps expectandum, hunc Maternis, & Guisianis imperiis & autoritate constrictum, haud facilè nexus illos disrupturum, quibus colligatum sibi regnum Gallicum putet; quin nec Principum, nec procerum querimonias regis in aures vnquam illapsuras, quarum vnis sibi aditum Guisij aperuerint, aliis omnibus præcluserint, aut si perferantur ad Regem, enimverò, non vti à Principibus conceptæ fuerint, perlatum iri, sed corruptas omnino, atque perodiosis factionum criminationibus à Borboniorum hostibus conuelatas. Quod verò ad Guisios ipsos attinet, haud facilè abituros eos Gallicarũ rerum administratione, in quam tot & opum & honorum congestæ sint illecebræ, riualium eos nomen & aspectum minimè ferre; nec passuros hanc sibi dignitatem imminui, quam quotidianis incrementis augere contendant; è nimia Borboniorum Principum erga Regem sibi infensum moderatione, audaciam in hostibus gigni, & præfidentiores spiritus, dum sterni facilè calcarique posse horum corpora putant, quorum animos supplices & ad Regis nutum inflexos esse non ignorant; idcirco aulicis honoribus Borbonios exui, ne timeantur à Regis administris; induendos ergo iam armis, vt timeri se iure posse commonstrent.

Nonnullorum sententia, armorum vim adhibendam.

Difficile fidos Regum adiutores exturbare.

Hæc festinatiùs arrepta quàm cautiùs mouendi belli consilia, Antonij Nauarræ Regis, Admiralij, aliorumque, qui aderant, expugnabat cunctatio prudens, maximarum rerum effectrix; ita enim differebant. Tametsi quæ pro Regis ab administris obsessi libertate, & asserendâ pristinum in cultum regiâ stirpe Principes correpturi erant arma, plena æquitatis viderentur apud peritos æqui bonique æstimatores, secus tamen interpretaturos Gallos ferè omnes, ac præsertim qui Regem impensiùs colerent; cui, quidquid optet, non liberum modò, sed & licitum esse velint; addebant affirmaturos complures nemini discutienda tam inuidiosè Regis in administrorum delectu consilia, penes Regem esse euolutis iam pueritiæ annis, sui iuris effectum tenere imperij clauum, Gallicam nauim per quoscunque sibi adiutores delectos moderari; quod in priuatis neutiquam reprehenditur, haud temerè carpendum in Rege; Quotus enim quisque est, qui in habendo seruorum delectu, ex aliorum arbitrãtu pendeat, Dominos, non seruos in familias intrudi qui sic eliguntur administri; sic premi à

Reiicitur ab Antonio Nauarræ rege sententia prior.

Regibus liberum quoscunque velint administros eligere.

famulis heros, non iuuari. Pertentandum itaque Catharinæ Reginæ erga Borbonios animum, demulcendumque; armorum vim eò tantùm pertinere, vt alienatas Regum voluntates crudiùs exasperet, dum prioribus nondum obliteratis offensis vlteriores adduntur, Non subditorum comminationibus, sed supplicum lacrymis emolliri Principum iram; regij pectoris arces amore expugnari solere, non ferro; aggrediendam itaque primò Medicæam Reginam, vt si quid in Francisco filio Rege gratiæ reliquum sit, in Borbonios deriuatum velit, Interim vulgato parandorum à Borboniis armorum consilio, remissuros aliquid Guisios de pristina in gentem inclytam seueritate, & amittendorum omnium metu perculsos, vltrò aliquid fortè concessuros; imprudenter ea bella suscipi, quorum, cùm necesse fuerit, protrahendorum nulla spes sit, quia nulla satis aduersus Regem munita potentia; frustrà autem ab externis Principibus sperari subsidiariam opem, quos renouato recens fœdere sibi deuinctos Rex obstrictosque teneat, quorum autem animos sibi copulauerit, eorundem manus infestas neutiquam experturum.

Amore Reges expugnandi, non ferro.

Regum potentia ineluctabilis.

Euicit hæc sententia mollior turbulentiorem primam, rogatusque Nauarrus est, quippe primarius Regij sanguinis Princeps in aulâ concedere, vt Regis Reginæque mentes ad Regiorum Principum amorem inflecteret. Prudenti quidem demandatum id negotij est, & naturâ cunctanti; verùm in consimilibus agendis prouchendisque rebus verecundioris morositatis viro; adoritur tamen Regis animum sed à Guisiis iam præoccupatum, apud quem sic eos disseruisse historici referunt, congruenter Majestati, securéque fecisse antecessores Reges aliquot, qui Principes interdum ex aula submouerant, aut in altiora connitentium impetus retardarant; nam cùm Natalium prærogatiua eos aut regno propiùs admoueat, aut in certam regni spem vocet, qui fieri potest, vt spem hanc suam non ament impensiùs mirasque in sceptro colligatas suauitates & delicias, ex ea nempe orti familia, in qua & nati sint & nasciturì sint Reges. Addebant Guisij Borbonios regiminis partem aliquam ambire, vt altiorem deinde sibi dominatum vendicarent, &c.

Præpotuit sententia mitior.

Nauarrus Regem adit.

Quanta in sceptro illecebræ?

Hæc & similia (vt Autores habent) Regis in aures occinebantur cautiùs certè quàm veriùs, par etenim nihil ab Antonio Borbonio aduersus Regem attentari potuisse probant satis temperati eiusdem mores longè ab eiusmodi fraudibus alieni; qui ad Regem tandem introductus, ex eius vultu ad morosam austeritatem inflexo, parum felicem legationis suæ successum fore agnouit, continuò enim Rex Nauarræi postulata refellere, satisne sani Principes, qui regnum iam

Nauarrus natura lenis.

Refellitur à Rege.

florens & incolume sapientissimorum virorum prudentiâ temperatum nouo gubernandi genere perditum vellent, non saniora sibi à quoquam suppeditari posse consilia, quàm quæ suggererentur à Guisiis. Petitione sua Nauarræus exclusus Medicæam illico Regis matrem adiit non proniorem futuram in Principes, à qua tamen non repulsus omnino est, Prudens enim fœmina politicarum artium apprimè gnara ingentium munerum spe prolectauit hominem, falli se nescium, quia fallere nesciebat: cordi sibi Borbonios esse omnes asseuerauit, nullamque aulicorum munerum, si quæ tandem occurrerent, passuros esse repulsam, Atenim abhorrere quod postulabatur à Regis amplitudine atque constantia, vt summotis à regimine administris nouos sine ratione substitueret, tam discrepantes facies, imò tam varia capita in aulam induci non posse absque membrorum dispendio, alternantes imperantium vices ingens hoc regni corpus non capere; tutiora ergo sibi, regnoque toti accuraret, neu sineret se prouectæ iam ætatis virum insanientium plerumque iuuenum imperiis abripi, lapsurum indecorè cum iis quos præceps honorum cupiditas & ambitio transuersos agit. Fortiùs etiam hominem contudit Medicæa, dum Elizabetham filiam, Regis sororem Philippo secundo Regi Catholico pactam & in Hispaniam proximè ducendam admonuit; delectos à se qui nouam nuptam comitarentur è primaria nobilitate complures, quorum ipse Dux esset futurus, captatamque illam à se de industria occasionem, in qua de vendicando sibi Nauarræ Regno, aut certè permutando, cum Hispaniarum Rege transigere posset, faciles itaque ipse introitus in Regis gratiam aucupari satageret, se maturando negotio quidquid in se & opis & autoritatis foret haud cunctanter allaturam. Gratius nihil Antonio potuit obiici, quàm pingue hoc Nauarræi Regni pulpamentum, cuius vno nidore ac fumo pascendus erat. Atque ex condicto Philippus Rex spem eandem Nauarri sustentabat, distracturus cum hoc pacto à Principum factionibus, aulæque consuetudine, ne hoc infestiorem sibi hostem pro recuperando Nauarræ regno haberet, quò potiore apud Franciscum Regem esset in loco. Nauarrus relictâ Hispanis Elizabethâ spe patrij repetendi regni deiectus, publicis fessus curis, sua, non aliena curaturus Benearniam suam remigrauit, illic, è syluescente in dies negotiorum turba extractus, bonorum omnium maximum esse persensit, *Posse fieri suum.*

Comiter accipitur à Regina.

Vt saniora optet admonetur.

Offertur ei spes recuperandi Nau. regni, sed fraudulenta.

Alit hanc spem Rex Catholicus & quare?

At Ludouicus Condæus Nauarri frater acerrimi (vti diximus) ingenij vir, fortis, ad quam deiectus erat, tenuitati cicurandæ impar omnino erat; quare vt ex infelici hoc statu quantocyus emergeret,

Lud. Condæus acriùs agit.

quanquam suapte satis incitatum naturâ, vehementiùs etiam incendebant socrus & coniux, Comestabilis agnatæ, spes etiam ex assentatorũ collecta suffragiis Principẽ nõ mediocriter adurgebat, si quid de bello ab se concitando foris increpuisset, aduolaturos illicò innumeros, qui cum ipso arma consociarent, vrbes vltrò dederent, sine certamine locorum omnium claustra reserarent, propensiores Francorum omnium in Regiæ stirpis Principes, afflictos præsertim, voluntates esse, quàm vt eos tot fortunæ ludibriis diu obiici sinant; indicto itaque ad Albulensem Firmitatem cognatorum Principum cœtu cœpit Condæus explicare calamitosam regni totius faciem, malumque huiusmodi esse ostendit, quod lenioribus remediis non facilè cedat. Quid non apud Regem Reginamque pertentatum semouendis ab aula Guisiis, inducendis verò Borboniis? quorum interest, non aliorum, publica regni totius agitare negotia; obsurduisse ad preces & iusta monita Regias aures, occlusum eiusdem, necnon Reginæ Mediceæ pectus Guisiorum studio insessum; infringendam itaque horum potentiam non in Principes tantùm, sed & in Regem ipsum (vt aiebat) deterrimum dominatum exercentem; si quid in subitanea hac armorum tractatione peccaretur, quanquam nihil in ea magnopere delinqui poterat, excusatura id facilè domestica Principum exempla, quos amor patriæ; & incensum Regis Regnique tutandi studium in consimilem aleam belli tentandam coniecerit; atque vt antiqua prætermittantur, nunquid Caroli VIII. temporibus Ludouicus Aurelianensis Dux arma corripuit, vt Annam Regis sororem ab regni moderamine dimoueret, vtque regiminis habenas ipse capesseret. Postremò conuocatis omnibus supplicauit, vt intempestiuâ omni religione sublatâ, euulsisque religionis scrupulis, qui in ambigua mentem pertrahunt, certò tandem statuerent inueterato malo indulgentiore hactenus manu demulso scalpellum admouendum, vltimum quidem esse quod aduocari debeat armorum præsidium, sed aduocandum tamen.

Incitatur à suis.

Francorum in Principes Amor.

Condæi oratio contra Guisios.

Lud. Aurelian. Dux cur arma ceperit?

Hæc militari facundiâ pronuntiata Principum in mentes altè descenderãt iamque ad arma penè concurrebatur, cùm Gaspar Colinius Admiralius abreptos nimia belli cupiditate animos mitigare occœpit, tutiora Principum vitæ, sed infestiora Romanæ Religioni proponens, atque vtinam Admiralij fauces præstruxisset angina, viamque impio & barbaro consilio præclusisset, quod auitam Religionem in omnibus ferè Galliæ partibus extinxit; quod florentissimum olim regnum innumeris stragibus cruentauit. Hic ergo sparsam Caluinianis Galliam esse admonuit inter infinitas clades acceptas quietis, quia inualidis;

Bellum vetat tum fieri Admiralius.

Eius consilium religioni perniciosum.

dis; quorum si ducem esse se voluerit, enimverò ad nutum præsto adfuturos omnes cœca quadam inflammates cupiditate, alta diu contra Guisios, quos sibi infestos putant, odia quantocyùs expromendi: tot nouæ religionis membra per Galliam vniuersam sparsa, quæ flaccida & nullius hactenus roboris fuerint, expectate nunc meritò caput à quo vires & animos hauriant; tantò difficiliora ac præstantiora perfecturos recentis huius sectæ cultores, quantò præstantiorem sortiti ducem fuerint, cuius auspiciis fulti contra Romanæ Religionis patronos congressuri sint. Hæc cùm disseruisset Colinius, Caluinianæ sectæ incrementa longè auctiora prodierunt, Nam quæ initio nonnisi clanculum, suspensoque vestigio in regnum irrepserat; iamque in caueis extra Catholicorum conspectum vix mussare sustinuerat, postremò extra velum scenamque, meretriciam frontem explicuit hæresis, palam in Catholicorum mores & sacros Ecclesiæ ritus probra ingessit, ferrumque in auitæ religionis propugnatores expediit, quasi eam impudentem olim non fuisse suppuderet.

Nunc fœda ciuilibus discordiis tempora, vrbium direptiones, sacrorum populationes, alternas partium confligentium strages non auditurus tantùm sed propè visurus est lector stylo renitenti inuitoque expressas, quantò iucundiùs florentes Catholicorum res omnes depingerem, nisi seditionum processus à nouâ religione concitatis emarcuissent earum pleræque, partesque historici essent ea præsertim damna refricare, è quibus reportati tam ingentes fuerunt manipuli; vnde virtus plurimarum se se agminatim ingerentium difficultatum attritu semetipsam ad vlteriores agones exacuit. Quantò iustiùs in hæresim & perduellium corpora sæuire Rex visus, vt imperatis paucorum suppliciis, quibus tamen consultum esse voluisset, infinitorum vitæ prospiceret. Hic enim concessum sibi à Deo, & ab Henrico Patre relictum in infensa Deo totique regno capita gladium distrinxit validiùs, quàm affectæ vires finerent. In sectarios ergo anquiri iussit, ac quæstioni præesse voluit Sanctandreanum Præsidem, & Antonium Democharem fidei quæsitorem, qui nocturnos perduellium cœtus; pessimum semen, dum quiescerent homines, spargentium dissipare primùm adnisi sunt, tum quò exploratius foret quàm iustâ Rex in eosdem arderet iracundiâ, vltrices accensæ sūt pyræ, vstulati complures, qui falsa Caluini dogmata eiurare renuerent, sicque tandem sectariorum fæcibus exhaustum Sangermanum suburbium est, tot Caluinianis insessum, vt parua nuncuparetur Geneua. Et quia tam acriter in sontibus huiusmodi extremo supplicio mulctandis præluserat Gallicarum Vrbium Lutetia Princeps, tragœdiam

Calamitosa tempora.

In sectarios inquiritur.

Parua Geneua Parisiis.

Tolosa religionis amans.

Georgius Card. Arm. pro religione pugnat.

haud inscitè continuarunt nobilissimæ regni Ciuitates, Tolosa præsertim Romanæ Religionis tenacissima, Augustoritum Pictonum, Aquæ Sextiæ, à quibus ferro flammisque in impios huiuscemodi veritatis hostes animaduersum est, sparsisque per Narbonensem Galliam eorundem cædibus, nouæ sectæ terrorem intulit Georgius Cardinalis Armeniacus, non eiusdem tamen profitendæ nouitatis finem imposuit.

Annæ Burgi supplicium.

Emicabat interea splendidè Romana Religio inter accensas ambustorum hostium flammas, verùm Annæ Burgi supplicium, de quo pauca superiùs dixi, quia de perillustri viro sumptum, maius etiam eidem Religioni decus attulit. Hic post crebras tergiuersationes, & variorum, ad quæ reus appellarat, tribunalium consentientes sententias ab Episcopo Parisiensi sacris de more exauctoratus, senatui ad pœnam propter hæreseos crimen luendam traditus est duodecimo Cal. Decemb. An. 1559. quo tempore elisis primùm laqueo faucibus in ignem à Carnifice coniectus est ætatis Anno 38. dignus profectò qui honestiori fato occumberet, nisi Lutheri, Caluinique dogmatibus pertinaciùs adhæsisset, scientiâ enim iuris inclaruerat, morum integritatem aliquam præse tulerat, sed errorum tenebris immerserat has animi dotes, profuit in hoc tanti viri supplicium, quòd nempe insigne documentum dederit, infirmus animus quantùm incommodet corpori, in quem nouæ se se opiniones facilè ingerunt, difficilè emergunt, & quia reus peragi non potest animus, gluendum est corpor quidquid ille deliquit. Alij qui cum Burgo in custodia attinebantur ad meliora versi, sola mentis pœnitudine expiarunt quod antè contra fidem peccarant.

Infirmus animus corpori nocet.

Minardus Præses occiditur.

Mitiùs itaque factum nonnullis quàm Burgo, cuius necem maturauit Minarij seu Mainardi Præsidis cædes, qui adulta nocte domum remigrans, plumbea glande confossus occubuit, quod consimile fatum in senatus Principem aliosque moliebantur submissi à Palatino Comite percussores, hos nisi paratarum sibi insidiarum ignaros sua fortuna texisset. Quanta autem Galliæ hostium feritas è longinquis nationibus accersere parricidas, quos in regni lumina & columina immittant? Nempe iis ad explendam vlciscendi libidinem nihil est satis, crescente mox audaciâ agent illi per se quod occultè tentarunt per alios; laudi sibi vertent quæ peregrinis vestibus scelera conuelarunt, & fœcundis flagitiorum mentibus manus afferent adiutrices. Admiralij consilium nondum Firmitano cœtu dimisso exosculati sunt Proceres conuocati, maximè qui Geneuensibus opinionibus auscultarant, tum etiam quos effundendæ in Guisios iræ pruritus ti-

Sicarij è Germania missi contra Catholicos.

tillabat, sed partium Dux eligendus erat vnus aliquis, atque id honoris, seu oneris potiùs detrectabant omnes; aut si assumerent, callidiùs occultabant, ne si fortunæ ludibrium aliquod paterentur, rei malè gestæ subirent inuidiam. Antonius Borbonius Nauarræ Rex quanquam vxoris hæreticæ blanditiis irretitus, quia tamen absque magnis turbarum procellis nouæ Religioni velificari non poterat, reiiciebat vir patriæ amantissimus oblatam sibi hæreticorum tutelam cum tantis difficultatibus regnique periculis coniunctam. At Ludouicus Condæus eius frater vir animi ingens, & rei domesticæ conflictatus angustiis Caluinianorum ducatum assumpsit; itáque Ducem se tulit, vt inuidiosum sibi hoc nomen parumque decorum respueret, idcirco Vicarius ei seu adiutor est datus Godofridus Barrius Renaudius antiquæ apud Petracorios nobilitatis, qui (adeò nesciri se scelera ambiunt) tacitè etiam grassari adamauit, tecto ad cautelam gentilitio nomine; aduentitio per fraudem assumpto, Forestum enim dici se voluit.

Condæus opem affert sectariis.

Renaudius Condæi adiutor.

Atque vt gentis suæ mentitus est nomen; ita etiam falsi in curia Parisiensi compertus & ob id grandi pecunia mulctatus Geneuam confugerat petiturus à Nouatoribus pecuniam, proditurus conscientiam; illic enim arctissimam cum Caluino & Beza, binis (vti garriunt) Ecclesiæ reformatæ capitibus societatem iunxerat; ita enimverò non Catholicis tantùm in eosdem religionis ritus conspirantibus, sed hæreticis etiam opinionum varietate dissonis sua est qualiscunque vnitas. Igitur geminorum Apostatarum erroribus non magis Forestus imbutus, quàm Romanæ Religionis odio, personatus primò rem agere occœpit. Stimulabat hominem quanquam in accurandis nouellæ sectæ negotiis impigrum Andelotij & Carnutum Vicedomini pro eadem factione prouehenda haud indiligens studium, qui postremus consumptis inter ganearum nidores & voluptatum irritamenta pinguis satis fortunæ muneribus, atque inter has corporis corruptelas mente quoque corruptus, Caluinianis se placitis inhærere palam professus est, quæsiturus nempe nouum in noua secta flagitiorum suorum patrocinium, quod Apostolica desperaret in fide, quæ tam propudiosas labes amolitur à suis. Præcipuæ tamen Renaudio siue Foresto commissæ partes hominem in varias Galliæ prouincias compellebant sectariorum sibi animos & arma iuncturum, & huiusmodi multos ad eum confluxisse reperio, quos aut malæ mentis furiæ, aut plenæ illecebrarum nouitatis studium, aut rei familiaris inopia, aut pessimi Genij ad has ineptias adurgebât, Atq; ex iis lecti Proceres qui excitatas iam seditionum faces per varias regni partes dissiparent,

Geneuæ fuerat.

Carnutum Vicedominus cur hæreticis adhæserit?

Multi Renaudio iuncti.

Armantur hæretici. Eorum Duces.

& armatos vndique conquirerent. Baro Castelnavius ad Vascones missus, ad Benearnenses Mazerius, Mesnius è Lemouicensibus, Mirabellus è Santonibus, Mouentius præterea, Malinius, Sammarianus, Montcianus è Picardis, Salyis, Briensibus, Campanis, Normanis, Armoricis repentinos exercitus conflare iussi sunt.

Nannetensis eorum congressus.

Primus Coniuratorum congressus apud Nannetas à Renaudio ad Cal. febr. indictus, tum quòd ea vrbs factionibus peropportuna foret, in extremis quippe Galliæ finibus sita, quò & ire commodè, & redire possent Belgæ, Angli, aliique nouitatis affectæ; tum etiam quia suprema inibi Magistratuum curia erat, ingens texēdarum fraudum inuitamentum; eo enim causarum agitandarum obtentu sacculis litigantium in morem onusti coniurati venerunt, quos pedetentim ingressos accommodata ad rem gnauiter agendam oratione Forestus excepit, prolatis primò Protestantium Theologorum sententiis, ab Germania missis, quæ culpam, imò & omnem culpæ suspicionem amoliebantur ab iis, quæ Guisiorum in cladem occultis grassationibus coniurati pararent. Addebat Forestus non diutiùs tolerandam esse tyrannidem sub postremis Regibus odio plusquam agresti contra reformatos Christi fideles exercitam; excusari facilè Decij, Diocletiani, Neronisque crudelitatem aduersus primos Christianæ Religionis athletas exprompiam, si cum recenti feritate comparetur, quæ tot innocentium capita armatorũ vbique tortorum manu amputarit, versam iam Galliam in funestissimum crudelitatis theatrum, Cardinalem Guisium, ac Ducem pariter Guisium oppressâ Regis adolescẽtis libertate, vnos esse, quibus in mactandis ferociter hominibus Deo, Regique fidis ludere & illudere impunè liceat; quot busta per eos erecta? quot excitati variis in vrbibus ignes, in quibus cum innocuo tot fidelium grege reformata deflagraret religio, à quibus ipsi feralibus flammis inaudito gloriæ pruritu friuolum nominis splendorem, lucemque captarent, vellentque crudis expirantium inter hæc supplicia gemitibus Guisianam latè circumsonare famam; affligendam itaque comminuendamque importunissimorum hominum fortunam supremum regni decus affectantium, nec abesse procul eos à culmine, tyrannicum iam non in Regis tantùm subditos, sed & in Regem ipsum exercentes imperium, quem Regulum veriùs quàm Regem nemo non iudicet, animi quippe corporisque defectum viribus, & supremà moderandi regni autoritate depulsum. Quod reliquum est, dominium si Guisiis tolli non possit, vitam posse; tyrannicâ vtriusque animâ publicæ regni saluti & incolumitati litandum, exposci has inferias à reformatorum Manibus, sanguine noxio innoxium sangui-

Renaudij seu Foresti Theologia.

Expostulatio In Guisios hæresis & hæreticorum hostes.

nem vindicandum. Hæc contra Romanæ Religionis patronos declamitabant Hæretici.

Ferocibus his dictis irrepebat Forestus in auditorum animos, quanquam hortatore vix egerent ad audendum facinus quodcunque proiecti, maximè cùm spem daret turbulentus hic rabula Regulum, sic enim Regem appellabat, Reformatorum potestati semel traditum, aut congruentiora nouæ religioni consilia arrepturum, aut si Papisticis semper fallaciis insisteret, penes Reformatos fore regni totius regimen quod ex interno Numinis afflatu moderarentur. Turbida oratio, & conciendis turbis accommodata variè à variis accepta est. Rerum vsu præstantioribus periculosa sanè visa sunt, quæ proponebantur, tuta verò iis, quibus cum præproperis consiliis inerat audacia præceps. In commune tamen sancitum est Condæo Principi principatum coniurationis totius esse demandandum, quod vt munus tutiùs & expeditiùs obiret, tollendos omnino de medio Guisios censuerunt, præclarorum pro stabilienda religione consiliorum obices, Regem verò Regisque fratres sub custodia Condæoque tutore cohibendos, ac reformatæ fidei dogmatibus diligenter imbuendos; Mariam Stuartiam Regis vxorem ad Elizabetham Angliæ Reginam ablegandam, cuius sceptro cupidissimè inhiaret. Addunt scriptores aliquot grauius etiam aliquid in Regem, Reginam, regiosque liberos machinatam fuisse in conuentu perduellium sectam, importunis concionalium Ministrorum clamoribus eò deductam, quibus exosa est Monarchia omnis, quia prauis eorum legibus infesta. Atque eò dementiæ prorupisse conuocatorum plerosque, probant satis iactæ ab iisdem contra Regem verborum contumeliæ, & piperata scommata, quibus stylum & chartam inquinare prohibet pudor & innata mihi in Reges nostros reuerentia, Regem enim perinde ac Alexandrum puerum noui aspernabantur Darij, dum expediendas virgas, & puerilia verbera adolescentulo infligenda esse succlamarent, quin & vilissimæ mancipandum arti iactabant, sic enim caninas (quod aiebant) panis improbi buccas diurno nocturnoque labore quæsiturum. Eiusmodi probra à circulatricibus cachinnonum linguis in Regem, quem percolere decebat, intemperanter coniecta animum minimè sanum, sed efferato quodam odio aduersus Regem armatum ostendebant; nec sese arcanis coniuratorum cœtibus cohibebant hæc insanientium hominum dicta, longiùs quippe mittebantur hæc tela, eorumque aures euerberabant, quorum manus iure perhorrescere sanniones debuerant, priùs tamen hæc licentiùs à sectariis prolata, cum iis quæ in commune decreuerant, in Italiam,

Quam habuerit vim?

Regimen ambiunt Hæretici.

Immane eorum consilium de Rege attinendo &c.

Regis ætatem spernunt &c.

Deteguntur eorum cœpta ab Auellano.

Belgium, Germaniam, Hispaniam perlata sunt, quàm Regis illaberentur in aulam, & ab enumeratis his gentibus primùm rumor increpuit, Guisiorum postmodum delatus in aures, tum patefacta atque illustrata consilia omnia ab Auellano Parisiensi Causidico, Caluiniano aut vero aut ficto, qui hæc à Renaudio variis pollicitationibus illuso diligenter expresserat, cúmque adeo perniciosa contra Regis salutem parata malè silentio premi non ignoraret, viperam in sinu clausam, è sinu, ne lethaliter admorderet, eiecit.

Blæsas eunt ad intercipiendum Regem.

Interea variis viarum ambagibus, suspensoque, ne obseruarentur, vestigio Blæsas, vbi tum Rex agebat, ibant coniuratorum audacissimi quique armis instructi omnes, hæc autem superinductâ veste contegebant, inopinum scilicet Regem intercepturi; sed detectis coniurationis cuniculis concidit omnis coniuratio, dum vigiles excubias agerent Regij, qui præpediri veterno credebantur. Namque vt factiosorum technas fallaciasque Guisij eluderent, Blæsis Ambosiam Regem antè deduxerant primos sic fracturi rebellionis impetus, asportato scilicet longiùs scopo, quem sceleratorum arma destinauerant sibi. Et Ambosia regiam potissimum in tutelam delecta est, tum quòd oppidum vt perangustum est, ita & minore ad repellendas incursantium vires egeret præsidio, tum quod illic arx munitissima foret aduersus hostiles impetus tuta. Interea Catharina Regis mater in tantis tumultibus, animi anceps, factiosorum partes distractis sectæ principibus debilitare satagit, nec mora Colinium maris præfectum, & Andelotum eius fratrem festinatis nunciis ad se maturare iubet, qui cum Cardinale fratre haud cunctanter aduenere turbatis Galliæ rebus serenum nunquam inductum iri asserentes, nisi Guisiorum gladius, qui vti querebantur, tot reformatorum capita messuerat, tandem aliquando conquiesceret, fatales insuper sectæ restinguerentur ignes, ac alterutrius profitendæ religionis integra forent arbitria; quin & vt Regis edicto sanciretur conscientiæ libertas postularunt, læta omnia & candida pollicentes si modò benignitate & clementiâ temperaretur imperium. Extorsit temporum iniquitas hoc edictum quarto Idus Martias autore Senatu promulgatum, Ministri tamen, seu concionatores sectæ (quippe turbarum incentores præcipui) ab omni exclusi sunt gratia, itemque Majestatis rei, in Regem, Regiosque tum fratres tum Administros conspirasse deprehensi; huic edicto subscripserunt Castilionij fratres qui aderant tres, odium in factiosos factiosi ipsi palam ementientes; quò tectior foret coniuratio, feliciorésque, dum sic lateret, sortiretur exitus; aut si minùs è voto cederet, inter coniuratos à nemine censerentur, qui aduersus coniura-

Eluduntur.

Ambosiam Rex ducitur.

Medicæa Colinium cum fratribus reuocat.

Censent hi mitiùs agendum cum hæreticis, & indulgendam conscientiæ libertatem.

Rex annuit.

Castilionæorum dolus.

tionis artifices tam seuerè senserant, subscripserantque.

Hæc gnaro quidem Duce Guisio, sed aut inconsulto aut dissentiente gerebantur, cui parum in edictis momenti, plurimum in armis inesse visum semper fuerat, itaque segniora nihil malo profutura remedia certus, delectus per Galliam vniuersam haberi iubet, à quibus ocyùs Regno succurreretur, in capite, hoc est in Rege periclitanti: præterea vrbium Gubernatoribus mandat, vt quoscunque cum armis Ambosiam versus iter intendere nossent, in eos tanquam in coniuratos Regis Regnique Franciei hostes infestis armis sine mora irrumperent. Condæus, qui varios aulæ vultus & consilia obseruaturus aduenerat, à Guisiis non perinde atque aliàs comiter acceptus, ac proinde his de coniuratione suboluisse aliquid interpretatus, illinc demigrare actutum constituerat, nisi plerisque nobilibus pro tuenda Borboniorum dignitate in capitis discrimen adductis suo etiam periculo consultum esse voluisset. Renaudius verò in eadem, quam orsus antè fuerat, tela, quanquam fragili filo pertexenda durabat immotus, spei nimius, in scelere pertinax; quare factionis suæ consciis diem indixerat ad 16. Cal. April. quo die propter Ambosiam armatos esse iusserat, hunc autem diem Guisianæ potestati fatalem, Borbonij verò splendoris, patriæque libertatis natalem fore spoponderat, iamque decernebatur irruptio cùm Lignerius Ordinum ductor internis animi furiis admonitus praua incœpta noxia esse consultoribus, occultis itineribus Ambosiam proficiscitur; tum Catharinæ Reginæ arcana factiosorum consilia detegit, ac sigillatim quid cuique incumberet, quibus itineribus, quo agmine, quàm valentes, qui impressionem pararent, sigillatim admonet. Regis periculo supra modum perculsa Nobilitas Ambosiam vndique affluit, ac Guisij mandato vias omnes saltusque Blæsas vsque obsidet in armatos quoscunque impetum factura, & præter insitam vnicuique generosam indolem à sanguinis claritudine ductam, stimulabat animos perduellium temeritas in vnctum Domini tam ferociter insurgere ausa, quare fortiter in obuios quoscunque Regis hostes insiliebant primariæ nobilitatis viri, captosque Ambosiam ducebant vinculis constringendos, aut supplicio mulctandos.

Guisius armatos colligit.

Renaudius Ambosiam mittit contra Regem & Guisios.

Lignerius Reginæ coniurationem detegit.

Nobilitas contra coniuratores accenditur.

Eorum plerosque capit & mactat.

Sed elidendum erat Cerberi aut coniurationis caput triplex, quod vt assequeretur Franciscus Rex, Iacobo Sabaudo Nemorosij Duci negotium dat, vt Castelnoum, Mazeram, & Ranæum perduellium duces comprehendat, qui postremos duos propter castrum inambulantes ac imparatos intercipit. Castelnous in castrum statim aduolat omni destitutum præsidio, Nemorosioque sub vesperam deditionem

Castelnous, Mazera & Ranæus capti.

vrgente colloqui cum Rege postulat; negatoque ad Regem aditu, in vincula rebellionis reus conijcitur. Paria cùm formidare deberet, idem tamen perstabat Renaudius in desperatis ferè rebus contumaces spiritus, & ingentiores spes alens, aut simulans; equites enim quasi certum ad victoriæ decus Ambosiam quàm citissimè properare iussit, testes scilicet præsentis suorum calamitatis futuros, & documentum nouæ, quod in ipso itinere contigit, nam vagos per siluarum abdita ac ferarum more palantes sectarios odorati Regij, aggrediuntur extemplo, eosque aut occidione occidunt, aut equorum caudis illigatos in prostratæ rebellionis trophæum Ambosiam vsque pertrahunt, è quibus plerique ocreati, & calcaribus induti non in tolutarium equum sed in furcam à Carnifice defixam insilire coacti fœda morte fœdius longè coniurationis scelus expiarunt. Guisio quod intestinam hanc pestem consilio manuque depulisset, suprema regni armorumque præfectura demandatur à Rege: regios super ea re codicillos ægrè admodum inductus est Oliuarius Cancellarius vt regni sigillo communiret; nimiam Guisij potentiam veritus, futuro, (vt aiebat) prospiciens, de quo nulla satis vnquam callida fuere consilia.

Plerique ocreati in furcam insilire coguntur.

Guisius supremus armorum præfectus.

Nunc Renaudius præcipuus feralis tragœdiæ actor meritò nobis inducendus in scenam, qui salutem suam infelix prodidit, ei dum maximè consultum vellet; nam in Castri Reginaldi silua cum Pardillano à Rege aduersus perduelles misso prosperè congressus, cùm hominem ferro confodisset, continuò à Pardillani famulo sclopeti glande traiectus, interiit. Nempe plerumque euenit, vt nefariæ seditionis autores sanguine luant quod admiserunt olim nefas. Extincti cadauer Ambosiam delatum est, quem locum ambierat viuus, vnco tractum est corpus & in Ambosiæ ponte suspensum addito infami hoc programmate. *Renaudius, qui se Forestum dicebat, Dux rebellium & autor seditionis.* Et quia atrocia crimina non in autoribus vnis hærent, sed fatali quadam contagione dimanant ad plures, duo ex eius contubernio capti, quorum alter Bigniusnomine, ab Epistolis seruus. Hic tormentis interrogatus, totam coniurationis seriem palàm euoluit, Ambosiam scilicet occupare nixos esse coniuratores saluâ tamen & illæsâ Regis Maiestate, in Guisios quippe vnos deflagrasse omnium odia, quos adacto in viscera pugione de medio tollere planè decreuerant; Nauarrum autem à factionis communione exemit, ac Condæum Principem nondum his tumultibus implicatum esse dixit, cumque quasi è specula contemplari quò se blandior fortuna conuerteret, paribus cum ea votis ac viribus remigaturum.

Renaudius Pardillanum necat.

Epitaphium infame.

Bignius coniurationem aperit.

Nauarrus & Condæus coniuratores non erant.

gaturum, sic neutrius partis assecla Condæus erat, cùm tamen vtriusque foret.

Prostrato rebellionis capite, quod in insectis animalibus contingit, membrorum illico vigor elanguit, labentibus tamen hostium animis audaciam addidit Oliuarij Cancellarij cunctatio; quæ in re trepidâ, dum optima quæque tardat consilia, hostium vires accelerat. Et (quia maximè mortiferi sunt morientium bestiarum morsus) ita semineces illi Cocauillâ Duce vehementiùs in Regios insilire parant, crudiores morsus infixuri. Fasciis ergo candidis induti, quò sese internoscerent, vrbem ac pontem inuadere parant, sed à commonitis & paratis expectabantur, quorum viribus impares terga vertere coguntur eorum plerique, Alij à Regiis capti Ligeris fluctibus hausti sunt, sic albati ad mortem aut exequias ire perrexerunt, qui eò pullati migrare debuerant, Raunæus, Mâzera & alij, supplicij sui infamiam expungere aliqua ex parte conati sunt, Regis salutem sanctam sibi semper fuisse palàm contestati. Verùm qui sancti & inuiolabiles debent esse Reges, nefas est etiam eos violari in suis. Malinius iunior factionis particeps Guisio Duci sæuum quid & immane parans, ni vetuisset Condæus, laxatis equo habenis elabitur è Condæi equili prompto, quod ei inuidiam & suspicionem adauxit.

Factiosi fasciis albis induti.

Cocauilla eorum Dux.

Hauriuntur alij fluctibus.

Alij supplicio afficiuntur.

Rex nullo modo violandus.

Malinius fugam arripit.

Id cùm à factiosis tentari Regis Mater aduerteret, Condæum illico seuerè increpuit, serióque admonuit, vt ab huiusmodi conciendis regno turbis deinceps abstineret, & quia opulenter, splendidéque natis turpe est prauè viuere, meminisset amplissimæ suæ originis, è qua prodierint hactenus, olimque prodituri Principes sint, qui primarias Regni dignitates, & præcipuam Regum gratiam ambire meritò possint, compensandum decus illud fido in Reges obsequio; Regum in fidem pertrahēdos ab eo subditorum animos, non auocandos; indecorè fecisse, quòd tam sordidis & flagitiosis membris sese commodarit in caput; emergeret ergo quàtocyùs è fœda hac factiosorum colluuie, sese Regi, Regnoque restitueret, imò ipsum se redderet sibi, à quo tam indignè desciuerat. Hæc eidem monita inculcat Cardinalis Lotharingius, quæ grauatè admodum in aures admittit honoris appetentissimus Princeps, quem ob coniectam in se coniurationis suspicionem non parum imminutum dequeritur; quasi verò si quid in Regni statum attentaret, occultis id moliretur cuniculis, aut latebras in se pateretur regiæ stirpis dignitas; quæ quia ad magna & excelsa semper impellit, quos præclarorum facino-

Reginæ ad Condæum monita.

Condæi responsio.

rum conscios esse vult, non formidat intuentium aut inuidentium oculos; nihil autem sibi sceleris allini posse dixit conscientià sua freto; quare coram Rege Regina, Guisiis, Principumque legatis audiri se velle, & probra tam fœda diluere; quæ si vnus aliquis sibi coràm ingerat, cum eo, quanquam imparis longè dignationis viro, ferro decernere paratus sit, & in hac prouocatione aut hostem omninò perdere aut funditus interire. Placata nonnihil Regina liberum ab se Principem dimittit, Gratesque superis actæ pro patefacta profligatáque coniuratione: factio autem inuidioso hoc nomine appellata fuit, tum quia contra Regem, & Regis administros conflata, tum etiam quia Regis gratiam, quam obsequio demereri fas est, armorum vi extorquere nitebatur; addo irruptionem in locum regia Majestate sanctum attentatam in externis etiam regnis seuerè mulctatam. Hæc quanquam indigna Regi minimeque ferenda viderentur, acriùs tamen exacerbabat eius animum speciosus ille in speciem, sed friuolus religionis obtentus, dum Caluiniani, præcipua Coniuratorum pars, pro aris pugnare se dicerent, cum aras ipsas euerterent, Cælitum simulacra comminuerent, sacra omnia proculcarent, quibus perinde ac Caluinianis apud Belgas Gheusiorum nomen, ita & ridiculum Hugonotorum nomen in Gallia datum fuisse memorant, siue ab vrbis Turonensis porta, quæ Hugonis est dicta, ad quam nocturna conuenticula celebrabãt; siue quòd in colloquio Possiaco è sectariis vnus sic præfari orsus esset. *Huc nos venimus*, continuò enim exclamatum est ab omnibus qui tum aderant, *Foras huc nos, foras*. Atque vtinam sic tum abiissent, aut iam abirent è Gallia, Galliamque purgarent, vt non murus tantùm, quem vnum inter se, & coniurationis Principem Catilinam interesse voluisset Tullius, sed inter nos, & sectarios omnes interiacerent infinita terrarum spatia. Verùm prauos bonis admixtos esse voluit æternæ mentis consilium, siue vt è quotidiana bonorum consuetudine ad frugem redeant impij, seu vt inter fœda vitiorum nubila splendidiores sanctitatis radios longè latéque diffundant Cœlestes hi viri, spiritualis mundi soles à Deo constituti, siue denique vt prauorum hominum affrictu piorum exacuatur virtus; pugnet vt vincat; vincat autem vt coronetur.

Grates Numini actæ.

Heretici cur Hugonotti appellati?

Cur boni malis permixti?

Defunctus tam graui periculo Rex, & calamitosa præteritarum rerum imagine quid in futurum prospiciendum foret admonitus, Ambosiâ Cęsarodunum proficiscitur; quò amplissimam vrbem præteritę coniurationis occasione nutantem contineret in fide, & quia Regibus mos est exemptis præsenti vitæ discrimine extraneos etiam Principes hac de re commonere, siue vt à paribus grassatoribus caueant ipsi,

Rex Cęsarodunum petit.

siue vt iis qui pestes huiusmodi depulerint per literas amoris indices gratulentur, certiorem coniurationis fieri voluit Rex Philippum Hispaniarum Regem; eiusque Coniugem Elizabetham ipsius Francisci Regis sororem. Rescripsit Catholicus Rex his calamitatum præludiis atterendum fuisse Gallicum Imperium, nisi promptam è Cœlitibus aliquis opem attulisset, primarias è grauida nube emissiones eas esse, fœdiorem longè imminere tempestatem; quæ, nisi præsens adfuerit Numen, regiam citissimè domum perculsura sit, obtentu autem religionis concrescere condensarique nubes illas, innumeras clades effecturas; audaciam impunè habitam in furorem efferuescere, pessimam eam familiæ sortem haberi, cuius hero formido sit à famulitio, siue Ministrorum grege. Addebat Elizabetha infelici coniurationis successu fractos tale nihil posthac molituros coniuratores: subiiciebat Albanus Dux, captis factionis capitibus eneruia fore membra reliqua, ideóque non magnopere pertimescenda, salutaria semper habita iustæ seueritatis exempla, quæ maturata fuerint. Senatui etiam Parisiensi per Comestabilem coniurationis seriem totam, primordia, processus, exitum, reorumque supplicia enarrari Rex voluit. Honorificentissimis verò literis suprema hæc Curia Regiam fortitudinem & Iustitiam extulit, quæ collectam ex longo rebellantium audaciam & temeritatem perdomuisset; nec aliam ab eo faciem expectandam esse fortunæ, nisi quâ maximè parte faueret, cùm ipse, quod in optatis Galliæ totius erat, rebellionem vnà cum nouella religione perditum iret. Quin & peruigiles in Regem Regnumque curas Guisio Duci gratulata est eadem Curia, eumque Patriæ conseruatorem vna voce appellandum esse censuit, appellauitque, qui titulus plerisque sublatior est visus, & irritamentum inuidiæ, sed inimicis duntaxat, & Guisij culmen indignè ferentibus, cuius labori pariter inuidere debuerant, qui honori clam inuidebant, inter insomnes pro Regis Regnique negotiis excubias, & pericula parto.

Regem Catholicum de coniuratione admonet.

Quid Hispanus responderit?

Et Elizabetha.

Quid Albanus?

Rex ad Senatum Parisiens. de coniuratione scribit.

Gratulatur Regi Senatus.

Guisius Pater patriæ appellatus.

Nec minore lætitia quàm Parisienses cumulatæ sunt cæteræ sparsæ per Galliam præfecturæ, ad quas missum ab Rege diploma, quo strophæ coniuratorum descriptæ, totaque coniuratio sigillatim expressa, perduellium cohortem è Caluinianis ferè conflatam ausam aduersus Regem Ambosiæ tum agentem irrumpere, vt eum vita, aut regno, aut libertate spoliaret, vt veteribus abrogatis Galliæ legibus, nouas Regno leges sed perniciosas inureret. Verùm Dei pro Regum tutela excubantis prouidentiâ factum, vt tam atrocis flagitij rei pœnas pependerint. Et quia conflatum in Caluinianorum offici-

Quid machinaretur coniuratio?

nis facinus erat, monuit Rex inuigilarent diligenter vrbium omnium præfecti, ne huiusmodi sectariorum conuenticula vspiam haberentur, si quos hac in re contumaces deprehenderent, ferrum in eos exigerent perinde atque in imminutæ Majestatis reos. Protestantes Germanos Principes autores huius cõiurationis extitisse apud scriptores aliquot legi, sed responsum ab iis tanto sceleri affines minimè fuisse, quibus regium nomen sanctum & religiosum semper fuerit, eiusmodi autem se esse. Addam ego, si minùs autorem, conscium saltem fuisse Caluinum, aut minimè inscium, tanti certè obiecti sibi criminis inuidiam propulsare conatur, sed quam è Renaudij congressu, aut eiusdem, quod fatetur ipse, literis coniurationem conflari didicerat, non tectâm apud se premere, sed vulgare debuerat; in consimilibus enim aduersus Regis salutem tectis machinis crudele silentium est, & vt innocuas, qui tacent, manus habeant, occidunt tamen quia occidere minimè vetant. Denique Caluini mœror ex infelici coniurationis exitu apertè satis innuit, quanta bacchaturus in voluptate fuisset, si quod intenderant coniurati, & quod auebat ipse, perfectum accepisset. Verùm ita rem moderante Numine, impia Caluini & Caluinianorum vota aliorsum ceciderunt. Quantum ipsi dolorem, tantam Nauarrus Aquitaniæ Rector è Regis incolumitate iucunditatem hausit, cuius vt specimen daret aliquod, simul ac Regis accepit literas admonentes excubaret diligenter pro sua in Regem obseruantia, ne quid è profligata coniuratione turbarum existeret; continuò ipse tumultuariam perduellium manum in Agīnẽsi tractu cędere aggressus est, & quoscunque nactus est eiusdem factionis conscios, variis cruciatibus affectos Aquitaniâ demum totâ exturbauit, tametsi Ioanna Regina eius vxor rebellium doctrinæ, religionique faueret. Atque hic coniurationis Ambosianæ exitus fuit, non tumultuum tamen, nec enim propterea turbantium omnia sectariorum immodicus repressus est ardor.

Protestantes eius participes putati.

Caluinus saltem Conscius aut non Inscius.

Eius mæror quod res non processerit.

Nauarrus hæreticos exturbat ex Aquitania.

Sequitur Oliuarij Cancellarij mors febris æstu ob mœrorem sublati, turbidarumque rerum tędio. Singularis in obeundo castè munere constantia, publicæ quietis amor & studium Gallicis hunc fastis celebrem faciunt, quietiùs longè vixisset, ni corroboratæ hominis virtuti obstrepuisset inuidia. Michaël Hospitalius in Oliuarij locum suffectus est ingenio, quàm genere clarior, politicarum rerum scientissimus, iurisprudentia insignis, sed dotes illas corrumpebat nimia eiusdem cum Admiralio & sectariorum proceribus societas; quorum si religionem non adamaret, incrementa sanè etiam cum Catholicæ fidei detrimento coniuncta procurare dicebatur impensiùs, cæterà

Oliuarij Cancellarij mors.

Virtutes.

Succedit Michaël hospitalarius.

bonus absque hoc nævo. Ad id autem muneris à Catharina Regis matre delectus refragantibus multis, vt hoc fideliorem ministrum haberet, quò pluribus titulis suum, vtque eum nimiæ Guisiorum potentiæ opponeret, si pristinæ moderationis obliti in altiora conniterentur. Sub ipsa Magistratus primordia haud proficuum satis temperamentum attulit suscepto ab Rege consilio Caluinianæ pestis ab intimis vsque fibris & radicibus euellendæ, instituendique quæsitorum de religione tribunalis aduersus fidei Romanæ desertores, qui in Ecclesiæ Matris gremium remigrare abnuerent; cuius rei loco, adnitente Hospitalio Remorentinense cusum edictum est Mense Majo An. 1560. quo Curiis quæstio de sectariis ablata est, & translata Præsulibus fuit, sancitumque vt inferiores Iudices in eos acriter animaduerterent, qui nouæ sectæ studio furtiuos cœtus celebrarent, quod idcirco factum dicitur; ne sparsos iam toto regno sectarios Inquisitionis curia, si de nouo institueretur, diuexaret magis, quàm corrigeret. Decretæ quoque aduersus diuini verbi præcones sunt pœnæ, qui absque facta ab Episcopis potestate sacro huic ministerio se se ingererent, ite in famosorum libellorum scriptores satoresque lata lex, Moniti deinde Præsules aliique animarum curæ præpositi vt in suis quisque diœcesibus residerent, vt bonorum pastorum more rabidam luporum feritatem à spiritualibus caulis, hæreticam scabiem ab innocuo commissarum sibi ouium grege procul arcerent.

Pœnæ constitutæ aduersus maledices.

Cum Greg. Pastores agere debent.

Hæc certè quam prudenter stabilita, tam custodita negligenter fuerunt crebrescente famosorum huiusmodi codicum turbà, procerum vitam, ac Guisiorum præsertim ambitum (si quis esset) indignè carpentium; horum alter inscriptus *Defensio aduersus Tyrannos*, alteri *Tigridi* nomen erat, tot contra Guisiorum famam contumeliis sparso, quot maculis interpuncta est bellua. Quæsitus huius autor iturus protinus in ignem cum probrosis carminibus, sed hominem præsenti periculo subduxit Typographi taciturnitas obstinata, quam ipse capite luit. Præter maledicta & diras in infami scripto comprehensas quærebat autor, ecquos tandem ad limites porrigat se se subditorum in Reges obsequium? quid potissimum causæ correpta per subditos arma cohonestet, an subsidiariæ ab extraneo conquirendæ sint vires? & cætera huiusmodi absona, conciendis motibus accommodata. Quæ sanè res altè in Catharinæ mentem descenderunt haud ignaræ è iactis huiuscemodi turbarum seminibus funestam plerumque colligi messem, atque ex erraticis his & volitantibus chartis nullo autore inscriptis praua incœpta manifestè dignosci, quæ arcani scriptoris timor differat quidem, non verò tollat, aut emendet; hinc

Famosi libelli in Guisios scripti.

Typographi supplicium.

Libellorum materies Regibus noxia.

Huiusmodi scripta malorum sunt præludia.

exploratum fieri nonnullos esse à quibus timendum sit, sed qui timeri debeant, ignorari, vnde quia nullus certò formidatur, formidari meritò omnes. Hæc ab occultis discordiarum satoribus scripta, & in vulgus emissa postmodum exceperunt complures de turbido regni statu querimoniæ ad Medicæam delatæ, quibus hæc seriò commonebatur quieturos nunquam animos, dum Guisiorum staret autoritas & potestas tanta; promptam parari posse regno medicinam, si eo vsque premantur hæc capita, dum eorum detumescat ambitio; imperia omnia à legitimis Principibus data oppidò grauia ferentibus esse, quantò grauiora si iugum imponant extranei; si regij sanguinis Principes è priuilegiis suis deturbent, eorum autoritatem infringant; si Principum nomen & prærogatiuas ambiant iis tantùm debitas, qui per mares à Regibus originem trahunt.

Expostulatio contra Guisios.

Hæc apud prudentem Reginam delata sunt, iniquis legatorum postulatis obsurdescentem; Nam vt fidus Principis administer haud facilè paratur, ita nec hunc facilè dimitti par est. Qui continuatis Regi obsequiis, Regis ipsius fortunam, salutemque tuentur, næ Regiam autoritatem, cuius præsidio dignitatem suam roborent; patronam consequi debent, tametsi extranei sint; nam quæ ab iis suggeruntur consilia, æqua tandem hæc si fuerint, vitium neutiquam trahunt à locorum distantia. Intereà dum & scriptis & iteratis expostulationibus sectarij causam apud Regem, Reginamque promouere satagunt, Valentiæ, Romani, & apud Ademari montem peiora longè mouent Mouentij Fratres perduellium duces, & Valentiæ quidem iuris scholas, & Franciscanorum templum inuadunt, vbi concionales ministri pingue sonantibus verbis, effrænatàque quod solenne semper habent, audaciâ, Euangelium quintum hoc est falsum propalare occipiunt annuente (vt aiunt) Ioanne Monlucio Valentino Præsule, Marescalli Monlucij orthodoxæ fidei tenacissimi origine, vtinam & religione fratre; hunc enim hæreseos fautorem affirmant aliqui, negat libellus recens editus à R. P. Ioanne Columbino è societate IESV., probatque cum sensisse semper cum Catholicis, cui opinioni hoc lubentiùs assentior, quò gratius esse scio Ecclesiæ vniuersæ sanctos habuisse pastores, quàm impios; vtinam & scriptores reliqui columbinam ei religionis innocentiam astruerent, quam aduersus eos, qui Præsulis huius laudibus obtrectarunt, affirmat pugnaciter quidem, sed tamen absque felle Columbinus noster.

Extranei etiam Administri regno vtiles.

Mouentij perduellium Duces Valentiæ & apud Ademari montem quid egerint?

Annuente, vt aiunt, Præsule.

Monlucium Præsulem tuetur P. Colũbinus.

Vrbibus à me superiùs recensitis peius aliquid euenisset, ni tumultuantem perduellium audaciam properatis è Pedemontio copiis, editaq; multorum strage Maugeronus validè repressisset. Haud ita multò

Maugeronus pugnat pro Catholicis.

post turbare Mombrunus occœpit Mouentiorum exemplis insistens, tanto certè Delphinatibus infestior, quantò potentior: simulabant hominem non tam publicæ circa religionem nouam curæ, quam priuatæ res.; nempe quòd abrogata veteri Delphinatus consuetudine, quæ Delphinates solos Proreges admittit, extraneos repellit omnes, Prorex tamen dictus esse Mottagondrinus, quod ipse tegundæ nobilis Prouinciæ munus aucupabatur Mombrunus, quare in dignitatis huius petitione præteritum se minimè ferens, nihil non mouebat quò intrusum aduenam quam citissimè exturbaret, attraxeratque iam ad partes suas Prouinciæ Proceres; festinabant eidem auxilia sectarij ad rebellionem semper instructi, Mottagondrinus certus commissam sibi præfecturam omni ope tueri, armatos etiam vndique conscribebat, iamque binas in factiones discissa erat Prouincia, cui atrox imminebat exitium, cùm Cardinalis Turnonius vxoris Mombruni auunculus, dissidij causas omnes opportunè sustulit, Mombruno data Religionis libertas, dum copias suas dimitteret, Mottagondrino asserta Gubernatoris dignitas fuit. Post paulò rebellionem instaurauit Mombrunus, sed nullo operæ pretio, à Mottagondrino quippe repulsus ad Cebennates primùm montes, deinde ad Heluetios latebras quæsiturus aufugit.

Turbat Mombrunus contra Mottagondrinum.

Rixas componit Card. Turnon.

Turbat iterum Mombrunus, sed repellitur.

Tentatæ sub idem tempus Aquæ Sextiæ, tum Arelate Mouentiis machinas omnes mouentibus, quibus interciperentur vrbes hæ Salyorum primariæ. Verùm supremi senatus vigilantiâ, Comitisque Tendei viribus hostiles difflatæ sunt machinæ. Mouentiis cum euanidus labor omnis esset, certus tamen instantis pœnæ terror immineret, Geneua tandem ab iis adita est, vbi hoc grauiora peccare possent, quantò minore cum periculo. Vasconiam Caluini iam inuaserat lues, inualescebatque hac in prouincia pestis Ioannæ Nauarræ Reginæ viribus & largitionibus fulta. Benearnia, Armeniacus & Alebretensis ager, & Fuxensis Comitatus venenum idem hauserant pestilentis doctrinæ; præpollebat propagandæ vbique sectæ studium languidis hac in propulsanda Catholicorum conatibus. Burdigala cum paucis admodum vrbibus perfurenti obstiterat malò, & hinc decus illi non exiguum bonam fuisse cum paucis, & opinionum prauarum torrenti Vascones ferè omnes inuoluenti obicem opposuisse religionis cõstantiam. In Normannia Colinius maris præfectus non modò non consopiebat adultas seditionis faces, quod datum erat ei negotium, sed acriùs inflammabat præstitò sectariis auxilio; Dieppæ, Cadomique erectæ iam erant pestilentiæ recentis exedræ, Rotomagi eodem annitente Admiralio, & fauentibus Optimatibus aliquot sparsus conti-

Vrbes aliæ tentatæ.

Comitis Tendei curæ vtiles.

Mouentij Geneuam petunt.

Vasconiam & alia loca peruadit hæresis.

Resistit Burdigala.

Normannia hæresi corrumpitur.

Resistit Rotomagus.

nuò fuisset error idem, nisi restitisset senatus, qua in ciuitate per id temporis Hebraicæ, Græcæ, Latinæque linguæ Magistrum fuisse memorant eò ineptiæ vertiginisque prolapsum, vt diuini Numinis pneumate infessum se palam iactaret, singularique munere in fidelium Ducem assumptum, qui tyrannicum Antichristi hoc est Romani Pontificis regnum euerteret, eiusque impietatis asseclas Catholicos Principes profligaret; sic demum eraderet infamis idololatriæ reliquias omnes. Hic delatus ad Iudices perstitit fatuus in amentia, sed quia plerosque anilibus his superstitionibus in errorem induxerat & pessimam nocendi voluntatem insaniæ addiderat, serò sapere didicit, flammis quippe traditus est, quæ in amburendo corpore veternum mentis excuterent.

Lymphatitus amburitus.

Non fœlicior circa Regem voluebatur sors, emicabant quippe ex Ambosianæ proditionis cineribus scintillæ aliquot, quæ metum incuterent, idem quippe animus erat præteritæ factionis autoribus; deprehensa, extinctaque coniuratio plane conciderat, supererat inflammata funestioris propediem conflandæ voluntas, quæ antequam parturirent hostes consilia, ab Regiis intellecta sunt, à Saguâ quippe Cantabro patefacta, quem fidum præ cæteris arcanorum administrum Condæus sibi delegerat, qui (quia literarum commercio roborari factio solet) ad eius autores vltrò citroque literas quàm tutissimè ferret; is ad Mommoranciuni Comestabilem missus, Bonuallium obuium habuit, quem propter veterem consuetudinem percarum habebat, mixtisque vt fieri assolet, de præsenti rerum statu colloquiis Bonuallius pessimè sibi ab Guisiis factum expostulat, inflictum sibi ab iis vulnus asserit, cuius nondum obducta cicatrix fuerit. Adhinniit ad hanc orationem Sagua, qui literarum habebat fasciculum exitiali odio aduersus Guisios imbutum, captáque fiduciâ conflatam aduersus eosdem coniurationem asserit, & Coniuratorum nomina edit, postremam hanc esse machinam subiungens Guisiis certò perituris inelu ctabilem, si modo cœpta ipse pro viribus adiutaret. Cui Bonuallius apprehensâ in fidei robur dexterâ, Ego (inquit) studiũ ad id omne, operamque polliceor, postque mutuos amplexus inchoatum iter perrecturi ægrè admodum saltem in speciem diuelluntur. Bonuallius siue quòd sub perduellium signis Catholicos diuexare religione prohiberetur, periculosumque contra Regis administros arcanum, quandiu tegitur, intelligeret, siue quòd Guisiorum gratiam aucupari festinaret, Brissaco Marescallo totius nodum coniurationis euoluit, eiusdemque hortatu Guisiis ipsis, contra quos faba cudebatur, aperit, quantùm de patefacta coniuratione lætis, tantum

Scintillæ ex Ambos. coniuratione.

à Saguâ deteguntur.

Et à Bonuallio.

pro

pro eadem consopienda sollicitis, ac periculosum quidem coniurationem vnde vnde agnitam dissimulare non imprudenter censebant, periculosius tamen credulis nimiùm auribus auscultare, & occultos coniurationis principes à Sagua relatos in apertum campum vocare, qui crimen si verbo negassent, non vlteriùs progredi posset, qui obiecerat. In hoc reciprocantium opinionum æstu, vix quod tutò sequerentur, emicabat. Vt enim auersum à naturæ legibus est non expedire salutem in graue aliquod discrimen adductam, sic perleui oborta suspicione, tanquam Annibal aut hostis sit ad portas aliquis, æstuare, & trepidare temerarium ac propemodum insanum esse putabant, non ignari hoc sæpe euenire, vt pericula submouere grauiore conemur periculo; euanescere plerumque coniuratorum artes prudenti hominum, qui petuntur, dissimulatione tectas, quarum si gnaros se se ostenderint, excrescit ampliùs factiosorum vis & audacia, & à meditatis tantùm facinoribus in acta postmodum erumpunt, ac momento pariunt quod diu parturierant, ne sola castigetur duntaxat in iis nocendi, aut incommodandi voluntas:

Iactantur Guisij.

Insidiæ dissimulatæ vitantur.

Hæc dum in vtramque partem Guisij agitarent, Saguæ tandem comprehendendi consilium ineunt, vt excussis accuratè, quos circunferebat libellis, coniuratis palam, & in os ipsa coniurationis capita,& sigilla ingererent. Captus itaque Stampis est,& interceptæ literæ, quas à Comestabili, & Carnutum Vicedomino ad Condæum Principem afferebat; indéque ad Bellaqueum fontem perductus, quò (vti iam ostendimus) Rex concesserat, conuentum inibi Procerum habiturus. Et Comestabilis quidem literæ plenæ officij erga Condæum recitabantur cum hoc temperamento, vt eum etiam atque etiam commonitum vellent, ne quid omnino in Regem Regi inuidiosum,ingratumque tentaret; si tamen lacesseretur ab hostibus,fidam pollicebatur operam, armorumque societatem. Vicedominus totum se quidem per literas Nauarri, Condæique tradebat arbitriis; sed ita tamen,nihil vt,ne vnus quidem literarum apex coniurationem oleret. Cùm nihil adhuc è literis compertum foret, quæstioni subiicitur Sagua, vbi quæ clàm habuerat semper, tormentorum vi aut metu effunderet, seriemque coniurationis aperiret, à quo tandem Nauarrus, Condæus, Comestabilis, Admiralius cum fratribus & Roya sorore; Carnutum Vicedominus, Bouchartus Nauarri Cancellarius, Hayus in Parisiensi curia Senator,aliique complures in præsentem regni statum, Guisiorumque autoritatem conspirasse proditi sunt. Aubignius coniurationis autographum patri suo concessum penes se esse asserit lib. 2. hist. cap. 16. Interim Vicedominus Basti-

Sagua capitur.

Comestabilis Literæ & Vicedomini.

Coniuratorum Elenchus.

Vicedominus incustodiam traditur.

liam in arcem traditur; etsi ex eius literis nihil elici posset, quo perduellio teneretur, nisi quod eius literæ aut peregrinis aut ignorabilibus notis, aut ambiguis sensibus exaratæ suspicionis aliquid mouere poterant, Ipse verò integræ se semper in Regem fidei hactenus fuisse contestans non alios quàm Torquatos equites in causa sua cognitores pati poterat, dati tamen sunt Christophorus Thuanus senatus Princeps, Bartholomæus Fayus, & Iacobus Viola Parisiensis Curiæ Senatores. Tum è custodia extractus Vicedominus in Grauillæam ædem suam traducitur, vbi morbo siue ex vita intemperanter acta, seu ex mœrore rerum accisarum contracto ætatis anno 38. viuere desiit, sic longam à periculosorum negotiorum strepitu quietem nactus est, in quæ aut frequentibus factiosorum hortatibus, & exemplis; aut fatò aliquo sed infelici se se imprudens coniecerat.

Eius obitus.

Medicæa Regis Mater, dum hydræ tametsi perdomitæ noua renasci capita luget, dominandi appetentissima mulier impatiensque Guisiorum, sua interesse putabat eorum coarctare potentiam, eam vt ad se totam deriuaret, Et quia sublatiùs ipsos euehendos peruidebat, si factiosorum Principum vires infringerent, horum vltrò patrocinium ambiit; contra verò Guisiis apertiùs obniti, atque eorum incœpta penitus disturbare statuit, Hospitalij & Castilionæi consilio, quos arbitros euocauerat, vsa. Et Castilionæo quidem arrepta confestim aut Guisiorum perdendorum aut ex aula exterminandorum occasio præsens, in quos vt infensissimos hæreseos hostes ex longo flagrarant sectariorum omnium odia. Inter hæc inductus ad Bellaqueum fontem Procerum cœtus, cui Rex cum Reginis interfuit; adfuere pariter Cardinalis Borbonius, Lotharingus, Guisius & Aumalus Duces, Comestabilis, Cancellarius, Marescallus Brissacus & Sanctandreanus, Admiralius, Archiepiscopus Viennensis, Episcopi Aurelianensis & Valentinus, aliique complures. Acciti à Rege Nauarrus & Condæus temporis angustias causati & impedimenta itinerum, aut præteritarum factionum conscientia absterriti venire detrectant, quod factiosorum parti durius visum tantò debiliori futuræ, quantò potentior sperabatur vtriusque, si adfuisset, præsentia. Quatuor totos dies nec interruptos agitata fuere comitia, diffidentibus & scissis in partes animis; atque hinc pugnantes vndique circumsonabant sententiæ. Orsus est dicere Hospitalius, regnique statum ea perculsum ægritudine commonstrauit, quæ satis ipsa se proderet sine vllo oratoris præsidio; occultum autem eius persanandæ remedium esse ostendit; in singulis ferè ingentis illius corporis membris esse quod supra modum excruciet, tolerari tamen mala, non mitigari; peccari

Regina Principibus patrocinatur & cur?

Proceres à Rege conuocantur.

Nauarrus & Condæus ire detrectant.

Differit Hospitalius.

propemodum infinita, pauca aut nulla emendari &c. Cardinalis Lotharingus, & Guisius Dux de regiorum exercituum, ærariique caste administrati rationibus edisserunt.

At Colinius maris præfectus factâ loquendi potestate purgat primò quę sibi, fratribusque circa coniurationem Ambosianam malignè (vt aiebat) aut obiecta nunc erant, aut obiici poterant, tum sumptâ vlteriùs progrediendi fiduciâ binos Regi codices obtrudere instituit, paucisque expressit quidquid in vtroque lateret, communia vota hæc esse reformatæ religionis cultorum qui ob nimiam edictorum in se acerbitatem expostularent, per hæc Regem efflictim rogari, vt moram aliquam modumque tot suppliciis faceret; donec legitimum indiceretur Concilium; tum vt Templorum ipsis vsum, & ministeriorum sectæ consuetorum libertatem indulgeret. Addidit, libellos, qui etsi priuati nullius nomine subscripti tum essent, tamen, ni Regi secus faciendum esse videretur, præsto iam esse quinquaginta hominum millia qui chirographis suis communite planè decreuerant. His audaciùs & minaci vultu gestuque prolatis, nutasset haud dubio timore Rex, ni Regum esset non timere sed timeri à suis. Despecta itaque est militis gloriosi persona quam Admiralius ad tempus induerat; quasi verò post tot in Ambosiana coniuratione aut fractos, aut contrucidatos perduelles, tot etiamnum ex hac restarent colluuie, qui expositam mille periculis aleam iteratò tentarent. Sed hæc inflatiùs deblaterata euerberarunt Regiorum aures, non verò pectus de constantia sua dimouerunt. Postulantis, rerumque petitarum indignitas cùm omnibus acerba fuerit, tum præsertim Cardinali Lotharingo; & admonebat eum Purpura, stimulos addebat Ecclesiastica dignitas, ne impunitam abire fineret Admiralij qui tam arroganter proloquutus erat, audaciam, cuius petitionem, seditiosam, temerariam, hæreticam, impudentem, & scandalis obnoxiam dilucidè commonstrauit, addens, ausum esse maris Præfectum, siue Admiralium quinquaginta sigillorum millia à factiosis danda polliceri, quantulus tandem hic numerus præ nongentis atque eo ampliùs Catholicorum millibus, quibus dulce decorumque sit pro conseruandis Ecclesiæ ritibus, pro tuenda Ecclesiæ Primogeniti salute millies emori. Pueris & ignauis panicos huiusmodi adornandos esse terrores, non Regi. Non ferebat Admiralius hanc orationis libertatem Ecclesiæ Principe dignam, iamque ibatur in iurgia, ni Rex vtrique silentium imperasset, Admiralio contumaciùs, Cardinali verò sapientiùs elocuto, quæ tamen sapientia Admiralium vix sui compotem morderet acriùs, quàm leniret.

Colinius pariter.

Regi minatur.

Eius petitio seditiosa & hæretica.

Obiurgatur à Card. Lotharingo.

Cardinalis Orationi ad Catholicam pietatem accommodatæ dissonus omninò à Ioanne Monlucio Episcopo Valentino instituebatur sermo. Ignosci cuperem si minùs tanti viri nomini, dignitati saltem, nisi complurium historicorum notaretur in libris. Ille cùm si quid mancum labansque in Ecclesiasticorum moribus esset, Christianæ charitatis velo obtendere debuisset, non modò tectum non habuit, sed verborum etiam asperitatem addidit, inuectus acriter in Præsulum & Clericorum non sobrios satis mores, eorumque ignorantiam tanto indignam fastigio; supremum etiam Ecclesiæ Vniuersæ Pastorem parum reuerenter habuit; contrà verò Caluinianorum Ministrorum encomiastes nouus effectus; horum modestiam, castigatos reformatosque mores extulit, timorem etiam Dei iisdem inesse dixit initium sapientiæ, nunquam in religionis hostium caput illapsæ, quin & exquisitis orationis illecebris eò aspirabat, vt cantatricum in greges Reginas ipsas intruderet, psalmos iis Dauidicos tradens Maroticis, & Bezanis metris illigatos, qui priuatis Hugonotorum in conuentibus, mixtis virorum fœminarumque vocibus decantari iam cœperant.

Episcopi Valentini mores non satis Catholici.

Poëtæ isti aut Poëtriæ picæ cuiates tandem fuerint, exposui prolixè satis, de Beza saltem, Inspiciendus itaque restat Clemens Marotus, cui tam clementer à Musis, benignéque sit factum. Cadurcensis is fuit, quo in solo Rhythmicorum ingeniorum proritator enascitur liquor, qui Falerno toties à Poëtis decantato vix cedit. In hac ergo feracissima vini regione natus & educatus est Clemens, atque illinc in Francisci I. Regis aulam sê se transtulit inter Regis cubicularios admissus non inuitè, cùm ad facetias & scurrilitates compositus totus argutis omnes salibus inspergeret, mirè factus ad consopiendas mentis ægrimonias, vbi Rhythmicum aliquid ex hilari vena profudisset, Regique hoc nomine percarus, & in regiarum curarum alleuamentum assumptus. Et tolerari sanè poterat ingenium hominis facile, politulumque, tametsi ridiculum, nisi pessimi hominem corrupissent mores è frequenti cum Lutherianis consuetudine hausti. Quare ne in Christianissimi Regis indignationem incurreret, Benearnum ad Margaritam venit, impetraturus facilè ab Regis sorore sectariorum adiutrice gratiam, quam desperabat à fratre. Nec eum fefellit spes placato subinde Rege, quia mores aut demutarat ille, aut demutasse videbatur. Lutetiam itaque reuersus à Francisco Vatablo Hebraïcæ linguæ Professore seuerè increpitus est, quòd natiuam illam fluentis carminis venam vilibus duntaxat & ridiculis tractandis argumentis abiiceret, meminisset Poëseos venustatem à rerum Majestate petendam, euanidam esse huiusmodi scientiam, si in vna verborum rhythmorumque concinnitate acquiescat.

Maroti patria.

In Regis aulam irrepit.

Ad Margaritam confugit.

Lutetiam redit.

Ad sacra igitur profanus aggreditur, quæ profanè nimis tractat atque peruersè. Dauidis Psalterium Gallicis versibus reddit, sed quam dispar vterque sacrorum mysteriorum enarrator & cantor, Hebræus vates sanctus, Gallus verò profanus & nequam; ille diuino afflatus spiritu, hic scurrili, facetoque incalescens; Ille veracissimus vates, hic vanus & inanis interpres, ideóque ob iustas Sorbonicorum Theologorum querelas edicto regio vetiti sunt huiusmodi psalmi, cautumque ne quid eodem in genere vulgaretur à Maroto. Sed quod cantoribus frequens est, vt cantare iniussi, nunquam à cantu temperent, idem & Maroticis cantionibus euenit, vt clamantibus & fulminantibus aduersus illas edictis, altiùs personarent eædem, crebriúsque vsurparentur. Ille plausibus à cantatrice plebecula datis intumescens, veritus tamen pœnam, sibi ob scelera irrogandam, Geneuam profugit, illinc ob noua elapsus flagitia, sed antea flagris concisus, Augustæ Taurinorum viuere & cantare desiit, cui Poëtæ Beza versu Gallico parentauit, & ad quinquaginta psalmos quos Marotus vulgauerat, centenos reliquos adiunxit gallicis item rhythmis deuinctos, & in aurium aucupium peritorum musicorum operâ modos adiecit variis numerorum flexionibus, quò per has consonantium tonorum illecebras, gaudiumque crudele, nouellæ doctrinæ virus prælibaretur auidiùs, & incantarentur cantantes ipsi, aut qui cantantibus aures admouebant. Vetitum apud Catholicos est Maroticum seu Bezanum hoc opus, quia sparsum erroribus; & quia pudet horum poësim non despuere, qui propudiosis moribus Parnassum inquinarunt. Sed de Maroto plus satis.

Psalmos Dauidicos versibus reddit.

Qui tandem prohibentur.

Pœnæ metu Geneuam confugit.

Mortuo Beza parentat. Qui psalmos etiam versu interpretatur, sed malè.

Nunc ad cœtum Bellaqueum redeamus, vnde nos nouus hic Orpheus vi cantus abduxit, Alia etiam præter superiùs allata postulabat Monlucius, quæ tacere Præsulem addecuisset, post quem prolocutus est Carolus Mariliacus natione Aruernus Archiepiscopus Viennensis. Hic Regni duplicem esse columnam asseruit, siue polos binos quibus Gallicus verti soleret orbis; Religionis integritatem, & populi beneuolentiam. In Regem autem Ecclesiæ Primogenitum incumbere, vt subditos suos omnes eiusdem in Matris sinu confoueat, aut deuios in eundem reducat; eam nempe religionem veram ac legitimam esse ostendit, in qua Deus agnoscitur, vt ipse agnosci se amat, in qua præterea diuinis mandatis impigrè auscultari assolet. Si qua autem labes aut seculi vitio aut nonnullorum prauitate in religionem irrepserit, quæ lucem eius obscuret; expurgandam quàm ocyssimè dixit, censuitque Præsul idem veterem repetendam esse consuetudinem, cogendumque si commodè id haberi posset, Concilium, ad quod

Caroli Mariliaci Aruerni oratio prudens & Catholica.

conuenirent Ecclesiastici Proceres, tot doctrinæ, sanctitatisque lumina, à quibus dissonantium circa fidem opinionum tenebræ discuti possent; sed arduum esse affirmabat, lentiusque vrgentis necessitatis remedium, cùm supremi Pontificis, Imperatoris, Christianorum Principum & aliorum concilianda, imò & sæpius expugnanda mens sit, vt Concilium velint; prætetea consuetos de tempore, de loco, Conciliique forma voluntatum conflictus moras afferre aliquantò longiores, inualescere autem malum, dum eius diutius protrahitur medicina, Quare conflandum esse Gallicæ nationis cœtum, quò prementibus iam malis occurreretur; priùs tamen quam in vnum conuenirent Præsules, amicè primò commonendos esse significauit, vt in suis, quisque continerent se se Diœceseon septis, pastorales in iis excubias, easque non segniter agerent, eosdem item hortatus est vt omnem auaritiæ turpitudinem arcerent à sacris, Diuinum in templis cultum impensè curarent, collapsam disciplinam restituerent, & quia illorum omnium est populi sibi commissi peccata portare, quo importunam hanc molem humeris suis impositam alleuarent, iugibus lacrymis, ieiuniis, publicisque precibus indictis offensi Numinis iram placare satagerent, tum addidit, ne quid deinceps turbaretur in Gallia, in perpetua quadam Regi, Regisque administris standum esse vigilia, nec vnquam nisi supremo annuente Magistratu, iisdemque administris procurrendum ad arma, ideoque extra inuidiam esse, quod supplicia de Ambosianis coniuratoribus sumpta fuerint, qui specie libelli supplicis Regi offerendi, repentinam armatorum manum coëgissent. Postremò subiunxit è re præsenti fore, si ad cætera, quæ proposita erant, aut discutienda diligentiùs, aut emendanda constantiùs, ex vniuersa Gallia, quos acciri mos est, Ordines conuocarentur.

Concilium conuocandum censet.

Hæc perëleganti oratione ab Archiepiscopo deprompta Præsulibus reliquis id consilij impertiente, quod erat ipse capturus. Guisius Dux in iis, quæ ad Religionem pertinerent quippe Ecclesiastici fori, disceptandis, nihil ad se pertinere pronuntiauit, negauitque politicis regni negotiis, quibus totum se tradidisset, cum diuinis Religionis mysteriis quidquam esse commercij, Theologorum quippe esse ista disquirere; in iis verò quæ ad Catholicum Eucharistiæ venerandæ dogma pertinent, recessurum se nunquam ab antiquorum Ecclesiæ Patrum placitis, nec nouellis, quæ panem hunc Angelorum corrumpere adnituntur hæreticorum opinionibus vnquam assensurum. Cardinalis Lotharingus post Guisium fratrem acriter perorauit, Admiralium inprimis imprudenter fecisse affirmans, quod libellos, in quibus

Guisij Ducis oratio.

Et Cardinalis Lotharingi.

indigna peterentur ausus esset Regi in manus dare; impudentis esse, in Christianissimi Principis regno templa petere, quæ in auitæ fidei contumeliam, sectariorum vsibus accommodentur; hactenus ab Apostolis ad nos vsque deriuatam effloruisse sacrorum dogmatum veritatem immotam, quam Religionis, claustrorumque transfugæ, quippe corporis voluptatum inimicam conuellerent; fæculentas nunc per cœnobiorum retrimenta hæreseon veterum cloacas erui, viperarum cubilibus olidiores; & hanc nimirum esse nouantium doctrinam, cui triumphaturæ, nouæ in pompam patere debeant templorum moles, non satis sanos esse, qui à Christianissimo Principe ea sperare sint ausi, quæ ipsam Regis fidem & religionem euertant. Quòd verò virulentis Hugonotorum vocibus & contumeliis ipse & Guisius frater tum publicis in concionibus, tum priuatis in cœtibus tum probrosis libellis concerpantur, id verò sibi laudi vertere & honori, calumniantium quippe dentium attritu circunsonare latiùs eorum, qui lacerantur, famam; robustiori virtuti à tergo semper instare oblatrantem inuidiam, Orthodoxi dum à sectariis carpuntur, argumento esse dispares inter eos mores esse, & minimè consentientem doctrinam. Hæc Cardinalis Lotharingus, qui tamen Hæreticorum pœnis inducíarum aliquid indulgendum esse censuit, dum nihil à publica tranquillitate auersum molirentur; Conciliis autem œcumenicis, aut nationalibus abstinendum esse iudicauit, quòd fidei capita, quæ in controuersiam à Caluinianis trahuntur adeò plana essent totque Conciliis roborata vt maiori luce, & firmitate non egerent; quare necesse non esse, vt nouis iam quæstionibus agitarentur, & si quid à Principe tenebrarum, aut eius administris caliginis aliquid afflaretur, difflari commodè posse per Episcopos, dum Gregis sui caulis aduigilarent. Trium autem Ordinum comitia necessaria esse duxit, sic enim conuocatos totius status faciem vnà inspecturos, & quàm prudenter ingens hæc regni moles vertatur, quid ad vtile regimen addendum, detrahendumque coràm exposituros.

Negat conuocandum esse concilium.

Comitia necessaria censet.

Cardinalis Lotharingi, Guisiique sententiis assensi sunt Equites Torquati, siue quòd ij congruentia præsenti rerum statui attulisse viderentur, siue quòd cùm eorum autoritate in hunc ordinem adlecti propemodum omnes essent, horum sententiis obniti nefas esse putarent, quos in huius dignitatis aditu suffragatos sibi esse meminerant. Quartus dies conuentus Bellaquei finem fecit. Decreta deinde Meldis Ordinum comitia, mandatum Prouinciarum Præfectis vt publicæ procurandæ paci diligenter insisterent, seditiosorum consilia dissiparent, sectariis noua dogmata impunè esse finerent, dum perduel-

Assentiuntur Torquati Equites.

Ordinum comitia Meldis decreta.

lionis comperti non essent. Hæc potissimum in Bellaqueis agitatā cōmitiis, tum religioni tum regno haud mediocriter profutura, nisi ad genium & perniciosa immanis naturæ consilia rediissent Hæretici, probatæque sementi lolium inieciſſent. Hoc habent scilicet instituta regnorum comitia, vt in iis decernatur non malè, vix vnquam benè peragatur quod decernitur, quasi facienda tantùm accurentur, non facta; eo enim ipso tempore, quo consilia de pace agitabantur Lugdunum celeberrimum ad Araris & Rhodani confluenta emporium furtiuâ sed quæ frustra tamen fuit, irruptione à factiosis tentatur. Malignius iunior, qui ad id occupandum submissis clanculum copiis quasi de parta opulentissima ciuitate gloriabatur, tametsi ad id aggredi vetaretur à Nauarro patriæ tranquillitatis per quàm studioso, serò expertus est nihil tam occultè motum à se, quod vigiles Catholicorum excubias latuerit. Protius vrbis Tribunus Achonij Vicarij iussu insessis Rhodani, Ararisque pontibus per stationarios trecentos tantum coniuratis terrorem iniecit, vt præcipiti cursu intempestæ noctis tenebris magis quàm virtute sua tecti Araris pontem transilierint, insidias inde molituri, ac Catholicorum fraudis insciorum ordines turbaturi, vt sparso per præcipua vrbis loca terrore votorum compotes forent. Sed vrbem non diuitiis magis quàm religione nobilem hoc exemit periculo suis incubans excubansque Numinis bonitas, tum Catholicorum ardor, ordoque in profligandis hostibus singularis conspectus, Malignius illucescente vix die per patentem vrbis portam effugit, quam eo consilio recludi Gubernator iusserat, quò debilior foret fugatis coniurationis principibus coniuratorum reliqua vis, qui in occultas priuatarum ædium latebras abdidere se se; horum tamen comprehensi nonnulli & in furcam acti, vincti alij & ad Regem pertracti. Achonius Sauignij cœnobij Præses Sanctandreani Equitum Tribuni ex sorore nepos, qui vrbi per auunculi absentiam præerat, ob rem Mondrinij & Maugironi præsidio prosperè gestam, & festinatam, fidelemque Regi vrbique nauatam operam Arelatensis ab Rege Præsul est dictus, peruigil inibi Pastor animarum futurus, qui fortissimus corporum custos Lugduni extiterat.

Vtilia regno quæruntur; non accurantur.

Tentatur Lugdunum ab hæreticis, duce Malignio. Defenditur à Protio.

Malignius fugam arripit.

Achonius Arelat. Præsul.

Mondrinij & Maugeroni fortitudo.

Sic tandem opulentissimæ potiundæ vrbis spe Condæus decidit, quam si per emissarios occupasset, magnum rebus suis compendium allaturus videbatur, cùm geminus vrbem amnis alluat nauigiorum patiens, vnde commoda ad Geneuenses, Heluetios & Protestantes Germanos commerciorum datur facultas, quæ loca, præcipua sectariorum sunt, dum vim aliquam patiuntur, asyla. Regem procurandæ paci intentum noua hæc pacis turbamenta iustam in vindictam

accen

accenderunt; nam præterquam quod datis ad Sanctandreanum codicillis potestatem ei Rex fecit seuerè in proditionis Lugdunensis conscios animaduertendi, voluit insuper, vt per Septimaniam, Delphinatum, Prouinciam in criminis eiusdem compertos constitutæ irrogarentur pœnæ, quod & insuper Aumalio Guisij fratri, Brissaco, Thermo Equitum Tribunis demandatum voluit. Ipse verò Rex prætorianis cohortibus ad rebellium terrorem, & Maiestatis incrementum vallatus, Admiralio, aut timere, aut suis vltra quam deceret, diffidere creditus est, quod Regum dignitati tutelæque tribuitur secus quàm oportuisset interpretanti, iocantique super ea re parùm decorè; addebat tutum satis esse Regum clypeum beneuolentiam in suos, tractari securiùs sceptrum languidâ manu, quàm armatâ. Huic Guisius Regiam indolem subiecit maternis ita curis efformatam, vt timeri se Princeps non optet, qui amari se cupiat, neque eorum incurrere velit odia; quibus obuiam semper amicitiam offerre non desinat, verùm post factiosorum perfidiam recens deprehensam, post insidias Regi toties Regiisque comparatas, nihil esse cur admiretur Admiralius, si Regis securitati salutique consulatur, valleturque non spinarum, sed armorum aculeis lilium Gallicum contra manus insidiatrices, quod vt tutius esset, Procerum comitia Meldis indicta Aureliam translata sunt; transferendorum autem occasio fuit dubius de opulenta hac ciuitate rumor ab Ambosianæ coniurationis suspicione nondum purgatâ, quódque hæc ad Nauarri partes propendere crederetur. Augebant suspicionem Primores vrbis sectæ veneno imbuti, proniores idcirco erga eos, quos in Religione socios habebant, quàm auersos, quorum vt occulta pernoscerentur studia, aut meditatæ fortè factioni obuiam iretur, eò illata est Regis Maiestas, robur armis, si quæ necessaria forent, additura.

Rex prætorias cohortes auget.

Quid obiecerit Colinius.

Quid responderit Guisius?

Regiæ saluti consulendum.

Comitia Aureliam translata.

Sed antequam eò concessisset Rex, in conuocatorum nonnullis visa est nutare constantia; atque hæc trepidatio orta est à præteritarum rerum conscientia, futurarumque desperatione. Incessebat quippe hæc reorum mentes cogitatio, non totos acciri se, sed capita tantùm eaque mox exsecanda; in huiusmodi Procerum conuentibus indulgentiæ sæpius regiæ theatra excitari, vindictæ verò pegmata, in quibus subditorum noxæ, pœnæque spectantibus conuocatis ludibrio sint; formidandos Reges semper esse, tametsi beneuolos, quia nocere possunt, quantò magis cùm infensi sunt, quia nocere tunc volunt. Coram infinita hominum multitudine ingentia sæpiùs edi aut regiæ beneuolentiæ, aut seueritatis documenta; vt amandum iuxta ac timendum Regem esse condiscant qui

Recusant aliqui eò proficisci.

Nocentes præsertim.

Timendi semper Reges.

spectatores aduenerunt, referantque ad suos non impunè à quoquam Principibus illudi. Hæc aut similia morabantur aliquos iussu Regis accitos, qui audito Ministros Geneuâ conuocari ad audendum nefas omnino proiectos, ambidextros, venalesque, Parisiis firmo septus comitatu Artenæum venit, quo in loco Carolus Marillacus Archiepiscopus Viennensis, de quo supra pauca retuli, per fiduciarium nuncium Lonuianam Mompenserij vxorem certiorem facit certum Nauarro, Condæoque imminere ab Rege periculum, absterreret itaque vtrumque ab aulæ insidiis, tutosque ab omni naufragio præstaret Condæi liberos. Hæc cum expectato successu caruissent, veritus Præsul, ne Guisiis vndique per infinitas excubantium aures auscultantibus data recens pro conseruandis Principibus monita deferrentur, animi mœrore contabuit, obiitque triduo ante Francisci Regis mortem. Vir fuit eminenti doctrina, facundiáque præditus, politicarum rerum gnarus, moribus integris; amplissimis cum laude perfunctus legationibus, idcóque prolixiore mortales inter vita dignus, nisi immortalium vitam nullis casibus obnoxiam vehementiùs adamasset.

Rex Artenæum venit.

Marillacus ex mœrore obiit.

Eius virtutes.

Interea Rex Artenæo Aureliam venit, ac ducto bellatorum numero multis terrorem iniecit, quò magnus hic belli apparatus pertineret, ignaris. Et quia ardentiore longè Rex Apostolicæ fidei studio, quàm publicarum Regni sui rerum amore flagrabat, subditorum mentes hoc arctiùs sibi colligaturus, quò strictiùs Deo copularet, edicto properè condito sancitum voluit, vt ab omnibus iuxta formulam ante XVIII. annos per Sorbonicos Doctores sanctitate doctrináque percelebres editam, fidei professio exigeretur, vitáque & bonis mulctarentur qui parere abnuerent, quod à sectariis ægrè admodum acceptum, indéque factum, vt acriora longè in Guisios acserint odia, quos autores edicti censebant. Cardinalis tamen Lotharingus præcipua flagrauit inuidia, cuius è nutu Regem agi, torquerique varias in partes suspicabantur. Missi itaque per prouincias omnes armati, qui nutantibus in fide, eamque profiteri cunctantibus manus iniicerent, seueréque mulctarent; ac ne quid inde turbarum existeret, diligentiores à Parisiensibus collocatæ fuerunt excubiæ, lustrata omnium domicilia, si quid priuatim in Regem pararetur, aut Regios; inanis hic pauor fuit, sedata quippe cuncta deprehensa: nullus vllibi armorum apparatus inuentus. Andelotus peditum Magister sectæ addictus, eiurato magisterio saluti suæ consulit, militem parum ad imperia factum causatus. Ea rerum tum facies erat, quæ à fatali non procul esset exitio; tantaque animorum confusio, vt qui timebantur, non ex vano timerent ipsi. Aureliam iam cùm armatis Rex

Rex Aureliam petit. Fidei professio iubetur.

Queruntur hæretici.

attigerat indutâ seueritatis personâ, deerat autem in quem eam effunderet, & iratum esse patebat è vindictæ desiderio, vindicta verò quam ingens futura esset declarabat scopus ingens, Condæus scilicet in quem vnum collimabat. Quare Curloliu Comitem ad Nauarrum Rex cum literis misit, vt Condæum fratrem super Ambosiana coniuratione suspectum ad se perduceret, vt tam grauis impositi sibi criminis inuidiam propulsaret, Hi semel atque iterum acciti, varias identidem rationes prætexendo, profectionem differebant, detinentibus eos amicis, ac præsertim remorante conscientia, quam tametsi criminis puram esse affirmarent, dissuadebant tamen plerique, ac ne se in viam darent, obsecrabant. Cui enim bono, in vado cùm esse liceat, periculosas tentare syrtes, & absorptura naufragia? malè creditur iis, quos læseris aliquando, aut qui læsos se fuisse putarint; blandiantur illi coràm, & infinitis promissis alliciant, offensarum præteritarum recordationem sensumque omnem abiecisse deierent, peiùs etiam creditur illis; frons, oculi, vultus ad humanitatem compositi inuolucra sæpius sunt latentis in animo veneni, stultum est hostium se fidei committere, spondetur ab iis securitas, paratur plerumque securis.

Nauarrus & Condæus Aureliam ire iubentur.

Tergiuersantur.

Vitanda pericula.

Contrà verò longè sapientiùs commonebant alij veneranda Regum imperia esse, sic obstruenda criminantium ora nefas aliquod à Principibus cogitari, Nauarrus ipse siue à conscientia tutior, siue ad credendum pronior Condæum fratrem identidem hortabatur, ne Regis imperio pertinaciores moras afferret, hanc mutandi meliorem in statum regiminis publici certam esse viâ, qui vnus scopus omnium fuit; si eò sistere se detrectarent, coniectis in se criminibus facturos esse fidem, trepidationem ipsam conscientiæ, admissi criminis argumentum esse non leue; inducere se in animum minimè posse, vt ab adolescente Rege, ab Itala fœmina, ab extraneis fratribus duobus, in nobilissima conuocatorum Procerum corona seueriùs in Principes regios statuatur aliquid, & probroso supplicio, quo vilissima mulctari solent capita, effundatur augustissimus Principum sanguis, cui toties in auis atauisque Regibus sacro chrismate delibuto reuerentiam habuere Reges, veriti ne si tantorum Principum sanguinem violarent, violarent & suum: certum itaque sibi assentiri dixit Regis imperio, sed non absque Condæo fratre, quem comitem omnino volebat, ne absentes, inauditique damnarentur; multa sibi superesse ad Regem perferenda, quibus delerentur maculæ sibi à calumniantibus inustæ; reorum, aut illorum in ore, qui sontes esse putantur, dum causæ suæ patrocinantur, potiora longè esse rationum momenta, quam in altero, qui pugnacem tantum afferat eloquentiam, non expostulantem de inu-

Nauarrus Condæo est auctor, vt Regem adeat.

Reuerendus Principum sanguis.

Vis expostulantis natura.

riis naturam, quæ omni arte fœcundior est, quia quod patitur, robustiùs eloquitur, & eloquendo propulsat. Quòd si regias in aures falsis rumoribus antè occupatas rei veritas illabi non possit, non eum esse Regem, qui cùm multos hostes perdomuerit, seipsum frangere non possit, iramque comprimere, ne Principum sibi proximâ cognatione deuinctorum sanguini tam proteruè patiatur illudi. Suadebant idipsum Principum Aulici, dehortabantur Roiensis Condæi socrus, & Heleonora eiusdem vxor; Condæum quippe afflictum malebant quàm nullum; aut si ratum vtrique foret dare se aulæ, monebant, vt prodirent armati contra destinatam hostium vim, & occultas insidias; itáque demum agerent, vt agnosceretur ab hostibus non impunè peti Principes, maximè innocentes. Hæc eadem Beza monita dabat.

Condæum dehortantur fœminæ.

Beza pariter.

Hæc dum vario & timentium & amantium animorum conflictu agerentur, Bouchartus, siue Bucardus Nauarri Cancellarius, de quo superiùs dixi, Regem per literas monet rogatque vt Condæum à Nauarro seiungat, testatus ex quo hic ad Nauarrum adiecat turbida omnia in Nauarri aula notari, euocatos iam è Geneuensi conciliabulo ministros, qui sparsis vbique discordiarum seminibus Galliam totam ad exitium & vastitatem vocent; integrum quidem à prauis consiliis Nauarri animum esse, periculum tamen imminere ne si diutiùs cum malis conflictetur ingeniis, eandem in se morum corruptelam deriuet, facilemque eius peruincat indolem, horum, qui praua suggerunt, importunitas. Idem & Lotharingo Cardinali inculcat, admonetque, vt & suæ & Guisij fratris saluti curâ deinceps intentiore prospiciat, atque id priùs moniturum se fuisse ostendit, nisi hostiles autè introspiciendæ fuissent machinæ, ne ex inexploratis & incertis nunciis nasceretur timor certus. Sub id misso antè Cursolio Sanctandreanus Marescallus ad Principes ab Rege destinatur, vrgetque Regis nomine profectionem dilatam diutiùs, interesse quippe Principum hunc Regni primorum cœtum adire, quorum in gratiam coaluerit, in quo tot Galliæ turbis postremus tandem statuendus sit finis, & quam animo ipsi præcipiunt, noua Reipublicæ instituenda sit forma. De recta status administratione, rebusque de religione controuerti solitis non petenda tantùm à sapientibus arbitria esse, sed postremò definiendum, ne in opinionum lubrico vacillent semper titubentque animi; id autem qui fieri potest, si Principes absint, qui statuta prudenter autoritate sua communiant. Nutabant in Condæo adeundi aut non adeundi Regis consilia, donec Cardinalis Borbonius cursoribus equis vectus Nauarrum, Condæumque fratres

Monetur Rex, vt Condæum à Nauarro seiungat.

Monetur & Card. Loth. vt sibi consulat.

Sollicitantur iterum Principes vt regi pareant.

ad id aggrediendum perpulit iter; cedendum affirmans Regis viribus coactisque cohortibus, si Regis imperiis obstitissent; deinde maxima habere se monuit Regiæ in vtrumque beneuolentiæ documenta; irent itaque, maturarent, cominus experturi placatum, quem eminus formidarant iratum. Cardinali creditum, & in hoc cardine defixæ vtriusque spes, horrendum tamen in modum concussæ, penéque decussæ ob sequentem procellam, quæ Condæum absorptura omnino videbatur, nisi Regis fatum interuenisset, morsque Francisci Regis, vita fuisset Condæi. *Obsequuntur.*

Nauarrus itaque relictâ Pali cum liberis Ioannâ Reginâ coniuge, cum Cardinale, Condæoque fratribus ad iter se comparat. Comestabilis à Rege per literas ad comitia vocatus, non apertè restitit, sed cautè distulit, aut affectam valetudinem, aut quid simile obtendens, exploraturus tacitè quid Borboniis periculosam aleam tentantibus pararetur à Rege. Interea Lutetiam Parisiorum delatus ex articulari morbo aut vero, aut simulato decumbit: dein in cruciatus alleuamentum domum se asportari iubet lentiore viarum progressu, quasi festinationem minimè pateretur morbi vis, ætasque ingrauescens, sic quæsitus apprimè pedum inualidorum prætextus, quo securitas capiti foret. Ibant autem Principes non tam equis quàm conscientia sua innixi, cúmque Lemouicum attigissent, ingens nobilium multitudo Nauarrum salutatum adiit, è quibus septingenti numerati primariæ nobilitatis sectarij in armis omnes, & ad omnia parati, si modò Regni patronum se tutoremque Nauarrus ferret, hoc est Guisianæ fortunæ potestatisque impugnatorem, Atque id consociatis expetebant omnes votis, pollicebantur insuper multa bellatorum millia, quæ tum apud Vascones, Pictones, Phocensesque collecta vnum scilicet ductoris præstolabantur nutum, in Normannia præterea turmas equitum ingentes expectari asserebant, & ex omnibus Galliæ Prouinciis adfuturos continuò infinitos, qui arma, qui opes, qui vitam ipsam pro Nauarro, proque tuenda religionis causa deuouerant. Nauarrus gratias maximas nobilissimis volonibus egit pro tam grata in se suósque propensione; verùm, quod offerebant præsidium & à genio suo pacis amantissimo, & ab inclinata fortuna sua plurimùm abhorrere significauit; qui enim, cùm pacis consilia spectauerit semper, ad turbandam iam lacerandamque Galliam mentem inflectat, Regemque nouis bellatorum delectibus exasperet, cuius gratiam supplicis habitu demereri longè consultius sit. Interim quantum equitum peditumque spondetur, aut sponderi à Reformatis potest, quantulum tandem id est, si cum numerosissimis, componatur fortissimisque Re-

Comestabilis etiam a Rege vocatus morbum obtendit.

Nauarro studentnobiles.

Opem offerunt.

Recusat Nauarrus & cur?

Eius Oratio.

gis copiis,quid si Regis addatur auspicia,& cum auspiciis felicitas,quæ cùm Regiis semper cœptis obsecundarit,haud eũ facilè in præsenti discrimine desertura sit? num hæc euincent omnia modestiùs agendum cum Principe,cuius ira vitari à superbis & rebellibus nequeat, à subiectis autem & supplicibus possit. Quin & non segniter reputandũ quid congregati Regni primores iactaturi sint,si septum armatis Nauarrũ Aureliam properantem viderint, nunquid vt hunc Procerum cœtum disturbet venisse clamabunt? aut vt cum Rege ipso Martis experiatur aleam eumque ex auito Valesiorum Regum solio per summum nefas exturbet, nihil ab Hispano Rege cupidiùs expectari, quàm vt Nauarrus à Rege Regisque partibus desciscat, sic enim Nauarræi regni reliquias inuasurum se confidit,si solus defendat Nauarrus Francisci Regis gratia deiectus, amentis esse aliena quærere, negligere sua; sic Nauarrum disseruisse ferunt, & vt decebat Principem, audacter simul & sapienter.

Subiectis parcendum

Progrediebatur ergo Nauarrus ad Regem cum Principe Condæo timido, dubioque gressu, cùm ambigua ex aduerso semper occursaret, terreretque regia mens, sed fiduciam iniecit Georgius Cardinalis Armeniacus, à Guisiis (vti credebatur) submissus, peruicitque vt inermis in aulam properaret; & Armeniaci orationi, qua Nauarrum infregit, vim addebat purpuræ dignitas, sanguinisque affinitas siue vera, siue ita à plerisque existimata; pupugitque postea Cardinalem consilij Nauarro ab se dati infelicitas, dum Principes fratres ab Rege seueriùs acceptos esse cognouit; aulâque indignabundus excessit iactis aduersus Guisios querelis, quòd sibi & nobilitate & dignitate tanta pollenti iniuriosè fecissent,illaqueandis Principibus tantis delecto; in pedicas turpiter demissum se fuisse, qui nihil tale metuentes ludificâsset incautus; sed factum illud, eius qui fecit, ignoratione meritò excusari, deceptum se priùs esse, quàm deceperit; Nauarrum blanda Armeniaci oratione fretum, certùmque vlteriùs progredi perterruit maximè quod adiungam. Pictones hic propè attigerat, cùm Melchior Pratensis Monpezacus Pictonum Præfectus aduentanti portas obserari iubet, quóque festinatiùs res fieret, Regis, Reginæque Mediceæ prætendebatur imperium, Id in omen appropinquantis casus grauioris acceptum, exclusumque se Regis gratiâ Nauarrus credidit, dum eius excluderetur ex vrbibus; Lusignanum cum fratre concessit, vt Regis opperiretur imperium. Illic discordibus comitantium sententiis pugnatum est acriter, aulam nonnullis suadentibus, dehortantibus multis. Quid enim in laqueos se se induant Borbonij Principes, iique volentes integrâ nunc stante nec-

Cardinalis Armen. metuentem Nauarrum confirmat.

Periculosum dat consilium.

Eius excusatio.

Nauarro Pictauij portæ obserantur.

Timet Nauarrus.

Timoris causa.

non blandiente fortunâ? cui non compertum sit ex infelicibus huiusmodi initiis tristiores exitus præsagiri; prælusum iam esse luctuosæ consummandæ tragœdiæ, cuius actores propediem in scenam prodituri sint vni Principes, hostium oculos clade sua pasturi. Quid superest igitur, nisi vt retro pedem referant, nec in reprehensionem cadet repens hæc voluntatis consiliique mutatio, cùm priora mutata fuerint consilia, quorum ad varios flatus variè quoque moderandus est remigantium labor. Tutiùs pugnaturi sunt è longinquo Borbonij quàm è propinquo; honestiùs liberi, quàm compediti; armati quàm supplices, & tametsi conscientiâ sua freti sint satis, malè securi esse possunt ab aliena; quasi verò tam validis circumsepta probitas præsidiis sit, ei vt non insultet hostilis versutia, periculosum quippe hoc tempore solâ innocentiâ viuere, quoties oppressa rectè & honestè viuentium vita, imò quoties hominibus obfuit apud homines integrè, innocenterque vixisse; ita enim verò maximis virtutibus rarò parcit aut veteratorum nequitia, aut liuor.

Non semper tuta est probitas.

Hæc Nauarro sæpius incassum obiecta, adeundum semper Regem affirmanti, tum si quid olim deliquisset, haud tanti faciendum illud esse, vt mulctari debeat acerbiùs, quod si carpantur inimicitiæ à Principibus in Guisios exercitæ, abundè pœnarum fore, si extorres ab aula Principes priuatos ad lares amandentur; sic nempe Guisianæ factum iri satis iracundiæ, qui amoto riualium metu gubernaturi sint soli; si verò retro flectatur iter, quis non videt oritura ex hoc regressu ciuilis belli semina, ad quod tamen imparati sunt ab omnibus Principes, nam vbi arma? armatique? aut eorum cogendorum facultas? vbi sociandi cum vrbibus fœderis spes non vacillans? vnde opum, annonæque paranda subsidia? Principibus obserantur vrbium & pagorum aditus inermibus licet & supplicum in morem aduentantibus, quantò infestiùs repellentur armati? vlcisci ambientibus vana erit sine viribus ira; fidei ergo ab Rege datæ securitatem pollicito committenda est Principum salus, nihil vnquam ex vano spondetur à Regibus, verba pro vinculis habentur, quibus adstringitur Regum fides, nec ligari quidquam tenaciùs potest. Hoc Nauarrus eloquebatur, hoc in aures admittebat Condæus maior animi robore, quàm felicitate, à qua propemodum desertus, quantò ad aulam celeriùs, tantò festinatiùs ad exitium ruebat, nisi fatum imminens mora temporis auertisset, Profecti itaque Pictauium Borbonij ita Medicæa iubente, quæ Monpezaco contrarium, quàm quod egerat, imperatum esse dicebat, à Paulo Thermo, qua par erat veneratione accipiuntur, inde Lochias, illinc Aureliam tandem perueniunt

Regem adire statuit Nauarrus & cur?

Vana sine viribus ira.

Principes Pictauium intrant.

Aurelia sine pompa excepti.

Mompenserio, & Rupisurionio cum exigua comitantium turba obuiam, vti mandatum erat, progressis. Illic in seriis morosisque frigidè salutantium conspectibus, parcoque à Nobilibus, qui tum aderant cultu impenso, commutatæ sortis faciem seriùs agnouere Borbonij, displicuitque maximè Nauarro, cùm de Principum more, qui Regis in familiam allecti censentur, in interiorem Regij palatij aream equo vectus subire properaret, à custodibus contemptim prohibitum se, coactumque cum fratre fuisse, dimisso equo per ostiolum ingredi. Hæc à fratribus placatè in speciem accepta, maiorem longè spem vultu simulantibus, quàm prensantibus manu. Itum tandem in Regis conspectum, qui periculosior scopulus erat, vnde timebatur naufragium præsens. Contractior Regis vultus, vultuique consentiens sermo in austerum deflexus, stantesque in vestigio tanquam immotæ columnæ Guisij ab assuetis complexibus temperantes iusto sanè metu Principes perculerunt, quos in Reginæ Matris cubiculum deduxit Rex solus sine Guisiis, quod etiam non mediocriter terrorem adauxit. Principes excepit Catharina non absque lacrymis qui fœminarum mos est, siue in charorum, seu in aduersariorum aduentu; adhibuitque signa quædam proni in ipsos amoris aut vera, aut ficta, postquã mutuas salutationes orsus est Rex Condæo in faciem obtrudere crimina, propter quæ in aulam euocari eum iusserat, quæ diluere ipse adniteretur, Grauiter autem conquestum Regem ferunt, quòd Condæus nusquam à se ne verbo quidem violatus, ausus tamen esset regios in se subditos vehementiùs concitare, variis in regni prouinciis ciuilis belli faces incendere, primarias Galliæ ciuitates ad defectionem sollicitare, Regi, regiisque ipsius fratribus insidias occultas machinari. &c.

Et ab irato Rege.

Quid Condæo Rex obiecerit?

Crimina sibi obiecta refellit.

Ad hæc omnia Condæus incredibili animi robore septus respondit per inimicorum dolos & inuidiam hanc sibi textam esse telam, quam facili negotio dissoluat vita quam præ se tulit semper, integritas, quam ipsa luce clariorem liuidorum etiam oculis defixurus sit, adeóque testatam vt oblatrantium aduersariorum, canum veriùs os obstructurum se esse confidat. Rectè id quidem (subdidit Rex) sed quò explicatiora fiant omnia quæ congeruntur in te crimina, iuxta legum placita, Iudicum tribunalibus expendenda tradentur. Itaque Regis iussu à Brezæo, & Chauignio custodiæ regis Præfectis in ædes Dominicanis vicinas deducitur, quarum in angulo laterjtiõ prominebat propugnaculum tormentis minoribus ad tutelam communitum, clathris ferreis septæ fenestræ, præsidia collocata, & alia tumultuario constructa opere, quæ omni ex parte digredi volentibus contraria forent.

Attinetur.

forent. Hæc tum Condæi afflicta sors erat, quam deprecari Nauarrus instititit, sed frustra, vadem se pro illo non semel obtulit, reiectum id fuit; eundem, si modo vigilum semouerentur oculi, custodire ambiit, & id quoque neglectum. Conquestum tam miseram fratris sortem ad Medicæam abiit, doluit illa aut dolere se finxit factum id esse; quod vt fieret, nihil, quod aiebat ipsa, contulerat, in Guisium Ducem inuidiam tũ omnem reiiciens. Sed qui sortis alienæ deprecator venerat, suæ postmodum opus habuit deprecatore Nauarrus, comprehensus quippe est ipse, intrususque in hospitium à Regiis ædibus non procul remotum, nouique circà præsidiarij constituti, Carceris simulacrum fuit aliquod, ne carcer omnino esset, fecit libera ei cum fidis colloquendi facta potestas. Interim è custodia, Regis & Cardinalis fratris fidem implorabat Condæus. Huccine omnia recidisse, nihil vt in Magnatibus præsidij sit, nihil in Regum promissis, nihil in purpuratorum Patrum hortatibus tutũ, laqueos vbique occultasque parari artes non cautis satis Principibus illaqueandis. Hæc seriùs queretebatur Condæus, dum interea crimina, quibus accusabatur accuratiore trutina pensarentur, quæ vt planiora fierent, Regis iussu captus est Almericus Bocardus, de quo supra, cum literis omnibus, quas penes se habuit perductusque in aulam est tantâ comitum curâ, vt ne quid in os sibi veneni ingereret, prægustarentur cibaria, ne subita morte præreptus, per literas tantùm mortuus testaretur, quod viuentis testimonio astruendum foret.

Nauarri pro Condæo maeror & studium.

Tristatur Regina.

Comprehenditur etiam Nauarrus.

Condæi questus.

Condæi facta discutiuntur.

Bocardus capitur.

Sed quod multorum expectationem fefellit, missus est Tanaquillus Carrugius cum acerbis mandatis, vt Magdalenam Malliam Roiam Condæi socrum attineret ingentioris & fidentioris animi fœminam, quippe quæ sexus infirmitate tectam se satis putaret, nimio erga generum studio exardescens coram Medicæa prolocuta fuerat, quæ Guisiorum in se odium non mediocriter incenderent; capta itaque est cum literis aliquot & in Sangermani fano inclusa, Quæ cùm per vniuersam Galliam spargerentur, varios tum mirantium, tum miserantiũ motus efficiebant. Miserari præ cęteris visa est Renata Ferrariẽsis Guisij socrus hæretica, ex Italia in Galliã religionis suæ liberiùs profitendæ causa migrarat. Hæc Aureliam salutatum Regẽ adiit, generumque aspertima hac oratione increpuit. Adeone vilescit apud te Principum sanguis, vt eum ab illiberali sordidoque non discrimines, peccatis paribus par periculum, paremque statui pœnam sinas? An non menti occurrit è Principum plagis nunquam emitti sanguinem solum, effluere quippe vna celerem aduersus hostes intorquendam vindictam; nescis tam illustrium virorum cædibus tumultus ali, non

Condæi socrus attinetur.

Renatæ oratio ad Guisium.

E principum nece vindicta.

extingui; seuerè itaque admonet, temperet ab incœptis, se si tempori aduenisset, adnixuram fuisse, vt Condæo tutiora omnia essent, quàm præsens rerum facies sinat. Sed hæc incassum missa nihil profutura Condæo, vt enim raro in carcerem compinguntur Principes, ita rarò elabuntur impunè. Comestabilis pedum dolore decumbens proximè Parisios delatus erat, aulam aditurus, sed nunciato Borboniorum periculo spectauit è longinquo fabulæ seu tragœdiæ epilogum. Interim acciti à Rege Christophorus Thuanus Præses, Bartholomæus Faius,& Iacobus Viola Senatores, necnon Ægidius Burdinus Cognitor Regius, & Tilius Curiæ Protonotarius, cum his Hospitalius Condæum adit, sed recusat iste nouam (vt aiebat) iudicij aduersus Principes exercendi formam, cassam eorum apud se iurisdictionem exclamat, causæ suæ cognitionem non ad ipsos, sed ad Senatum Parisiensem coram Rege, Regnique Patriciis, seu Paribus pertinere. Post iteratas altercationes, prouocationes, repulsionesque instante Burdino cognitore Regio decretum fuit, vt, nisi Iudices sibi ab Rege datos Condæus admitteret, si eludere pergeret ac respondere abnueret, conuictus & peractus Majestatis reus haberetur.

Comestabilis alieno periculo sapit.

Iudices à Rege datos Condæus respuit.

Dum Iudicum in id curæ intenderentur, lamentis interea, questibusque indulgebat Condæi vxor, non ita tamen mœrori se dabat vt frangi se sineret, vias omnes emolliendæ Regis iræ pertentans, à quo per libellum supplicem impetrat, vt marito, quoniam improspera huic erant omnia, eruditi darentur viri qui in hac sortis calamitate labentem mentem erigerent. Dati à Rege Petrus Robertus, & Franciscus Marillacus celeberrimi in foro Patroni; Et quia Iudicij extrahendi cupiditate flagrabat Cōdæus, haud ignarus exiguâ sæpiùs tēporis morâ magnas fieri rerū mutationes, postulauit vt antequā responderet, sibi cum vxore, Nauarro,& Cardinale fratribus colloquendi copia fieret, quod negatum est ei; concessum tamen; vt per literas cum illis ageret; quin & adempta sunt eidem seruilia ministeria, omnibusque ad ipsum aditus interclusus. Ille desertus ab omnibus, constans animo tamen, consolatrices calamitosissimi status Christianæ Philosophiæ sententias aduocabat, regustabatque sæpiùs, liberum eum inter arctos vinculorum nexus agere, cuius animus à crimine liber esset, abhorrere ab innata Principibus mentis excelsitate formidinem mortis, nec eam horrori esse debere, si honesta sit, nec esse posse non honestam, dum adrepit ipsa tacitè, aut cùm expleta est natura satietate viuendi, aut cùm vi consciscitur immerentibus mori. In hanc ferè sententiam ad vxorem scripsit, monuitque vt inauspicatam hanc sortem sedatè ferret, cúmque ipse homines auersos habe-

Questus Condæi vxoris.

Consiliarij ei dati.

Deseritur ab omnibus.

Pia eius è Carcere documenta.

ret, præsto fore Numinis opem innocentiæ suæ testis, & patroni, sique traderetur aduersariorum inuidiæ, nihil sibi morte iucundius fore dixit, quæ cùm malorum omnium expultrix sit, vitæ suæ tot ærumnis affectæ certum esset finem impositura.

Carcer officina sapientiæ.

Sic è carcere disserebat Condæus, quem locum officinam sapientię haud perperam appellarim & saluberrimum cōciendorum motuū obicem, cùm selectissima inde viuendi iuxtà ac moriendi præcepta petantur, sapientesque inde remigrent, qui eò tubulenti aduenerant, squalore enim horroreque inclusi illius supplicij incitatiores paulatim reorum spiritus elanguescunt, quibus remissis, refractisque mens se se intra semetipsam colligit, & collecta sapere discit. Horrendum autem dictu est, quod à nonnullis proditum est, de opprimendo per insidias Nauarro deliberatum fuisse, ne post Condæi fatum vltor superesset aliquis. Huius autem atrocissimi concilij autores Cardinalem Lotharingum & Sanctandreanum fuisse confingunt, sed quia dubium id scriptori qui retulit est visum, à me pariter inter commenta referetur. Qui enim in Cardinalis Lotharingi mentem cadere potuit optimis moribus præditi, vt in moderatum, vt antè diximus Principem, tam intemperantis sæuitiæ foret; repugnabat etiam tam tetro consilio Mediceæ Reginæ mens erga Nauarrum idcirco propensa, cum vt Guisianæ potentiæ aduersum opponeret; cassam autoritatem suam fore pertimescens, si careret æmulis Guisiana virtus. Addunt autores fabulæ Nauarrum feralis rei huius admonitum, ne ignaua morte concideret, vim vi repellere, armis arma opponere statuisse, & quia sicariorum multitudini cedendum tandem erat, repetitâ Cæsaris memoriâ fido alicui præcepisse, vt vestes suas sanguine suo imbutas filio suo traderet, quarum aspectu pasceret inueniles oculos, & si virum se olim atque adeò Antonij Regis filium nosset, caperet firma paternæ vlciscendæ necis consilia, & prætextâ depositâ à nobilissimo hoc facto virilis ætatis commendationem duceret. Sed de hoc satis, purâ hac veste, ac nunquam Antonij Regis sanguine cruentatâ anile hoc obnubamus commentum, vt ad veriora, & ab historicis omnibus tradita stylus excurrat. De Nauarro igitur reo non satis comperto mitiùs longè statuebatur, quàm de Condæo, quem tandem Iudices tanquam imminutæ Maiestatis reum capitis abscissione mulctandum esse pronunciarunt. Fatali subscripsere sententiæ Iudices omnes tum togati, tum torquati Equites præter Sancerrum Comitem, qui bis hac inre Francisci Regis iussa elusit, Cancellarius, & Morterius ingrauescente Regis valetudine subscribere pariter recusarunt, Comestabilis ad rem candem iussu Regis accitus podagræ do-

Mendacia de opprimendo Nauarro sparsa.

Damnatur Condæus.

Ferali sententia non subscribitur ab omnibus.

lores sibi alias commodùm patrocinatæ callidè prætexuit; auocabat quippe hominem à commodando chirographo suo Borbonij sanguinis reuerentia, tum Regem ne adiret prohibebat timor; & quanquam audere eum iuberet conscientia, timidum tamen omniaque circunspectantem præstabat temporis acerbitas, hostiumque odium cuncta in aduersum trahentium, qui sua interesse non putant certis ne an incertis criminibus onerentur, quos infensos habent, dum certa eorum sit pœna.

Accusatorum scopus.

Immaturus Francisci II. obitus.

Expectabatur Condæi fatum, imò & à nonnullis vrgebatur, dum immaturius aliud, ideóque minùs expectatum vidit, luxitque Gallia, Franciscus enim Rex corrupto per purulentorum humorum congeriem cerebro, qui sinistram in aurem defluebant, hominem, Regemque exuit nonis Decembribus ætatis anno 17. decimo mense, vno plus die, cùm regnasset annum vnum, menses quinque, dies viginti; sacramentis Ecclesiæ ritè procuratus, vt Christianissimum Regem addecebat, excessit. Tradunt aliqui acceleratam ei mortem fuisse ab Ambrosio Chirurgo Caluiniano, veneno inter medicamenta in aurem intruso, sed id temerè asserere minimè ausim, inuidiam namque parricidij satis amolitur perperam semper affecta Regis valetudo, non diu Regem passura mortales inter superstitem. At si Caluinianus Chirurgus extra noxiam est, damnandi certè Caluiniani complures, qui lugubre hoc Regis fatum cantilenis ad hilaritatem & Regis ipsius infamiam compositis, libellisque pari argumento conscriptis prosequuti sunt, ausi etiam elephantiasin ei affingere quasi sectæ per eum seueriùs habitæ piamen aliquod cælitus missum, sic demortui leonis iubæ à plerisque impunè vellebantur, & qui superstite Principe vix liberas cogitationes habuerant, eo terris sublato, non cogitabant tantùm sed impudenter cogitata promebant. Si Franciscum Regem habuisset secta fautorem, in immaturo eius fato remuneratorem agnouisset, extulissetque Deum, qui nouellæ Religionis tutorem haud diu passus fuisset mortales inter agere immortalitate Principem dignum, eundem heroas inter aut semideos cooptasset, quæsitura qua cæli parte nouum collocari sidus placeret; sed quia inductas in auorum Regum religionem corruptelas abigebat, infelici fato extinctum esse finxerunt corruptelis huiusmodi ludificati perduelles. Demortui Principis cor in Cathedrali Sanctæ Crucis æde conditum est; congruum enim erat eum in venerabilis illius ligni sinu claudi, quod aduersus impugnatores sacrilegos tam

Gaudent hæretici Regem occubuisse.

Eorum calumniæ.

Cor Regis in S. Crucis templo conditur.

constanter propugnarat. Corpus eius nullâ aut modicâ pompâ ad Sandionysiana Mausolea delatum Brossio, & Sansaco eius adolescentiæ moderatoribus prosequentibus solis, quibus tertium se inseruit Ludouicus Guillartius Siluanectensis Episcopus oculis corporis captus, & in hac orbitate felix, qui tam exiguam parentantium coronam intueri non posset, quod dedecori vertit Præsulibus aliquot hoc in obeundo munere desideratis, idem improperatum est Guisiis, quasi non vltra oblatas exaggerandæ fortunæ spes erga Reges officiosis, hos tamen excusare poterat labascens extincto Rege Gallici Regni status vigilantioribus curis firmandus. Paucos corporis comites virtutum comitatus ingens pensauit, quibus septa pij Principis mens euolauit ad Superos, nulla vitiorum mole præpedita, quæ tam auspicatum tardaret iter, Rex enim sine vitio aut innocens suffragantibus bonorum omnium sententiis appellatus est, qui titulus speciosis Africanorum, Parthicorum, Germanicorum vsurpatis ad ambitum cognominibus tantò augustior est, quantò difficilius esse creditur innatas, enatasque è nobis scelerum turmas expugnare, quàm prouincias atque regna sub jugum mittere, quorum alterum Dux cum milite, alterum Dux sine milite præstare solet, Nam vt rarior, ita & illustrior est sui, quàm aliorum victoria.

Cadaueri modicus habitus honor.

à Præsulibus & Guisiis.

Regis Virtutes.

Rex sine vitio.

Ardua sui victoria.

Immaturo Regis fato Cometes præluxerat cœlestis monitor, aut lingua Cæli iratum hominibus Numen denunciantis, pœnamque sanguineo rubore præsagientis, quam pœnam non tam pertulit Rex ob vitæ, Galliæque suæ iacturam, quàm Gallia ipsa tanto sibi Rege prærepto. Ad huius libri calcem lectorem commonere iuuerit, vix à Francisci secundi rebus gestis religionis causam potuisse secerni, cùm toto regni decursu Rex Optimus insidias ab Hugonottis, occultasque in se, aut in Catholicam religionem grassationes aut pertulerit semper, aut represserit, aut iustè vindicarit; Inclinatis autem Principū rebus ansam dedit sectæ contagio his in Procerum factiosorum negotiis immixtæ; accessit nonnullorum ambitio non postrema mali labes, quam sequutus est liuor & effrænis alienæ potentiæ æmulatio. *Hinc noua fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cæperunt, dum Abel iustum Cain zelat iniustus, hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur, ad hæreses, atque schismata prosilitur.* Hæc Cyprianus olim eloquutus apposité, hæc multo pòst tempore mœrens experta est, & adhuc experitur, patiturque Gallia; adiutricem hæresim sibi iunxit ambitio; ambi:

Cometes Cælestis monitor.

Hæresis & ambitio sibi ancillantur.

tionem hæresis sibi patronam adoptauit, mutuumque pestes geminæ præstitere sibi subsidium; in cædes quasi laxatis habenis itum est, & perinde quasi ancillantibus sibi scelerum monstris, à vitiis ad vitia decursum. Quietiora fuissent tempora, si regij administri regiæ stirpis Principibus, aut Principes delectis Regis administris plura tribuissent, si pacatiùs Guisios tolerassent Borbonij, Borbonios verò Guisij coluissent impensiùs.

Quid ad pacem tum necessarium fuerit?



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ:

SVB CAROLO NONO REGE.

LIBER QVARTVS.

Ab Anno Christi 1560. *ad Annum* 1562.



RANCISCO Secundo Fratri successit Carolus Nonus, Maximilianus à sponsore lustrico dictus, purissimum Infans lac hausit quanquam à Caluiniana nutrice, nec trãsiit in pueri mores altricis improbitas; prima enim eius odia in sectã ac sectarios versa, quæ eadem fouit ille impẽsiùs cùm accessit autoritas & potentia maior. Rex enim salutatus cùm vndecennis vix esset, Ecclesię Matris Primogenitum se fore nõ credidit, nisi acerrimus eiu'sdem propugnator existeret quod dum exequi maturaret, Numini placuit generosam eius indolem

Carolus IX. Maximilianus dictus.

probaturo haudoccultis indiciis significare, quanta oporteret eum pro tam nobilibus cœptis perpeti, monstra identidem errorum ob- trudi permittens in religionem armata, quæ Rex tum Apostolico Do- ctorum gladio, tum suo configere adniteretur, quod & impigrè præ- stitit; lilium suum, hoc est Gallicum sceptrum nactus inter horre- scentes difficultarum spinas, vnde non sine immensis laboribus, infi- nitisque periculis extricandum fuit. Hæc dum Medicæa Caroli Re- gis mater reputaret, recenti binorum funerum mœrore consternata, marito quippe & maiore natu filio orbata iam erat, perpetuis in ancil- lantium fœminarum contubernio lamentis vacabat, calamitosam se coniugem, infaustiorem adhuc Matrem contestans, nec non infeli- cem Reginam, quam Regni moles prægrauaret veriùs, quàm Majestatis culmen eueheret. Sed premebat acerbiùs sectæ furor, post Francisci Regis obitum vehementiùs exardescens; extincto quippe Religiosissimo Rege nulla in subditis suis religionis diuortia passo, passuroque si vitam diutiùs protraxisset, impuniùs se se nouæ sectæ ia- ctabat audacia impudens, cui in omnibus apertè repugnare vetita Medicæa, seruiebat tempori geminatùm partium nubibus turbido, in- ter dimicantes media intercessura, & quod ardentiùs longè appete- bat, imperatura; adeò titillabatur mulier regij sceptri illecebris, cuius breuis vsura in Henrico marito, & Francisco filio deprehensa, lugubrique lamentatione defleta, quam fragilis Regum esset pote- stas, ostenderat. Itaque antiquum Medicææ stirpis insigne non repo- nendum tantùm animo censuit, verùm politicis in rebus vsurpandum. *Diuide vt regnes*, quo dicto Principem, qui pacatum velit impe- rium, par aliquid cum fabuloso Mercurio habere iactabat, qui me- dius binos inter serpentes exertis linguis mutuas in cædes prurien- tes, eos protensæ virgæ terrore compressit; sic inter sibilantes arma- tasque ex aduerso factiones media stabat Medicæa, ita demum factio- sorum iras temperatura, vt nunquam sceptro careret, vtrique se se parti cautè impertiens, vt vtrique necessaria videretur, & si necessaria, vtriusque partis dominatrix existeret.

Regnum accipit multis difficultatibus implicatum.

Regina mærorè Regum obitu.

Sectæ audacia.

Medicæa regnandi auida.

Medicaorum Symbolum.

Mercurius inter angues.

Factiones has duas Sectarij componebant & Catholici, sectario- rum partes tuebantur Condæus, Admiralius, aliique è primaria no- bilitate non pauci, Catholicorum res accurabant Guisii; quibus è dissensionibus, imperij sibi firmitatem componebat Regina, cuius accitu nihil porro remorante pedum arthritide venit in aulam salu- tandi Regis causa Comestabilis, pulso ex animo timore quia Condæo faciendum indulgenter audierat, è cuius fato suum ipse, quanquam non tam apertè reus, metiebatur; sed omnia in maius augebat aduer- satiorum

Medicæa media inter factiones.

Comestabilis in aulam venit.

sariorum inuidia, & ab hac vehementiùs timebat ille, quàm à conscientia, quâ sustentatus animos resumpsit culminis dignitatis non impares, Namque ad ipsas Aureliæ portas dum obequitaret liberiùs, custodias omnes, quibus septus erat vrbis aditus, facessere iussit, ni mandatis obsequerentur, furcæ supplicium palam comminatus est, perantiquum illud iterans sapientum dogma, *amicis tutiùs armari Principem, quàm armatis, frustraque Prætorianas excubare cohortes, dum subditi laterum oppositus Regi pollicentur.* Parent dicto Præsidiarij & visa est ad Comestabilem integra rediisse potestas, dum tam audacter imperaret ille, tam submissa verò eidem rependerentur obsequia. Atque hic simul in Reginæ conclaue admissus est, pro asserenda Condæo libertate supplicare instititit, id vt gratiæ Reginæ vni Princeps acceptum referret, quod aut temporum necessitas, aut iterate cognatorum preces extorquere possent, beneficium illud multò locupletius esse confirmans, quod non emitur, emi autem cùm multiplicata supplicum vota dantium munificentiæ anteuertunt. Reginæ animum minimè repugnantem intuitus, continuò eius nomine Condæum euocari iubet; hic altissimos in collabente fortuna versans animos, neutiquam venturum se obstinatè pronuntiat, nisi quæ contra innocentiam suam edita fuerant, rescinderentur, mulctarenturque prout commeriti erant, qui confictis se criminibus in periculum capitis adduxerant; post toleratum carceris situm pædoremque, gratam quidem sibi libertatem fore professus, gratiorē tamē nominis existimationem, quam omni libertate potiorem nemo sanus nō iudicet, in eo reorum & consceleratorum domicilio impositorum sibi criminum suspicionem prorsus euellendam, & vt corpus liberum, sic liberam ab infamia mentem coram Regina sistendam.

Resumit animos dignitati pares.

Reginæ supplicat pro libertate Condæi.

Vera beneficia non emuntur.

Condæus accitus coram adesse recusat.

Fama omni libertate potior.

Non ita multò post extorsere Comestabilis preces vt iracundiæ modum Condæus poneret, seque coram Regina sisteret, de qua grauiter primùm ac de Guisiis coram Aulicis expostulanti, à Regina responsum est, mitiorem vt animum indueret; & quidquid ægritudinis mentem exederet, Regis in tumulo contumularet, cuius iussu factum erat quidquid acciderat; quare nec in Guisios, multò verò minùs in se conferendam esse decretæ in ipsum pœnæ causam: & sanè Rex ipse cùm extremùm decumberet, Nauarro testatus erat, vnum se attinendi in custodia Condæi autorem extitisse, quod à Nauarro ipso assertum sæpiùs, nunquam tamen creditum à Condæo, quidquid erat inuidiæ in Guisios deriuante, quare recrudescentibus in eos odiis, insalutato Rege nouo, in Morinos (Picardiam dicunt)

Condæus tandem Reginam adit, & queritur.

In Picardiam proficiscitur.

proficiscitur, Regis inibi mandata præstolaturus, illinc insequente proximè Martio reuocatus, obliteratis criminibus tam in sanctiori Regis consilio, quàm in Senatu Parisiensi immunis omni crimine renunciatus est, An in supremi Iudicis tribunali seueriore cuncta lance ponderanti, nihilque gratiæ concedenti parem assequutus fuerit gratiam, incertum. Vtinam concessam sibi semel aut iterum innocentiæ syngrapham nunquam deinceps violasset, & quæ corporis vinculũ quoddam est, effrænes turbidæ, turbantisque mentis impetus custodia cohibuisset: sed quia metu leuatis suum redit ingenium; sic emissus è carcere Condæus, audaciùs etiam quam olim egit, quasi libertatem nactus quò se licentiùs efferret. Dolendum sanè id in Principe tanto Borbonij sanguinis vires aduersus Romanam Religionem, illiusque assertores exerenti, pro qua à sacrilegis barbarorum conatibus vindicanda stirpis eiusdem Principes, ac præsertim D. Ludouicus infinita propè terrarum, marisque spatia peragrauit: Sed non tam amore sectæ, quam iungendæ sibi sectæ studio ad amplectendam eius tutelam Condæum delapsum fuisse crediderim, vndecunque opem & auxilia quæsiturum, quibus ruentem imò penè profligatam fortunam restauraret. At nunquam peruicacibus armis, sed supplicibus animis expugnatur Regum voluntas, quorũ est arrogantiores humi affligere, prostratos verò afflictosq; solari, ac ex acerba vexatione eripere. Rarò quippe fit, vt diuulsa à Rege, qui caput est regni, membra, sincero se se vegetent succo, insectorum nempe animalium instar viuunt, in orbes rotantur duntaxat aliquot, aut alios fingunt, ac enituntur motus, & pereunt.

Innocens pronuntiatur.

Licentiùs agit.

Cur sectæ studuerit?

Quomodo expugnandi Reges?

Cum Rege & pro Rege agendum.

Interea præpollente Nauarro nutabat Guisiorum autoritas, tametsi Cardinalem Turnonium, Nemorosium Ducem, Brissacum, Sanctandreanum, Cipierram in partes suas adduxissent; quo tempore adiutorem aliquem Regis vix vndecimum annum prætereuecti postulabat ætatis teneritudo; cui verò tantum hoc munus demandaretur, incertum: nam Guisiis extraneis quippe Principibus regiam tutelam committere, quantæ tandem molis futurum opus erat, quantarumque rixarum seminarium, Nauarro quoque Regis curam tradere periculosum putabatur; nam ob recentem ipsius carceris pœnam, & destinatum Condæo fratri capitale supplicium, parùm sincera sperabantur ab eo consilia; manent enim Principum in animis offensæ altissimis radicibus infixæ, quæque ab iis colligitur ira, tardiùs elanguescit. Conuenit itaque vt Medicææ Regis Regnique administratio deferretur, sed ita tamen vt in regiminis partem aliquam asciscceretur Nauarrus, ad quem edito Regis decreto, Prouinciarum,

Regis Administrum quærere difficile.

Guisij excluduntur.

Non omninò Nauarrus.

Reginæ datur administratio.

arciumque Præfecti, qui negotiorum causa in aulam venirent, tanquam ad regni curatorem, quæ disceptari vellent, deferrent; ille verò ad Medicæam, de cuius sententia post lecta consultantium arbitria, quod in rem foret, decerneretur, aliaque sic Reginam inter & Nauarrum temperata sunt, vt diuisum vtrique non malè videretur Imperium. Interea Idibus Decembris exeuntis anni 1560. cœpta sunt Aureliæ trium regni Ordinum agitari comitia, quibus interfuere Carolus Rex, eiusque Mater Catharina, Henricus Aurelianensis Dux Regis frater, Margarita eiusdem soror, Antonius Nauarræ Rex, Renata Ferrariensis Dux, Ludouici XII. filia, Cardinales Borbonius, Lotharingus, Turnonius, Castilionæus, Guisius, Princeps Rupisurionius, Dux Guisius, Brissacus & Sanctandreanus Marescalli, Michaël Hospitalius Cancellarius, Gaspar Colignius Admiralius, aliique complures tum sacrorum Antistites, tum Equites Torquati, tum publici status Consiliarij. Hos ideo sigillatim recensui, vt videant posteri, quàm dissentaneis & indole & religione capitibus libera de regni statu permitterentur arbitria, quámque idcirco disparia futura essent conuocatorum suffragia, & quàm pugnantes altercantium animorum sententiæ.

Comitia Aureliæ.

Rex cum Principibus comitiis interest.

Prolusit Hospitalius longa satis oratione, in qua cùm abigendis morborum molestiis medendi vim adhibendam esse significauit, tum extinguendos præcipuè morborum fomites esse, euellendasque radicitus causas ostendit, ne ex integra sed noxia radice nouæ semper repullulent pestes. Hic ægritudinis causas aut ignarus non attigit, aut sciens dissimulauit, nam quid magnopere attulit, nisi quod prudentioribus ineptum omnino visum est, atque adeò Cancellario indignum, præteritorum scilicet tumultuum causam in eos præsertim reiiciendam, qui spretos se se olim putarent; aut ne deinceps ludibrio haberentur, pertimescerent; deinde, quod Tertulliano teste solenne fuit, vt infelicitas temporum ab Ethnicis in Catholicos tanquam autores primarios refunderetur; ita cœpit ille seueriore supercilio in Clericorum mores non satis castos & cautos inuehi, vt si quid in iis obscœni notaretur, in religionem ipsam rugâ, maculáque carentem redundare ostenderet; de nouata verò sectariorum fide, quæ primaria tumultuum omnium origo fuit, dicere prætermisit. Composita hæc aduersus Ecclesiasticum Ordinem cantilena ab imperitis recantata sæpius fuerat. Qui pro populi rebus in comitiis perorauit, is fuit Ioannes Angelus in Senatu Burdigalensi causidicus, tacitis quæ pro causa populi grauibus damnis attriti dicenda necessariò erant, in alienum etiam se se campum immisit, effuditque patronus imprudens,

Hospitalij Oratio meritò reprehensa.

Vt & Ioannis Angeli.

nam sacerdotum ignauiam, & inscitiam inuerecundè perstrinxit, Angelus indubitanter exterminator futurus, si qui flammea verborum iacula intorserat, ignitum pariter gladium distrinxisset. Iacobus Sillius Comes Rupifortius pro nobilitate dicere aggressus, strictim quidem attigit Clericorum licentiam, sed quæ nobilitati congrua forent, explicauit vberiùs. Pro statu Ecclesiastico luculentam habuit orationem Ioannes Quintinus Augustodunensis, iuris Ponficij Professor, quam de scripto ferè integram recitauit, ne quid, quod dici iuxtà ac audiri multùm intererat, lapsantis memoriæ vitio difflueret, eandemque prælo commisit, maleuolorum depulsurus calumnias, qui eum, vltra quàm decuisset, dicendo progressum, quæque tecta oportuisset elocutum, impudenter confinxerant. Instituti mei non est gazas omnes orationis eruditæ colligere, & florum Rhetoricorum fasciculum ante oculos ponere; quæ ad Religionem pertinent, ea tantùm instituti nostri memor adducam. Sic igitur ille.

Comes Rupifortius pro nobilitate perorat.

Et Ioannes Quintinus pro statu Ecclesiastico.

Qui Ecclesiæ næuos maculasque allinunt, næ incorrupti eam sponsi sponsam pariter incorruptam ignorant, quam integritatis stolam ad seculorum vsque finem conseruatura & ad nuptiale magni Regis conuiuium allatura est; ergo cum integra & illibata omnino sit, quid tandem habet, quod abstergere possit? quod si labis aliquid Ecclesiasticorum Ministrorum vitæ moribusque aspersum est, quod infecerunt ipsi, repurgare nitantur, nihil inde vitij redundat in Ecclesiam Matrem, quæ in filiorum suorum nigredine insitam sibi formositatem non perdit. Errorum caligine mersam calumniantur Ecclesiam nostram perduelles, nempe quia deprauatarum opinionum tenebris inuoluti sunt noui Cerberi, antiquum Ecclesiæ iubar despuunt ferendis eius radiis inassueti, & tenebricosos tamen homines huiusmodi cum filiis lucis impunè consuescere sinimus, quos æquissimum sit longè proculque ab eorum arcere conspectu, cùm à Deo se se tam impiè, impudenterque semouerint. Hæc perduellium secta, cùm impia sit, nimioquè plus naturæ indulgens, fautores & propugnatores sortita est aliquot corporis lautiùs habendi studiosissimos, qui cùm Hugonotorum nomen auersari videantur, mores tamen & fidem approbant, nomine tenus Catholici, qui si eò in posterum audaciæ prorumpant, vt templa concedi postulent, in quibus Caluinianæ fidei virus ab ebriosis concionalibus

Eius oratio pia & elegans.

Ecclesiæ nihil maculæ ab immundis illinitur.

eructetur, ne postulati dementiam eâ pœnâ luere debent, quâ commentitiæ huius religionis compertos mulctari congruum est, An non Magnus ille nominis sui famam æternitati consecrauit Ambrosius Mediolanensis Antistes, qui Valentiniano Imperatori Basilicas Arianis Mediolani tradi vehementiùs instanti restitit acriter, plusque valuit apud Sanctum Doctorem vetantis Dei autoritas, quàm iubentis seueritas Imperatoris, cum minarum feritate coniuncta, Cùm tot in Gallia propter sacrilega hæc postulata Valentiniani occurrant, nonne vnus erit aliquis, qui tot Religionis hostibus in Gallia opponi possit Ambrosius? Carolus Magnus regalibus & Imperatoriis titulis omnibus hunc vnum iure præhabuisse fertur, quo Defensor pius, humilisque Ecclesiæ Sanctæ Propugnator audiebat, editoque decreto sanctè spopondit omnes sibi obnoxios pro Imperatoria autoritate adacturum se ad eam vitæ rationem ineundam, quæ à Canonibus sacris & Sanctorum Patrum doctrina minimè abhorreret. Quàm degenerem à piis Maiorum suorum institutis Regem effectura est secta, eius si precibus Rex annuerit, si templa commodet, in quibus palàm impunéque nouis litetur erroribus. Faxit præpotens Deus, vt quæ sanctitatis hactenus domicilia templa fuisse conspeximus, eadem in turpissimum adulteratæ veritatis lupanar versa minimè lugeamus. Huius orationis telo magna vi ab Oratore contorto peti se Admiralius sensit, maximè cùm omnium se oculorum coniectu designari animaduertit; at laxare habenas nouæ Religionis licentiæ grauius longè est, quàm linguam pati sacrilegi facti exprobratricem; abstinuisset à sectæ patrocinio, & hoc pacto obiurgatorem si habuisset, non sensisset. Hæc Aureliæ gesta sunt, vnde in sequentem proximè Maium ad Pontisaram translata fuere comitia.

S. Ambrosius Valentiniano resistit.

Templa minime concedenda hæreticis.

à Quintino petise putat Admiralius.

Quintini Orationi ad tutandum Religionis decus institutæ par non respondit exitus, Enimverò defluente in dies Guisiorum autoritate, & in Nauarrum translata, visa quoque collabi Religio; tantus quippe propagandæ sectæ ardor fuit, Nauarro in regiminis partem assumpto, vt in eius ædibus palàm, patentibusque valuis errores serere occœperint prauitatis ministri, annitente præsertim Ioāna Nauarræ Regina, cui mirum quantum noua placebat Religio, hoc præsertim nomine, quod hæc Romanam, quam sibi Maioribusque suis infestam

Nutat religio sub Nauarro.

fuisse querebatur, oppugnaret. Auditi etiam in Condæano palatio sectæ prædicantes Catholicis sacri verbi præconibus per esuriales quadragesimæ dies importunè obstrepere. Episcopus Valentinus (pudet dicere) aulam Regiam concionibus non satis Catholicis infamauit, mirantibus omnibus, & in parum sanâ doctrinâ orthodoxum quærentibus Præsulem, & in orthodoxo Præsule saniorem doctrinam. Et quò gloriosiùs insultaret hæresis, carnes vetitis ab Ecclesia diebus venales expositæ sunt perinde ac prostratæ Religionis trophæa, nec helluonibus pudor fuit tam crassè religionem violare, iuuitque impios horum conatus recens cusum edictum, quod mutua partes inter aduersantes Hugonottorum & Papistarum vocabula prohibuit, quo, qui proscripti perduelles fuerant, reuocati sunt, vincti, soluti: atque hinc aulici ad sectæ commercia, dogmataque plerique delapsi; quidquid sanctum & religiosum olim fuerat, è Regis comitatu totum ferè confestim expunctum, vix vllo Romani ritus, priscæque consuetudinis relicto vestigio. Hæc omnia conscientiæ libertatem præsagire visa sunt, quæ tandem in postremum ferè religionis exitium promulgata fuit; erroris quippe amplectendi, & eorum quæ sequuntur errorem facta potestas latissimam exercendo sceleri viam patefecit; quotus enim quisque est, qui si modò malè sentire permittitur, perperam etiam agere non sinatur, & quidquid libido iusserit, id, non quia decet, sed quia licet cunctetur exequi? cùm fidei professio ab inita viuendi agendique ratione non dissideat. Dum perduellium causæ plus iusto conceditur, magnus inde rumor questusque apud Orthodoxos omnes nascitur, tantùm Catholicæ Religioni detrahi expostulantes, quantum Caluinianæ superstitioni accederet. Parisiis, Ambiani, Bellouaci & in celeberrimis Galliæ ciuitatibus plerisque auditæ hæ sæpius cum gemitu voces in Christiani gregis caulas populabundos sensim lupos euocari, Christianissimi Regis imperium collapsâ morum disciplinâ flaccescere, Quid si Ecclesiæ Matris Primogenitus ipse factiosorum erroribus implicatus à tam casta se se parente diuellat, Romano Pontifici parere detrectet, quò tandem nobilis hæc Galliæ Regum prærogatiua, quò priscæ Religionis Majestas, quo cum sanctis sacrorum cultoribus Numinis ipsius cultus recidet? Quid Galliâ Vniuersâ fiet piorum olim virorum feraci, si succrescentibus vndique nouæ persuasionis tribulis inhorrescat.

Caluiniani prædicantes vbique blaterant. *Valentinus Præsul non satis Catholicus iudicatus.* *Edictum pro Sectariis cusum.* *Periclitatur religio.* *Sancita conscientiæ libertas.* *Calamitosus Galliæ status.*

Comestabilis dum tot religionis naufragia, & malè pereuntium clades intuetur attentiùs, calamitosissimi Galliæ status commiseratione percellitur, obuersabatur eff ꝫti iam senis animo antiqua Galliæ

ſpecies, quam exoticis coloribus pigmentiſque ſecla corruperat; nouari circa religionem aliquid, impium eſſe ducebat, & nouas tamen quotidie Religioni formas indici, nouos homines è cœnobiorum ſentina recens emiſſos, contra Romanum Pontificem, antiquóſque religionis ritus debacchari videbat, vetitis ab Eccleſia diebus proſtare paſſim diuendendas carnes, perſtrepere Principum ædes concionantium Miniſtrorum erroribus. Hæc maturo capiti, quippe ſapientiæ canis aſperſo ſaluberrimum incundi cum Guiſiis fœderis inicere cõſilium, pariterque mentis à Perduellium negotiis auocandæ; occultus eum identidem ſtimulabat admonitor, inſtans ſcilicet vitæ iam ferè decurſæ formidandus etiam ſanctioribus viris exitus, tum etiam vt Chriſtianæ pietatis ſigna non adumbrata, ſed impreſſa ad futuri prædicationem temporis ederet, cohortabatur in dies Mommorānciorum teſſera *Soſpitet Deus Chriſtianum Baronem primarium*, quam laudem noxiis hæreticorum familiaritatibus obterebat, pia eidem adiiciebat hortamenta Magdalena Sabauda eius vxor heroïcæ planè virtutis fœmina, ſed contrà pugnabant Admiralius & Andelotus Mommorancij nepotes, namque vt eum à ſalubri hoc ſanctiùs viuendi moriendique conſilio auocarent, ſubdolas afferebant orationis illecebras, indignè eum agere & Mommoranciæ famæ parum congruenter, ſi cum Guiſiis hoſtibus ſuapte natura arrogantiſſimis, vaſtæque ambitionis hominibus ſocietatem iungat, quorum placitis obtemperaturus ſit, contrà verò Mommoranciæ familiæ decus eundem additurum, ſi cognatis ſibi regiæ ſtirpis Principibus in omnibus quæ Regno proficua duxerint, adhæreſcat; veniret in mentem totius ferè ætatis recordatio in grauiſſimis regni negotiis cum ſingulari laude contritæ, hæc cùm magnam apud omnes venerationem exigat, cur præpoſtera mente deceptus arrogantibus Guiſiorum imperiis turpiter parere feſtinet; cum laude vixiſſe eum ſemper, perituram cum dedecore. Verùm aduerſus blandientes Sirenum cantilenas prudens aures obſtruxit Vlyſſes, & politicas ab eo rationes omnes expulſit ſublimior generoſum in pectus demiſſa è Cœlo ſapientia, cuius cùm ſalis vel micam vnam delingeret, quidquid aliunde hauſtum ingerebatur, faſtidiente ſtomacho reſpuebat. Coaluit ergo Comeſtabilem inter & Guiſios amicitia, nec defuerunt epulæ voluntatum etiam in hoſtibus conciliatrices, ſed anteceſſit in firmiſſimum fœderis ſignum, Charitatiſque vinculum Chriſtus ipſe, quem ſub ſpeciebus panis edulem pro nobis effectum ſumpſere ritè ſimul Mompenſerius & Guiſius Duces cum Comeſtabili, vt Reſurgentis tum Chriſti gloriam æmulantes, quæ ſurſum ſunt ſaperent, non quæ

Comeſtabilis mæror.

Ad ſanctiora conſilia inducitur.

Obnituntur Admiralius & Andelotus.

Repelluntur.

Cum Guiſiis amicitiam redintegrat.

Cum iiſdem ſaluti ſi gnus accipit.

super terram. Id apud Fontembellaqueum actum, vbi laudatissimis illis aquis puriores & salubriores longè ab illustribus his conuiuis haustæ sunt aquæ, è fontibus quippe Seruatoris petitæ, Mompenserium deinde, Guisium, eiusque filium Henricum Ionuillæ Principem & Marescallum Sanctandreanum Comestabilis lautissimâ cœnâ excepit, sed hæc quantula tandem erat præ lactescente in Eucharisticas amœnitates Deo.

Simulata inter Condæum & Guisium concordia.

. Restaurata inter dissidentes regni primarios amicitia in futuræ postmodum felicitatis omen à Rege accepta est, quam vt animorum societatem augeret, patem voluit Condæum inter & Guisium restinctis veteribus rixis extare concordiam, nec sanè dissimulanter coibat in eam Guisius, apertè contestatus, quò arctiùs Condæum sibi iungeret nullo suo vel hortatu, vel consilio factum, vt Condæus atttineretur; quare extincto inimicitiarum fomite, non habere Condæum cur postulanti sibi amicitiam denegaret. Verùm altiùs in Condæi pectus descenderant odia, quàm vt euellere posset, aut vellet. Quare sic Guisium corpore complexus est, vt animum in eum retineret armatum, amicitiam ore tenus pollicitus, quam in interiore mentis senatu, vt cum vate Comico loquar, abnueret; nam post mutuos vtriusque complexus recruduerunt facilè veteres rixæ, dum earum

Ambitionis & religionis vis.

staret origo, dispar nempe religio, cum ambitione coniuncta, quæ duæ res, potentissimæ sunt societatum omnium diremptrices. Hæc ergo Condæo inerat religionis macula, quantò hæc eadem obscœnior in Odetto Cardinale Castilionæo, cuius supra memini. Hic ob altam indolem Bellouacensibus gratus, commentitiam verò persuasionem odio habitus iustè querentibus insincerum sibi panem à Pastore corrupto subministrari, Paschalem sibi celebritatem delegit,

Cardinalis Castilionæi Sacrilegium.

quam nouis Caluinianæ sectæ ritibus pollueret, Nam spretâ Matris Ecclesiæ consuetudine, dum pium Resurgenti Christo triumphum adornat; in priuatum palatij sacrarium cum paucis, iisque ferè domesticis secessit, vt cœnam inibi Dominicam sub vtráque specie sumeret, quod & sacrilegus præstitit. Efferatus inde populus nobilissimæ illius stirpi, Romanæque purpuræ dignitati pepercit, non sacer-

Discerptus Sacerdos hæreticus.

doti tamen alicui, quem correptum illicò discerpsit, quod nouæ religionis preces elementariis pueris inculcaret. Fremere tum Hæreti-

Queruntur hæretici.

ci, tenerioris ætatis moderatoribus tam crudeliter à Catholicis fieri indignantes, quibus nonnihil placandis concessa nonnulla sunt; auctiorque iis indulta potestas, quæ Christianæ rei, vt ostendemus, plurimùm nocuit, questusque id est non semel apud Regem proximè Remis inaugurandum Cardinalis Lotharingus Remorum Archiepiscopus,

pis, admonuitque ne inaugurationi sacræ quidquam in regno pateretur aduersum, ne Caluinianos intemperantiùs contra Romanam religionem oblatrantes diutius toleraret in Gallia, qui oleo sacro cælitus per Columbam pios inter gemitus vecto inungendus proximè foret.

Cardinalis Lothar. ad Regem monita.

Hæc Lotharingi Cardinalis fuit oratio Catholicâ verè pietate condita, iustisque eius postulatis Rex confestim annuit; quare de consilij sententia reuocatum est superioris anni Romorentinense temporarium edictum, vetiti cœtus illiciti omnes, sublata concionandi, & Sacramentorum administrandorum è noua sectæ disciplina libertas, quod edictum à Mense Iulianum est dictum; sancitum præterea, vt à contumeliis, rixis, & prouocationibus omnibus inter partes temperaretur deinceps, tum illata mentio Colloquij Poissiaci non multo pòst tempore instituendi, quod Ecclesiasticæ dignitati contrarium pluribus est visum; nam cùm post Orthodoxorum circa religionem sententias differere deberent, qui à recta fide deerrarunt Hæretici; indecorum sanè futurum videbatur, eis si de religionis capitibus arbitrandi copia fieret, ne pares in disceptatione se Præsulibus ferrent. Præterea tot antè Conciliis sancita, stabilitaque Religio ecquid tandem nouis adhuc disputationibus ventilanda pateret? cur in controuersiam toties reuocandum, quod sanctum semper & inuiolatum in Ecclesia fuit. Dissentiebat sanè Pius Quartus & lites huiusmodi omnes ad Concilium Tridentinum referri iubebat, misso in Galliam qui ad id hortaretur Cardinale Ferrariensi; sed potiorem fuisse Lotharingi Cardinalis autoritatem fingunt aliqui, hoc ludicri genus (vt aiunt) affectantis, in quo luculentum eloquentiæ, doctrinæque specimen in refellendis Hæreticis daret, subigendis Caluinianis etiam Geryonibus haud impar solus futurus; verùm Ioanni Monlucio Valentino, Et Petro Duuallio Sagiensi Episcopis certiùs id adscribunt aliqui, alij in Condæum, & Admiralium referunt, quibus enixè postulantibus non potuit non annuere Catharina Regis Mater, non tam (quod aiunt) de successu disputationis anxia, quàm de autoritatis suæ tuitione sollicita. Sunt qui tempori concessum id referant rudi adeò, atque inculto, vt pauci admodum essent eâ doctrinâ conspicui, qui offusam tot errorum caliginem discutere possent; & periculum erat, ne detrectantibus pugnam Episcopis insultarent Hæretici, & pro victis haberentur, qui congredi recusassent. Hæc aut alia, quæ politicæ frandes reticent, ianuam aperuerunt Poissiacensi colloquio, & concrepan-

Abrogatur Romorentinense edictum, Iulianum subsistituitur.

Colloquium Poissacense cur improbaretur?

Institutum cur fuerit?

tibus hoc in procerum cœtu sectariorum blasphemiis, vt mox referam.

Comitia Pontisaræ.

Ordinum trium comitia Pontisaræ continuanda stylum ad se reuocant, quo in conuentu Regina de administratione regni sibi stabiliendi sollicita, Admiralium Nauarro fidum addictumque, patronum hac in causa precibus etiam additis conciliare sibi studuit, nempe quò Ambrosiani illius effati veritas innotesceret, *Ambitio vt dominetur, priùs seruit*, nec contenta precibus mulier, splendidis eum promissis onerauit, dum voti compos per ipsum fieret; Ille quidquid hac in arte posset, largè pollicitus, beneficium corrupit dum vendidit, sordidam ab ea mercedem exigens, nempe vt nouæ religioni laxiores aliquanto habenas permitteret, quod abundè pollicita est Medicæa, damnosis sic artibus in florentissimi regni administrationem grassata, ab hæreticis quippe opem mutuata, cum de Sancto & à Sancto properandum foret auxilium. Atque hinc emanauit Ianuarij sequentis edictum, expectatum diu à Sectariis, in Romanæ verò fidei perniciem comparatum. In hoc cœtu Cancellarius orationem instituit, qua sacrum Clericorum ordinem suo more lacerauit, in selectam Christiani gregis portionem dentes acuens, à confingendis verò Caluinianæ prauitatis asseclis temperans, fabulamque continuauit Iacobus Bretonus Augustodunensis Iudex, qui peroraturus pro populo, sublimiorem aliquantò ingressus est campum; nam de formandis Præsulum, Sacerdotumque moribus prolixè disputauit, horum ignorantiam, opes, luxum satyrico dente concerpens. Plerumque id euenit, vt circumforanei rabulæ haud ignari curtæ supellectilis suæ, in illustri saltem peccare ambiant argumento. Obseruet interim lector quàm periculosè conuentus huiusmodi fiant, è diuersarum religionum professoribus conflati, quid non in illis temerè perduelles effutiant, quàm praua consilia sectæ fautores suggerant falsâ persuasione delusi, Nempe quibus fidei caligat oculus, & corpus & animum totum paribus inuolui tenebris necesse est. Hæc ad Sangermani fanum peracta, quò postremò translata fuere regni comitia.

Ambitionis, seruitus.

Medicæa in regimen malis artibus irrepit.

Ianuarij edictum religioni contrarium.

Cancellarius in sacrum ordinem inuehitur.

Bretonus pariter.

Colloquium Poissiacence vni ferè petitere haretici.

Sequitur Poissacense colloquium, quod cùm nec Romano Pontifici, nec etiam Cardinali Turnonio Sacri Collegij Principi seu Decano magna tum in Gallia autoritate pollenti probatum nunquam fuerit, miror sanè contemptis hoc pacto Ecclesiæ vniuersæ Principibus tantis præpotuisse factiosorum hominum sententias; nam si paucos aut Catholicos, aut cum Catholicis sentientes exemeris, vni colloqui petierunt hæretici, nihil tamen inuita Catharina Regis Matre susceptum, quæ Gallici regiminis illecebris delinita, visa est in

eos pronior, quorum humeris sustentata tantum in culmen ascenderat. Hanc enim missam ab ea vocem reperio, iniquè admodum fieri ea si reiiciatur doctrina, cuius nondum satis discussa fundamenta fuerint, sique repellantur Ministri velut anormes cùm necdum fidei suæ formulam expresserint; neminem indictâ causâ damnandum, præterea quid tandem habent Episcopi quod in hoc dissonarum opinionum conflictu iure formident tam antiquis sincerisque religionis titulis freti, quos sectæ nouitas expugnare vt velit, minimè possit. Contrà verò Cardinalis Turnonius Ecclesiam iniuriosiùs haberi querebatur, si eius doctrina tot testata Conciliis, tot constabilita Pontificum & Patrum oraculis infamem hanc notam cogeretur admittere, vt dubitanter de ea timidéque dissereretur, quod in hoc colloquio, si tandem institueretur, euitari non posset; nec in præsens tempus disceptationes huiusmodi rectè cadere astruebat, abundare siquidem seculum Sophistarum turbâ, qui veteratoriis artibus, & sycophantiis instructi exploratæ religionis veritati fucum faciant, paucos verò superesse Doctores, qui candido sinceroque facundiæ ductu religionis negotia prosequantur; quare in hoc traducendæ religionis periculo abstinendum maximè publicis huiusmodi de fide quæstionibus agitandis esse ducebat, in quibus circulatrices rabularum linguæ veritatem si minùs expugnant, oppugnant quidem certè, & atrociùs longè insectantur, quàm æquum sit à Regina perferri, quæ primogeniti Ecclesiæ filij genitrix, & Gubernatrix sit. Hæc Cardinalis Turnonius flagrans incenso semper erga religionem studio nihil apud Reginam profutura dissrebat, Illa enim aut Admiralij precibus, aut Valentini Præsulis hortatibus euicta saniora Orthodoxorum consilia repudiauit; quin etiam Regio apud Romanam curiam Oratori id negotij dederat, vt ad sedandas partium rixas promiscuum calicis vsum impetraret à Pontifice, quod à sacro Carnalium Collegio planè reiectum fuit. Poissiacum interea ingens hominum multitudo confluebat, aut turbandæ aut pacandæ religionis ardore incensa. Ibat Nauarrus præcipua præ reliquis omnibus lætitia gestiens, quippe voti compos effectus, lucis enim plurimum ex hoc pugnantium opinionum conflictu affundendum sibi dicere solitus erat, ex quo veritatē ab inanitate discernere posset, ratumque maneret, quod sequeretur in posterum; tùm etiam fore sperabat vt pristina reuocaretur animorum concordia, cui semper procurandæ intentus, priuatas non rarò vtilitates contempserat.

Ad colloquium Catharina pronior.

Cardin. Turnonius ab eo auersus.

Hæretici Sophistæ.

Mediam calicis vsum à Pont. postulauit.

Reiectum id fuit.

Nauarro gratum id colloquium.

Est autem Poissiacum oppidum ad Sequanam flumen, vbi nobile Monialium Sancti Dominici cœnobium est, non plus septenis Galli-

cis milliaribus Lutetiâ distat, ideóque eò proficiscentibus, ac Parisios remigrantibus commodum. Indictum inibi colloquium in quartum Idus Augusti, cœpit tantùm Septembri mense An. 1561. Adfuerunt autem cum Rege, Reginâ, Nauarro, aliisque Principibus, & sanctioris Consilij Senatoribus Cardinales sex Borbonius, Turnonius, Castilionæus, Lotharingus, Armeniacus, & Guisius, cum Episcopis, vt aiunt, quadragenis. E protestantibus verò conuenerunt Augustinus Marloratus, Franciscus à S. Paulo, Ioannes Raimundus Merlinus, Ioannes Malo Sacerdos Apostata, Franciscus Morellus, Nicolaus Tobias, Theodorus Beza, Claudius Bosserius, Ioannes Boquinus, Ioannes Viretus, Ioannes Turrius, Nicolaus Gallasius, Ioannes Spina, Petrus Martyr Vermilius, Atque hi tum è Germania tum Geneua accersiti prodierunt pessimæ causæ patroni. Principio, dato Regi libello petierant vt Præsules, non vt discutiendarum rerum interpretes seu Iudices, sed vt partes absque vlla definiendi prærogatiua considerent; vt omnes ex solo Dei verbo deciderentur controuersiæ, vt quidquid in commune decretum fuisset, per actuarios ab vtráque parte lectos in codicem referretur; vt Rex colloquio cum Sacri Consistorij Senatoribus præsideret: ita laïcum controuersiarum iudicem & puerum adoptabant nondum Martis laboribus exercitum, quantò magis sacri belli huius imperitum & rudem, ad quod ingens apparatus doctrinæ non tantùm necessarius sit, sed ætatis etiam in eo requiratur maturitas qui in sacra hæc religionis adyta penetrare voluerit, vt à canitie, cui rarum mentiendi periculum subest, res fidei commendationem accipiant. Religionis ergo diiudicandæ munus puero secta demandabat, & arrisit huic Protestantium postulato Hospitalius, dum vt id roboraret, veteres accersiuit Regum historias, qui Conciliis præfuisse dicuntur, Constantinumque Augustum nominauit, cui hæc Nicæni regendi Concilij prærogatiua concessa fuit, verùm aut ignorauit Hospitalius, aut consultò tacuit Constantinum Augustum in Nicæna Synodo infra Episcopos humili sede, non vt Præsidem, sed vt discipulum consedisse.

Rex, Principes, Proceres Colloquio interfunt.

Protestantes eò veniunt.

Eorum postulata iniqua.

Reges non sunt controuersiarum Iudices.

Hac eadem in præfatione è Medicinæ myrotheciis Cancellarius deprompsit, quod præsenti argumento intexeret, sed perperam, nec enim sapidam satis salubremque præsenti rerum statui medicinam afferebat, cùm diceret omnem è partium mentibus pellendam odiorum acerbitatem; nouæ sectæ homines, etsi non consentiant omninò cum Catholicis, Christi tamen esse cultores, & iisdem mysteriis initiatos, mitiùs itaque cum illis agendum; grauioribus pœnis non emendari homines, sed irritari magis; memoriâ repeterent omnes

Hospitalij Oratio, meritò reprehensa.

quorsum Arius aduersus religionem furere, ac insanire perrexisset, nunquid id in Alexandri Alexandriæ Patriarchæ impotentiam referendum? constare insuper Cyrilli violentiâ factum vt Nestorius turpissimum in errorem impingeret; consopiri poterant impotentissimi hæresiarcharum æstus hortatrice magis oratione, quàm exprobratrice, obsecrationibus, non execrationibus. Hæc ille, sed quod præcipuum fuit, tacere non debuerat, non carpi nisi à maleuolis Alexandri aduersus Arium seueritatem, quam grauiore inflictâ pœnâ visi sunt Cœlites comprobasse, fœdo scilicet Arij eiusdem interitu. Præterea Cyrilli de Nestorio iudicium sequutus est orbis vniuersus. Hæc clàm habuit Cancellarius, quippe sectæ postulatis contraria, Cardinalis Turnonius Antistitum Princeps etiam atque etiam Hospitalium rogatum voluit, vt quæ præfatus fuisset, ea scripto comprehensa traderet, idem & contendebat Lotharingus; neuter impetrare potuit, siue quòd periculi plenum esse videret astruere scripto quod cursim elocutus fuerat, propterea quod scripta manent, præteruolant verba; seu quod censoriam in fidei rebus seueritatem metueret, qui Censoris virgulâ castiganda pronunciarat. Lotharingus quasi disputationi facturus initium; missionis tesseram ab Hæreticis petiit, cuius tandem manuum impositione Euangelij promulgandi potestatem accepissent; rogauit deinde, num quoad præsentiam Sanctissimi Christi IESV corporis in Eucharistia cum Orthodoxis conuenirent, si enim in eo dissentirent, frustra colloquium indici, cum dissidij inter vtramque partem tollendi nulla futura spes foret.

Iusta Alexandri in Arium seueritas.

Negat Cancellarius scripto tradere quod præfatus fuerat.

Missionis tessera nulla apud hæreticos.

Ad hæc Beza postquam nonnihil hæsisset, perplexa quædam effutiit, ostenditque cupere se admodum scripto id sibi traditum consignari, quod ex se quæreretur, ad id se postmodum meditatum venturum, responsurumque. Cardinali placuit scriptum id dare ostensum priùs Iacobo Lainio Generali Societatis IESV Præposito, quem Estensis Cardinalis Ferrariensis, Romani Pontificis Legatus Româ secum duxerat. Erat autem Lainius omni eruditione præstans, pietate maior, qui cum animaduertisset stantibus Doctoribus Catholicis sedisse hæreticos, non tulit iniuriam Ecclesiæ vniuersæ in membris suis illatam, idque apud Ferrariensem Cardinalem conquestus, facilè impetrauit vt arrogantiùs efferenti se sectæ præsidentior hæc tolleretur libertas. Beza tertio pòst die quod Lotharingus sciscitatus fuerat, sic demum exposuit, vt commotos nonnihil

Iacobus Lainius Soc. IESV Generalis ad colloquium miss. fuit.

Stantibus Catholicis Hæreticos sedere queritur.

Beza probare conatur Caluinianos non esse acephalos.

fuisse Ministros innueret, quòd iussi essent, à quo missi fuissent, profiteri; quasi Acephalorum sectam iniissent, essentque nouæ religionis sine capite monstra; vt autem amotis verborum querelis aliquid in nouellæ commendationem afferret, libellum protulit, in quo expressas gregalium suorum circa Lotharingi percunctationem sententias ostendit, sine vllius missu manuumque impositione, quia deerant Præsules, concionandi munus Ministros assumpsisse, Præsules autem Ecclesiæ pro veris Præsulibus ab se minimè haberi posse, quòd non ingressi essent per ostium, sed vi pecuniarum irrepsissent, eorum quippe Ordinationem per nundinationes, & vitio factam criminabantur; nec cuiquam mirum videri debere, si afflatu mentis interiore commoniti pastoralia tractarent munia, cum in sacris codicibus missiones legantur aliquot non idcirco minus legitimæ, quia extraordinariæ magis; Et quia, sicut alias dixi, è curuis Catholicorum aliquot moribus suorum æquitatem quasi ad amussim exactam colligunt & insolentiùs iactant, nec à querelis vnquam & contumeliis abstinent, ausus est Beza coram augusto illo Orthodoxorum Patrum Senatu contra Patrum ipsorum inaugurationem velut indignam inuehi, nec non fœdus, quod Concordatum appellant, incessere, haud ita pridem inter Leonem X. & Franciscum I. initum. Exin impugnare aggressus est augustissimum Eucharistiæ Sacramentum sed tanto sacrilegorum verborum horrore aut fœtore potiùs, vt ad blasphemas impudentissimi rabulæ voces cohorruerint Catholici omnes, morbumque indelethalem contraxerit Cardinalis Turnonius. Et sanè lædi se ac intimis vri medullis sensit vir admodum pius, dum læderetur ille quem amabat medullitus; nempe absumebat hominem incredibilis Domus Dei ardor, seu potiùs incendium, quo conflagrarunt Sancti omnes, dum viuum Ecclesiæ panem qui cœlitùs ad nos est missus, fœtido turpissimi desertoris ore conspurcari videret. Cardinalis Lotharingus, cui cum insigni lepore iuncta magna vis orationis inerat, furibundi Bezæ impudentiam facilè coërcuit, mox vbi ad eruditam Mysteriorum nostrorum explanationem aggressus est, & persuasisset haud dubiè, nisi ad hanc disceptationem mentis pertinaciam, quam comitem semper habent, perduelles attulissent. qui veritatem apud nouellam sectam quasi delectum ab se hospitium statiua collocasse garrientes, Lotharingo vnius duntaxat facundiæ palmam concesserunt, non autem persuadendi vim, tametsi tam idonea confirmandis rebus nostris, tamque potens refellendis hæreticorum erroribus visa esset eius oratio, vt ad communne partis vtriusque compendium gracè

Asserit sectæ ministros esse absque missione.

Præsulum item Catholicorum inaugurationem vitio factam.

Blasphemat contra Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Ad hæc coborruit Card. Turn. & morbum lethalem contraxit.

Lothar. Cardinalis facundia.

latinéque edita fuerit. Addidit Cardinalis idem non eò tantùm spectare hæreticorum circa religionem errores, vt nouam ipsi informemque religionem instituant, verùm etiam vt regiam potestatem euertant, & pessundari non posse religionem, quin in Reges ipsos resiliat vis tota pessundans, nam in Gallia à Clodoueo advsque Ludouici XIIII. tempora qui pacatè nunc & feliciter regnat stetit res Gallica & stabit deinceps quippe Regis sui religione subnixa; quamobrem haud difficulter oraculi robur obtinuisse Magni illius Auiti Viennensis Præsulis vocem crediderim, cùm sic Clodoueum eundem affaretur. *Fides vestra, nostra est Victoria.*

Romana religio regni Galliciʃ fulcrum.

Regum fides subditorum victoria.

Bezam æmulatus Petrus Martyr in augustissimum mysterium consimili prorsus impietate debacchatus est, non pari tamen idiomate, nam cùm Gallicè nesciret, Italicè dixit, ad hoc autem præter inconcinnam in dicendo vehementiam audentiamque ad histrionicam sæpiùs accedentem veteres attulit Sycophantæ fraudes quibus in oppugnando hoc Fortium Pane crebriùs fuerat vsus; sæpiùs enim in campo bellator sacrilegus impietatis armis instructus confixerat, sperabatque redituras sibi vires irriso aliàs prostratoque non semel, quare cùm pestiferæ doctrinæ fulcimenta è prauo sacrarum literarum intellectu collecta in medium attulisset, eò vesaniæ progressus est, vt Principes ac Præsules adhortari non erubuerit, vt quidquid impiè contra Sacramentum hoc, certissimum humanæ salutis pignus, præfatus erat, non dubitarent id sequi; attigisse se veritatis scopum, à quo qui recedunt, turpiter errare iactabat. Hæreticorum autem de augustissimo Dominicæ cœnæ mysterio hæc erat sententia; Christum, postquam in Cœlū ascēdit, haud aliter inter nos esse, quàm erat priusquam humanam carnem induisset; neq aliter in Sacramento esse, quàm in Diuini verbi promulgatione existit; ita in Cœlo esse, vt in terra non sit; sicque non plus in cœna, quàm in scena, aut etiam in cœno; quæ omnia Caluinianarum blasphemiarum portenta Lotharingus Gallicè, vti præfari cœperat, explicare non sustinuit, latinéque retulit, ne Proceribus aliquot latinæ linguæ rudibus horror aliquis suboriretur, & indignatio; iureque conqueri possent, pro pacatâ, quam sperabant pugnâ, totum circumsonare frendereque consessum, sibilantibus impiorum in Eucharistiam linguis; bonam illam gratiam quæ vel nomine ipso designatur, in pessimam gratiam, aut in nullam ab his commutari; nauseare super hoc Angelorum cibo quasi vilissimo, Ægyptiis tantùm porris, non cœlestibus verò deliciis innutritos degeneres Israëlitas, hoc est hæreticos, caligare apud illos fidem, vbi cæcutit oculus, & quod eius aciem fugit, à fidei etiam oculis

Petrus Martyr debacchatur in S. Eucharistiam.

Impiam doctrinam persuadere nititur.

Hæreticorum opinio De Dominica cœna.

Vbi cæcutit hæreticorum oculus, caligat & fides,

Cardinali Lotharingo assentiuntur Præsules.

præteriri. Confutatis à Lotharingo tam execrandis circa Christi corpus blasphemiis, assurrexere Cardinales reliqui, Præsulesque contestati in ea se fide stare cupere, viuere ac mori paratos, quam aduersus hæreticos professus erat Lotharingus; Reginamque obsecrarunt vt in ea semper more Maiorum firmiter staret, extra quam nullus saluti pateret locus. Espençæus, aliique Sorbonici Doctores Lotharingo pariter assensi sunt; iamque dimittendus erat cœtus, cùm Laïnium Cardinalis Legatus præfari iussit, ille sumptâ à causæ bonitate, Reginæ præsentiâ, & imperantis autoritate, fiduciâ, in hunc ferè modum disseruit.

Lainij Soc. IESV Præpositi Generalis Oratio.

Tametsi minimè nescius sim (Regina Serenissima) curiosum in aliena republica inspectorem haud satis æquis animis accipi, tamen quia vna est omnium Parens Ecclesia, in filiis suis facilè regionum diuersitatem excusat; nec peregrinos esse patitur quos eadem fidei sacrorumque mysteriorum communione deuinctos materno claudit in sinu; quò fit vt lubentiùs apud Majestatem vestram exprompturus sim, quæ mens suggerit, & conscientia iubet. Ac primò quidem ea mihi discutienda videntur, quæ tum frater Petrus Martyr, tum eius collega contra venerandum Christi corpus obiecit (iniectus est Martyri rubor, dum fratrem appellauit, exmonachus enim erat. *) Video autem quàm difficili verser in loco, dum mihi cum iis agendum est, qui ab Ecclesia turpiter defecerunt; eos enim diuini Codices lupos appellant ouina pelle contectos, nam quantò fraudulentiùs, tantò etiam impuniùs grassari solent, & Dominico Gregi crudeliores longè morsus infigere, quàm si lupinos, dum laniare conantur, rictus & dentes exererent. Iactant circumforanei blaterones huiusmodi, suos se habere magistratus, Ecclesiam, quin & magnam sacrarum paginarum intelligentiam, cuius tamen sensum ad astruenda nouæ persuasionis capita repugnanter malignéque detorquent, hunc autem verum germanumque sensum esse obstinatè defendunt; idcirco, qui iis aures accommodant, periculum est, ne pestilentis doctrinæ retibus implicati teneantur omninò, aut plurimùm iis laborandum sit, quò se se tandem è laqueis extricare possint. Cogitanti mihi hæc omnia sedulóque reputanti, duo, atque vti reor, opportuna videntur remedia, quæ*

Frater Petrus Martyr exmonachus erat.

dam candidè proferam, æqui bonique Regina consules, ab optima quippe erga te mente & voluntate profecta. Prius est, vt Majestas vestra hoc sibi certò persuadeat neutiquam ad Principes pertinere institutas de religione lites; tum quòd id à Regum Rege Deo munus sortiti non fuerint; tum etiam quòd assueti plerumque profani Martis laboribus, imparati ferè sint ad incruentos hos mentium linguarumque conflictus, quos priuatos intra parietes atque in vmbra à viris doctrinâ præstantibus iniri videmus. Paria nempe arma paribus inter se congressuris bellatoribus committenda sunt. Sacerdotum ergo negotium istud est, & quia grauiores sunt fidei res, quàm vt à priuatis etiam definiri sacerdotibus possint, adeundus necessariò summus est Sacerdos, & supremus Religionis interpres ad quem, & ad Generale Concilium de iis statuere spectat, quod Concilium cùm in præsentia indictum, & apertum sit; nec æquum, nec legitimum videtur alios habere conuentus, Quare consultius longe foret, si Gallica de religione dissidia ad Concilium mitterentur; nam cùm eò doctissimi Orbis totius viri confluant, nec ab eo Patrum consessu absit, aut abesse possit Diuini Spiritus vis, cuius est per secretiores afflatus Veritatis lucem infundere, quod Cæleste munus hoc in Poissiacensi colloquio polliceri sibi nemo potest; cúmque securitatem iis omnibus qui ad Concilium profecturi erunt præstiturus sit Romanus Antistes, ecquid tandem erit causa, cur eò non ire maturent, vt emant absque argento aquam illam Sapientiæ, quæ à turbidis Geneuensis lacus gurgitibus hauriri non potest. Quanquam, quantum coniectura assequi possum, non ij sunt hæretici, qui doceri se ament, sed qui docere, & errorum venenum longè latéque spargere velint, cùm ad audiendum tardi, ad loquendum verò præcipitem quandam emicantis naturæ celeritatem afferant. Alterum remedium est, vt quandoquidem hæreticorum in gratiam, vt tandem nouæ sectæ mendacia & agnoscere & despuere possint, quæstiones fidei agitari permisit Majestas vestra, id tantum fieri curet coram doctis & probatæ virtutis hominibus, qui procul à periculo sint; nam periculosum est semidoctorum aures Caluinia-

Ad Principes non pertinent rixæ de religione.

Ad summum Sacerdotem spectant.

Ad Concilium Tridentinum recurrendum.

Doceri nolunt hæretici.

Cum doctis & coram doctis agitandæ huiusmodi lites.

nis euerberari blasphemiis, cùm in mentes vsque penetret virus, & ipsa sacrilegorum verborum recordatio vel ipsis cogitantibus noxia sit, aut acerbior quàm ferri à sanis hominibus possit. Id si præstitum à Majestate vestra fuerit, & ipsa & Regij Principes eius filij hac conuitiorum audiendorum molestiâ eximentur.

Catholicis placuit Oratio, non hæreticis.

Secundâ Orthodoxorum omnium admurmuratione excepta oratio est, atque eò iucundior omnibus fuit, quò planiùs ea coram Regina proponebat, quæ proponi volebant omnes, explicare autem audebat nemo. Hæreticis solis haud ita placuit hæc loquendi libertas candida sanè & religiosa, vnde toruì in oratorem oculorum coniectus flammeique notati sunt; sed nihil hæc moratus Laïnius qui in discutiendis excucullati Martyris argumentis nec caput nec cucullum reperit, adeò infirma erant & nulla quæ Martyr iste obiecerat, Egit deinde pluribus de Christi præsentia in Eucharistiæ Sacramento, atque in ea conquiescere se fide testatus est, hortatus insuper Reginam ac Principes omnes, vt præcipuum hoc Christianæ religionis mysterium consociatis viribus tuerentur, saluum fore Regem, incolume regnum, pollentem florentemque Galliam, si modò salua foret in nobilissimo regno Religio. Ad horæ dodrantem verba fecit, totamque orationem, quia optimis quibuscunque placuerat, exscribi Gallicamque fieri iussit Cardinalis Legatus, etsi nonnullis etiam qui Catholicorum partes tuebantur liberior visa fuerit; at cùm puersuadendi vim maximam habuerit, sapientiores diuinitus factum interpretati sunt, vt vnus aliquis reperiretur, qui hoc in Procerum cœtu quæ tuendæ religioni congrua viderentur, non per ambages, quod à meticulosis fieri assolet, sed sincerè candidéque proponeret, vnde non malè pronunciatum à compluribus est, viri prudenter interriti linguâ loquutum esse Deum, qui infantilibus etiam linguis vt opportuna loquantur, gratiam præstat. Regina non fine vtili aliquo mentis morsu Laïnium perorantem audiuit, nam, quò præsertim spectarat eius oratio, ab eiusmodi dein certaminibus, & altercantium cœtibus prudenter abstinuit, in quibus audientium interdum animis tela desiguntur ab hæreticis, quæ licet euulseris, ac persanaris, turpem tamen cicatricem inducunt. Creuerunt inde mirum in modum Catholicis omnibus animi, & pia Laïnij libertas maiorem longè Doctoribus reliquis in arbitrando fiduciam fecit.

Gallicè reddita fuit.

Persuasit.

Colloquium autem hoc inuito Romano Pontifice institutum vigesimo quinto Nouembris solutum est, aut nullo aut perexiguo Catholicæ rei compendio, magnis verò hæreticorum clamoribus thrasonico sese fastu efferentium, quasi de prostrata Papistarum superstitione triumphassent; sed quàm inanis triumphus hic fuerit, vel ex ipso Nauarro constitit, cui non factum satis ab Hæreticis fuit, etsi gloriosum Comici vatis militem æmularentur, huic post falsitatem è dissonis eius opinionibus manifestè deprehensam euulsus omninò si quis resideret de religione scrupulus, vni tantùm in solita mentis cæcitate perstitere sectarij, quòd eam nouis anteoccupatam erroribus, aut indocilem ad Theologicas has disputationes attulissent.

Colloquij fructus.

Nauarrus magis Catholicus.

Quod ad religionem pertinet, nihil de ea hoc in Poissiacensi conuentu statutum est, nihil à Doctoribus, nisi è veteri Ecclesiæ sensu pronuntiatum. Apud Catholicos tamen & Pontificem necnon Hispaniarum Regem sinister de Regina dissipatus est rumor, quam illa nominis sui maculam per festinatos confestim legatos properauit eluere, Pontifex collaudatis Catholicorum aliquot pro Religionis tuitione laboribus, Cancellarij orationem, qua initio proluserat, tanquam multis partibus falsam ac temerariam esse pronuntiauit, quæsitorum fidei tribunal eidem comminatus, ni resipisceret. Res in colloquio gestæ priuatis inscriptæ sunt commentariis ab Espençæo pro Catholicis, à Beza pro sectariis. Sic ergo disceptabatur in Gallia, sed nôn æquis, vt iam monui, Philippi Catholici Regis auribus accipiebantur intestina hæc bella, quæ aliis quàm initæ disputationis armis profligare tutiùs Medicæa potuisset; quocirca nihil non tentabat Philippus eam vt ad seueriorem aduersus perduelles induendam personam excitaret, neu sineret vnquam infelices illos ramos facili resectione truncandos segnioribus in amputando curis Galliâ totâ syluescere; hortabatur insuper vt quæ Franciscus II. feliciter inchoarat, prouehere minimè cunctaretur; non diuturniores pati posse moras exscecandam ferro pestem, quod si non validè satis à Christianissimo stringi posset exercitu, subsidiarium fore Catholicum, nec Hispanas melius vnquam, quàm in expurganda ab Hugonotis Gallia consumendas opes esse, quas pollicebatur omnes, vitam insuper, quam in Christi & Religionis gratiam profundere non dubitaret. Angebant hæc vehementer Reginam famæ apud Hispanos melioris cupidam, sed necessitati aliquid, non hæreticorum gratiæ

Sinister de Regina rumor.

Cancellario minatur summus Pontifex, & cur?

Rex Catholicus Reginam ad seueritatem hortatur.

Vires ei pollicetur.

Oderat hæreticos Regina.

dare (quod aiebat illa) compulsam, Nam, vt ex Historicis constat, oderat illa quos interdum fouere videbatur Hæreticos, iniectâ scilicet offâ consopiebat Cerberos, ne latrarent, morderentque, Et colloquij eam Poissiacensis pœnituisse non dubito, nullius quippe, aut perexiguæ frugis, & quod ex eo ductum fuisset multiplex aculeatorum de ipsa colloquiorum argumentum, dum vno eodemque tempore Poissiaci de stabilienda Religione, in Europa verò ferè tota de Reginæ, quæ colloquium permisisset, prudentia, & de fide fortassis ancipites identidem mouerentur quæstiones.

Variæ de Reginæ opiniones.

Dimissi tandem ex hoc cœtu Protestantes Ministri, ac per Tricasses viam ingressi, à Ioanne Antonio Caracciola Ioannis Sergij Melphiæ Principis filio Tricassium Episcopo sectæ fautore amicè lautéque excepti sunt. Hi post curatum genialiter corpus, ne asymboli omnino ab Episcopo recederent, subitaneum ei de sua ad infulas vocatione iniecere scrupulum; tanquam nec Ecclesiæ, nec communi populi assensu, at per suffragia tantùm è generis splendore gratiáque collecta promotus ad id muneris fuisset. Turbidæ deinde fluctuantique Præsulis eiusdem conscientiæ datum ab iisdem est, à quibus concussa erat, remedium; vulnerant enim sanantque homunciones isti, Achillei acinacis æmuli, qui complanabat illicò quas altè impresserat plagas. Ab iis ergo tanquam à legitimis pastoribus inauguratus est, sed non absque Catholicæ fidei naufragio quam eiurare coactus est miser, perseuerabatque in Episcopali solio Mysta Sacrilegus, donec de Regis Præsulumque sententia motus est Ordine sacro & scrupulum intima mentis adurentem vnà cum Episcopatu deposuit. Lugendus sanè Pastorum omnium casus, atque ob id maximè deplorandus; quod non vni duntaxat in præceps ruant, sed ad lubrica eorum exempla titubent sæpiùs greges & offendant. Sed non vnus ille scrupulis excruciatus peccabat Antistes, Valentinus quippe & Sagiensis Præsules absque vllo religionis morsu religionem proditum ibant, dum nocturno tempore capita cum Ministris conferrent, commónerentque quid in crastinum pararetur circa res fidei agitandum, sic instructiores destinato se pugnæ campo inferebant. Atque id de Valentini famulis rescitum est affirmantibus Caluinianum minimè hunc fuisse, optasse tamen hoc induci colloquium, quo nouitatibus aliquot apud Orthodoxos instituendis sterneretur via facilior; ac præsertim vt laïcis, post Sacerdotis communionem, vtriusque speciei potestas fieret: baptismales tollerentur cæremoniæ, quas superuacaneas esse putabat; cum satis esset aqua cum Ministri verbis coniuncta; item vt proscriberetur imaginum vsus; nec alio quàm

Caracciola Præsul Protestantes excepit.

Scrupulum ei iniiciunt protestantes.

Fit hæreticus.

Episcopatu deiicitur.

Valentinus & Sagiensis Præsules.

Quid apud Catholicos innouari vellet Valentinus?

vulgari idiomate sacra peragerentur officia; vt rhythmicis Dauidici psalmi numeris pangerentur ab omnibus. Hæc si licita forent, haud quaquam dubitabat, quin Nouatorum pars maxima in Ecclesiæ gremium momento rediret. Sed iniquis eius seu cogitationibus, seu etiam postulatis repugnabant omnino tum sacri Canones, tum recepta Ecclesiæ consuetudo; obstabat etiam nota perduellium fraus, quibus nihil vnquam gratiæ fit, quin nouæ petendæ irritamentum fiat aliquod; quam si abnueris, pro nihilo prior habenda sit semper. Beneficia nempe, ne maleficij loco ponantur, cumulari perennareque debent apud Hæreticos, quibus, cùm re sibi datâ plerumque malè vtantur, rarò aliquid conceditur benè.

Nunquam sit satis hæreticis.

Verùm emergamus tandem è Poissiacensis Colloquij aulâ tot virulentis in Religionem scommatis blasphemiisque pollutâ, vbi persultauit impudens hæreticorum audacia, intemperantiùs postmodum debacchatura; nam qui ante colloquium in subterraneis ferè locis, latibulisque concionales ministri pressis faucibus mussitare vix ausi fuerant, post colloquium in propatulo noui Stentores vociferari cœperunt; quin & in aduersantes sibi Catholicos dentem acuere, pro piùs insequi, morsumque destinare non puduit. Reginæ tandem intellectum est, quæ iam contigerunt damna, seriùs ab omnibus præcaueri. Hæc igitur anxia, incertaque animi, qui furiales istos sectariorum motus componeret, ad blandimenta de more dilapsa est, & à Romano Pontifice communionem sub vtraque specie per Oratorem Regium, vt iam dixi, petiit, non impetrauit tamen, nec id si assequuta fuisset, volitantem impune sectariorum compressisset audaciam. Quę dum identidem apud se reputarent Orthodoxorum primores, discruciabantur animo; excesseruntque ex aula & comitatu Regio Dux Guisius, Comestabilis Mommorancius, Mompenserius Princeps, Brissacus & Sanctandreanus Marescalli, vbi Reginam commonuerunt, ex inertia, nimiáque Regiorum Magistratuum indulgentiâ aut conniuentiâ, qui edicti Iuliani violatores non coërcerent, eas seditionum propediem excitatum iri faces, quas innumerorum Catholicorum vix restingueret cruor; non edomari satis perduellium arrogantiam fulmine languidâ Regum manu intorto; non leuiter hæresim delibandam, sed consauciandam penitus, atque in vulnus fortiter incumbendum, ne iuxta vetus dictum grauiùs noceat, vt ticarum more, quas si leuiùs attrectaueris, blandientem manum acriùs multò compungent.

Insolentiùs agunt hæretici.

Ob nimiam indulgentiam.

Indignè hoc ferunt proceres.

Ex aula excedunt.

Seueriùs agendum in Nouatores.

Displicebat igitur edicti Iuliani violatio, segnesque ad comprimendos perduelles vigiliæ, quare proripuerant se Proceres Regis

è familia remedium priuatis in domibus quæsituri aliquod, quod desperabant in aula; Nam cùm Regina & Nauarrus coniunctis studiis vigiliisque cuncta mouerent, dissociari non poterant nec euinci firmissimo nexu copulatæ Regiæ mentes, vt enim exaggeratas Principum vires facilè succidere solet discordia, sic easdem in immensum concordia intendit. Non despondebant tamen animum Magnates omnes, maximè cum ad hæc religionis tutandæ consilia peruigiles curas adhiberet Cardinalis Legatus adnitente Ioanne Manrice à Philippo secundo Hispaniarum Rege misso, quem Principem præcipuus hic stimulabat ardor tam integræ à Caluiniana lue conspiciendæ Galliæ, quàm amicam habebat; atque vt eam vehementiùs adamaret, hortabatur amor eiusdem in Elizabetham coniugem Catharinæ Galliarum Reginæ filiam; sed optima tum Galliæ Procerum, tum Catholici Regis studia interturbabant continuæ Nauarri regnum suum reposcentis querelæ, Quod vbi Ioanni Manrices innotuit, statuit Principem variis promissorum illecebris capere, quò illuderet capto; huic enim per Lenuncurium Altissiodorensem Episcopum, & Franciscum Scarsium in Nauarri amicitia validos Sardiniæ regnum, quod vbere in solo, amœnoque esse dicebat Philippi Regis nomine deferri ostendit, quo Nauarræi regni sanciretur iactura. Ille haud difficulter persuasus non intellexit parari fabulam in aula Hispaniensi ludendam, cuius ipse locuples argumentum foret. Hac igitur spe quanquam inani vtcumque pastus Nauarrus, à Condæi fratris & Coliniorum societate diuulsus est. Ludum autem hunc Hispanicum, bonum auspicatumque dolum appellare quid prohibet, cùm ingens inde Romanæ religioni accessio facta fuerit, dissociato ab eius aduersariis Nauarro & conciliato Catholicis. Hæc autem inopina mutatio quantos aut ægritudinis, aut indignationis aculeos Ioannæ Nauarri Coniugis in pectus inflixerit, explicari vix potest. *Hunccine virum*, sic enim querebatur illa, *in dotalis regni partem & Maiestatis assumptum, per repentinum religionis dissidium, coniugalis fœderis & amoris diuortia quærere! Imbutus nouis Caluini dogmatibus quid habet tandem quod opponat tam sanæ doctrinæ? aut si nihil in ea culpandum adnotet, quid veteri religioni anilibus superstitionibus implicatæ vagam inconstantemque mentem appellit? stare commodè non potest*

Catholica Card. Legati Et Philippi II. pro Gallia cura.

Nauarrus regnum suum reposcit.

Sardinia ei offertur, sed illuditur.

Hac fretus spe à Condæo & Coliniis seiungitur. Et Catholicis iungitur.

Ioannæ Reginæ questus.

commune coniugatorum iugum vnà cum dispari religionis iugo; nec inter eos amicitia retineri, quos discrepantes in fide sententiæ diuulserunt. Agam itaque sola cum liberis, quos Patri spero fore dissimiles, vitam hi Patri acceptam ferent, non mores. Benearniam ergo cum Henrico Principe & Catharina filia repetit, procul à mariti consiliis & societate victura deinceps. Quas non concepisset Hæretica Regina furias, si exploratum habuisset per Catholicos Principes Antonio marito suo persuasum fuisse repudium, aut datum saltem eius rei consilium, maximè cùm locupletiores ei offerrentur nuptiæ cum Maria Stuartia Francisci II. vidua celebrandæ, cui absolutissimum in Scotiæ regnum ius erat, Anglicumque promittebatur, Accedebat ad inclinandum ad hoc nuptiale fœdus Nauarrum iuuenculæ Reginæ formositas, tum affinitas iungenda cum Guisiis, in omni fortuna pollentibus. Verùm cum Ioanna Regina stringebatur Nauarrus arctiùs, quàm vt hinc auelli commodè posset; connectebant quippe maritum cum coniuge liberi ex ea suscepti, quare propter fructus iam editos, amandam, retinendamque sibi arborem duxit.

Benearniam cum liberis repetit.

Nauar. Maria Stuartia offertur in coniugem.

Has recusat nuptias.

Sed non Ioannæ tantùm, sed & Catharinæ Mediceæ Reginæ tantò molestior fuit quantò minùs expectatus Nauarri à Condæo fratre secessus, quamuis enim in Catholicæ religionis commodum cederet, tamen quia in parte vtráque & Catholicâ & hæreticâ ex æquo librandâ, temperandáque Catharina Regis Mater Gallici fata imperij sita esse ducebat, tantum sibi virium deperire querebatur, quantum ad alterutram partem accederet. In repentinis præterea Societatibus istis, quamuis æqua honestet eas ratio, conflari clàm aliquid suspicabatur, quod mox in perniciem suam erumperet; nec enim adnitentibus Hispano Rege, Cardinale Ferrariensi, Guisiisque Proceribus ad Catholicorum partes transiisse Nauarrum putabat, nisi mercede magnâ propositâ; hanc porrò Gallici regni administrationem esse, è qua in Nauarri gratiâ deturbandâ mox foret; Mulierem se esse dictitabat quidem, sed Principum matrem, quorum immaturam regimini fulciret ætatem, Vnde si quid interdum peccaret, quis autem etiam inter viros culpâ immunis? huiusmodi hæc esse peccata, quæ nocentem se minimè præstent, naturæ quippe defectus esse; & tamen hos per summam iniuriam non mitiùs vindicari, quàm si à morum prauitate existerent. Hæc dum apud se disseréret Medicæa Valentinum Episcopum, & Hospitalium acciri iubet, de quorum consilio (sanius vtinam fuisset) cum Condæo Principe &

Medicea secessum hunc non probat.

Malum inde aliquod auguratur.

Cum Condæo & Admiralio fœdus init. Admiralio fœdus init; eorumque partes impensiùs fouet, quò coalescenti nouo triumuiratui è Guisio Duce, Comestabili, & Sanctandreano conflato obluctetur potentiùs, nec metuendam inde grauem Numinis offensam existimabat; cùm è malis, vt aiebat, initiis optima quæque sæpe nascerentur, Deum ipsum nocentioribus ex herbis saluberrimos extrahere succos, vimque abigendis morbis opportunam, vnde nihil imprudenter facturam se colligebat, si eos, qui veterum discordiarum authores extiterant, nouarum iam consopiendarum duces asciscerect.

Condæum mollit Admiralius. Ad hanc Condæus aleam cum suis tentandam festinus aduolabat, in fulciendo Reginæ imperio priuatas vindicaturus offensas, & ignominiam carceris, quæ altissimum etiamnum pectus excruciabat; sed furibundi principis æstus mitigabat Admiralius Fabianam cunctationem æmulatus, quò certiores fidentioribus ictus destinaret; grauiùs *Quæ grauior ira?* quippe nocet, dum tegitur ira. Hic cæcâ regendi cupiditate inflam-*Proceres sectæ adhærentes.* matus totum se cum fratribus addixerat sectæ, cui pariter adhærebant Porcianus Princeps, Genlisius, Grammondus, Durasius, Montgomerius Comes, Bouchauanius, Subizius, aliique Magnates, quos vt astrictiores sibi faceret Medicæa, ausa est simulare quod non erat, & temporariam antiquæ pietati laruam induxit, nouas sectę persuasiones exosculans sæpiusque regustans, aut exosculanti regustantique *Medicæa simulat non displicere sibi Caluin. errores.* similis; quóque subitariam illam personam cautiùs occultaret, propalam agere occœpit cum Caluinianæ sectæ ministris, eiusdemque sectæ firmamenta ex iisdem audire attentiùs, non repugnare argumentis, dociles in speciem aures, & animum accommodare, cum Admiralio & Principę Condæo fabulam eandem retexere, denique specimen dare non exiguum mentis in religionis rebus si minùs euersæ *Concilium petit &c.* saltem non parum emotæ. Quin & quò subtiliùs figmenta sua apud incautos diuenderet, Concilium à Pio IV. Pontifice Maximo postulabat Caluinianorum ex voto conuocandum; nunc Clericorum connubia vt legitima fierent; nunc vt preces Gallicâ linguâ publicè Ca-*Dubia Pontifici eiusdem fides.* tholicis in Ecclesiis conciperentur, qui ab Hæreticis receptus iam mos fuerat. Horum omnium occasione, & Proceribus Catholicis & Romano etiam Pontifici nutantis in fide animi argumenta dabat sanè quàm maxima; atque hinc fiebat vt mitiùs cum ea Pontifex ageret, ne inclinatam iam Ecclesiasticæ prosternerent affligerentque censuræ; sic per affectatum hunc ludum plerisque visa est non errantium modò hæreticorum, sed & errorum ipsorum patrona, Admiralius ipse fraudum artifex his interceptus est dolis, victusque à fœmina, hæreticarum partium opes, copias, auxilia coram ea recensuit, cunctáque

quæ contra triumviros præsto fore spopondit. Intus ergo sapiebat quæ desipere foris videbatur Regina, quanquam saniorem longè mentem probatura cunctis fuisset, si amotis procul dolis, quæ intus coram contuente omnia Deo semper extiterat, ea etiam foris apparuisset, nec enim in hoc fraudum genere sine notæ periculo larua induitur, cùm honestè semper deponatur.

Decepto Admiralio laruam deponit.

Immoderata dominandi cupiditas nimio plus Catharinæ dominata, non hæreticos solùm, sed & ipsam etiam fraudum artificem Reginam in errorem induxit, nec enim iis quos tam subdolè comparauerat, petita est auxiliaribus viris, quos sibi aduersos non multò post habuit; adeo quippe intuta sunt quæ malis artibus quæruntur auxilia; adeóque fluxa hæreticorum est fides Lunæ haud absimilis, quæ modò crescit, modò senescit, modò maculosa, modo prænitens, modò immensa orbe pleno, postmodum nulla futura. Verùm infidi in fide semel data perduelles constantes oppidò sunt in plerisque aliis; in quibus inconstantes eos esse præstaret. Nam in oblicerandis veræ religionis monumentis, vexandis & lacerandis Orthodoxis quæ constantia maior, aut pertinacia nocentior visa vnquam apud barbaros fuit? hos nempe & malè sentire, & peiùs etiam sæuire delectat, idem vbique genius eosdem in furias agit, idem vbique Caluinianæ sectæ mucro stringitur. & quidem eo, de quo loquimur tempore, Christi anno 1561. Pij IV. secundo, Ferdinandi Imp. primo, variis Orbis in partibus acuebatur hic gladius, in Belgio aduersus Philippum Regem Catholicum, in Scotia aduersus Stuartiam Reginam, in Sabaudiæ conuallibus Angruniâ, Lusernâ, aliisque circum iacentibus locis aduersus Sabaudiæ Ducem, sed longè immaniùs perfurebat in Gallia reformatus gladius idem contra Carolum Regem, sectariorum quippe odia aut intra mentes ferè latuerant, aut intra verba se se continuerant, raróque ad verbera proruebant; iam verò quasi ruptis obicibus, cumulatis Galliâ totâ stragibus, sacrilegiis, ruinisque exundarunt. Triste sanè spectaculum, horroreque plenum, dum Gallia in gladiatoriam penè arenam mutata tot innocentium sanguine cruentata ingemisceret; quot tragœdiæ in florentissimi regni theatro ad epilogum vsque perductæ? in quo aut iugulum dare, aut fidem eiurare cogebantur Orthodoxi; in quo, cùm inualida esset Ministrorum vox Catholicorum auribus mentibusque illudere adnitentium, arma in eos extemplo corripiebantur & impactis tanquam in refractarios & calcitrones equos fustibus intrare cogebant in mendacij & impietatis officinam.

Delusa Regina.

Insidiantur vbique Hæretici.

Crudelitate armantur.

Catholicis vim inferunt.

Primus circa id tempus religionis turbo in Principe Galliarum

vrbe Lutetia magno fragore detonuit, Nam in Sancti Marcelli suburbio, cùm Perduelles ad decem millia conuenissent aliquid suo more precaturi; boni Abrahami qui asinum ad montis ima deligassent, ne inter precum, cantilenarumque suarum solennia parum musicè obstreperet, Sancti Medardi campanas iteratis tinnituum frequentamentis sacri mysterij alicuius lætitiam enuntiantes non tulere, causati per Ecclesiasticos illos modulos rhythmicas sectæ preces interturbari, quare sacram in ædem furibundi gregatim inuolant, portas effringunt, resistentes interimunt, sacras icones euertunt proculcantque, indéque quasi locuplete partâ victoriâ triumphantes abscedunt. Quantò deteriores hæretici vetere illo reprobato Saüle, cuius impotentes mentis æstus temperabat, vbi mollirer increpuisset, Dauidicæ citharæ sonitus. At hæreticorum rabiem inflammabat acriùs concentus hic Ecclesiasticus Deo etiā non iniucundus, qui per lætos cymbalorum sonitus rite laudatur à suis. Inter præcipuos factiosorum Duces numerantur Rugerolius latrunculator, & Gabastonus vigilum Præfectus, hi quinquaginta Catholicis S. Medardi templo crudelem in modum occisis, quatuordecim captos per triumphi speciem in vincula traxerunt armati. Postridie cùm ad hæc conniueret Magistratus, aut segniùs rem disquireret; locus in quem ad sacra sua conueniebant perduelles, subito conflagrauit incendio, quasi expurgante flammâ quod sacrilegiis inquinarant. Insons ille Catholicorum sanguis effusus vindicari iure debebat; quare Ægidius Burdinus Cognitor Regius rem ad Carolum Regem detulit in Sangermani fano agentem; ille in tumultus autores inquiri iussit, comprehensique sunt è sectariis non pauci, ac diutino carceris pædore mulctati. At Gabastono seueriùs longè factum nocentiori quippe, hic cum vno ex eius apparitoribus post truncatas ad ignominiam nares in furcam actus est plaudente circùm plebeculâ, ac funem præ lætitiâ contingere gaudente, quo seditionis incentorum fracta est gula, qui mox vnco tracti in profluentem Sequanam mersi sunt. Sic castigata paucorum supplicio complurium rabies, erant qui grauiores ab iis pœnas exigi debere censerent ob profusi sanguinis copiam, sacri præsertim; conspecti namque Sacerdotes aut cruore suo perfusi, aut vinculis cōpediti; iis autem non tantum inurebant dolorem accepta in Christi gratiam vulnera, quantum blasphemiarum sordes in sacrosanctum Christi corpus è purulentis sectariorum faucibus egestæ, qui concessum hoc nobis cœlitus gloriæ pignus sacrilegis etiam pedibus proculcarunt.

Parisiis Imagines Sacras euertunt.

Factiosorum Duces supplicio affecti.

Hæretici Sacram Eucharistiam proculcant.

Incidit hæc laniena in diem 27. Decembris Diuo Ioanni Euangelistæ sacrum sub vespertinas preces, vt castissimo Innocentium

puerorum sanguini, quorum tùm retexebatur memoria, innocens pariter hic admisceretur cruor. Spectatores erant si minùs eius stragis adiutores non è Caluiniana tantum fæce sed ex ipsis sectæ proceribus aliquot, quos inter Andelotus Admiralij frater, & Beza, quod ipse scriptis ad Caluinum literis testari non erubuit; quin & in suorum feritate describendâ triumphantem propemodum stylum consectatur, nec sacrilegia in Augustissimum Christi Corpus suscepta dissimulat. Atque hæc Parisiis. Paria verò aut acerbiora per Caluinianos alios cùm variis in vrbibus, tum Appamiis præsertim religioni Catholicæ importata sunt damna. Hæc Galliæ Narbonensis vrbs est, secundum Tolosam, quæ Prouinciæ caput est, amplissima in feracissimo tritici, vini, fructuumque variorum solo posita, limpidissimis Aurigeræ fluminis aquis irrigua, & hanc variis tum ad simplicem victum tum ad delicias etiam frugibus abundare plurimùm obfuit, iis enim illecti sectarij, quibus sua tantùm in pinguedine terræ futura sors est, vrbem occupant, & nouellis sacris inuectis antiqua religionis iura conuellunt, quam vt penitus obruerent, omnia eius monumenta ferro flammáque peruastant, Mendicantium cœnobia diruunt, Ecclesias Cathedralem & Collegiatam Virgini à Campo nuncupatæ sacram disturbant, confractis Crucibus, dissipatis altaribus, comminutis Diuorum simulacris, direptis vestibus sacris, aut profanos destinatis in vsus, aliisque quæ furentes etiam Mænades dedecerent, susceptis flagitiis per laceram vrbem, aut vrbis potius cadauer volitantes quasi de prostrata Idololatria triumpharunt. Qui signatam & impressam etiàm lapidibus perduellium rabiem videre appetet, in vnas Appamiarum parietinas oculos coniiciat, obseruet ingentes illas collapsorum cœnobiorum ruinas, Ecclesiarum moles solo æquatas Catholicæ pietatis, hæreticæ prauitatis monumenta perpetua. Si coctilibus calce arenaque illigatis laterculis tam hostiliter factum, quantò in Sacerdotes omnes ac Religiosam vitam professos sæuitum asperiùs.

Andelotus & Beza Cadis Christianorum spectatores.

Heretici Appamias Sacrilegiis & crudelitate peruastant.

Sacras ædes euertunt.

Hic adiungere placet in antiquis Appamiensibus tabulis perlectum à me sacrilegũ immaneque nefas aduersus Religionem, ipsumque Religionis autorem Deũ ab hęreticis sexaginta vrbis eiusdem ciuibus An. 1557. susceptum, consummatumque; quorum iussu luce palam, supra pegma in foro erectum Carnifex Christi Cruci affixi effigiem quasi diris omnibus deuouendum portentum aliquod, quinas in partes ferrâ dissecuit, quas totidem vrbis partibus affixit, triste sanè

Christi patibulo affixi simulacrum dissectum.

ob Romanam religionem irrisam traductamque spectaculum, & sincerum impietatis, Caluinianæque perfidiæ documentum exhibituras. Robertus Pelleuæus Appamiensis Episcopus ad huius feritatis nuncium totus inhorruit, Tolosamque Regiâ ex aulâ magnis itineribus profectus, dirum hoc facinus ad Augustissimum Senatum detulit, cuius missu Appamias aduolauit Guerinus Dalzonius in eadem curia Consiliarius, vt in consceleratos inquireret, Cúmque is legum vi ageret, totius vrbis Primores Catholicos acciri iussit Episcopus, quibus vt Boni Pastoris munus obire se velle testatum relinqueret, quanti sit momenti significauit Iuuentutem rerum omnium adhibendarum capacem Christianis præceptis excolere, vt in ventura crescentium annorum spatia, quem à teneris hausit virtutum colorem traducat; at prouidendum illud in primis in veteris restauratione collegij significauit, vt scholarum præsides eruditi, & verè Catholici deligerentur, iisque sustentandis iustum penderetur vectigal, non magnoperè verò conquirendos esse huiusmodi probos omnique eruditione præstantes viros, cùm præsto adessent Societatis IESV Patres, qui iacentia diu literarum studia collapsamque penè pietatem ad antiquum honoris culmen euehere adnitebantur. Præsuli tam recta proficuaque monenti cum assensi essent omnes, noui Collegij fundamenta hac in vrbe posuit Societas IESV, ad quod inchoandum promouendumque è sinu suo eductos submiserat operarios tres, pari doctrinâ ac pietate cõspicuos Ioannem Pelletarium, Edmundum Augerium, & Ioannem Rogerium; biennioque inibi cum laude exacto, non vrbem tantùm illustrarant, sed & per finitimos pagos excurrerant sacrum vbique semen spargentes, ingentes inde collecturi virtutum Christianarum manipulos, quos Cœlestibus horreis includerent. Verùm in ipsam frugum flauescentem iam messem ac longè vberioris spem turbo Caluinianus incubuit, cedendumque fuit procellis in recentes colonos excitatis, dimissa cum luctu Ciuitas, & quod acriùs optimorum Patrũ mentem exulcerabat, iuuandorum per consueta Societatis munia Ciuiũ adempta Spes omnis fuit. Pelletarius, dum in fidei hostes Christianâ constantiâ inuehitur, nobile sanè piæ libertatis præmium consequitur, Sauerdunensem nempe carcerem, in quem continuò truditur. Ea fuit laborum merces Euangelicis Præconibus à Christo prænuntiata, quæque certò manet illos, qui ouium instar rapaces inter lupos mittuntur. At nondum iis circumscribi se voluit terminis reformatæ perduellium rabies, vt in superstites tantùm desæuiret, enimverò ausa est facinus media in barbaria inusitatum; è tumulis enim Catholicorum pio somno quiescentium cadauera eruit concremauitque, ex-

Robertus Pelleuæus Præsul Societatem IESV Appamias euocat.

Eò mittuntur Patres Pelletarius, Augerius, Rogerius.

Exire coguntur.

Pelletarius incarceratur.

Agrestis hæreticorum barbaries.

tractos veteris maternis fœtus ad saxa elisit, vt propagandæ inter Catholicos religionis spem omnem præcideret; quin & abscissæ lactantibus matribus ab huiusmodi furiis mammæ, vt paruuli lacteo pastu depulsi inter altricum brachia ac lamenta exsucci victique deficerent. Hæc lugubri sane oratione dequererer, lugeremque pueriles illas cunas tam subito ferales in tumulos commutatas; sanguinem pro lacte infantibus propinatum; ciulantes hinc matres, illinc vagientes filios, tot Racheles plorantes, tot extincta piarum Genitricum pignora, hæc vberiùs inquam prosequerer, mihi si propositæ forent oratoris partes, non Historici.

Nunc antequam è polluta tot sacrilegiis ciuitate, tot inquinata flagitiis pedem efferam; iuuat insignes pugnas meminisse ab Edmundo Augerio Heroë verè Christiano aduersus hæreticos, quos magnificè semper deuicit, pugnatas feliciter. Quot non contudit hydras Hercules ille Gallicus, aut Hercule maior? quot non elisit Geryones? quot non profligauit Antæos terræ filios, dum in sublime tolleret? dum rationum momentis è Cœlitum disciplina petitis crassas illorum argutias confutaret, quot latrantes Cerberos immissâ Cœlitus luce perterruit? quam despuere conabantur in caligine sua conquiescentes tenebrarum filij. Scio fuxi tantò mentis ardore in impiam hanc fidei nouitatem, eiusdemque cultores inuectum Apostolicum virum, vt omnium pene, qui concioni aderant, audita vox fuerit odisse se angue peius & cane Caluiniana dogmata, impiorumque dogmatum fautores execrari. Appamiis verò dum sequente proximè anno, ieiunij verni tempore conciones haberet, ac nouantium hæreticorum insidias frontemque meretricis deuelaret, adeò perterriti sunt quotquot aderant antiquæ religionis hostes, vt coram acerrimo bellatore congredi non sustinuerint, proruerintque continuò ad solitas de more ineptias contumeliasque, apud imperitum vulgus iactantes veneficiis corruptum Augerium, cùm sic emotâ mente loqueretur. Sed, quàm sibi constaret, prodidit satis Athleta fortissimus, dum confutatis eorum deliramentis mille atque eò amplius viros vel ab imminenti clade cohibuit, vel iam prostratos erexit, totamque ciuitatem à periculoso fidei naufragio eâ infractæ mentis constantiâ vindicauit, quam nec acres calumniantium morsus, nec frequentes lapidationes, nec mors ipsa quotidie non semel intentata labefactare potuit. Exiit ergo vir generosissimus opimis prostratorum hostium spoliis onustus, sed inter hos de inimicis Crucis Christi partos gloriosè triumphos præcipuum id erat quod ingentem ei voluptatem afferret, non ad spiritualia tantùm bellanda prælia progressum se es-

Edmundus Augerius heros Christianus.

Hæreticos Ecclesiæ gremio restituit.

Catholicos roborat.

Non terretur periculis.

Athletas multos efficit.

se, sed & nouos insuper efformasse pugiles, qui per eadem Christiani Martis tentamenta innumeras palmas reportarent. Ex alumnis enim quos in Appamiensi Collegio ad doctrinam, pietatemque Edmundus informauit, floruere sanè omni laudum genere insigniti complures, sed præstitit facilè cunctis tum nobilitate, tum ingenio Petrus Vilarsius, qui deinde Viennensis Archiepiscopus fuit, non Diœcesi tantum suæ sed & Gallicanæ toti Ecclesiæ opportunus Administer, sedulusque operarius, qui eò se perductum ætatis gloriari solebat, qua Edmundum in Virtutum iuxtà ac literarum palæstra moderatorem habuerat. Hunc eundem Edmundum publico Galliæ religionisque bono natum cum sectæ Magistris congredientem fortè videbimus, victorique lauros gratulabimur suas. Nunc manum ad se calamumque vocat Lugdunum piis eiusdem Edmundi concionibus, etiam inter armatas hæreticorum acies ad veteris sanctitatis normam excultum, qua in vrbe cùm procederet solennis supplicatio quæ octaua ab Eucharistica festiuitate die peragi solet, cúmque religiosâ admodum pompâ longoque psallentium agmine circumducta per vrbem sacra Eucharistia in D. Nicetij templo reponeretur, confestim quasi ex inferorum faucibus emersus adfuit nebulo, vt in venerandam hostiam irrueret, quam conatus est è Sacerdotis manibus eripere, proculcaturus haud dubiè, nisi prohibitus fuisset. Captus illico Caluinista sacrilegus, eodemque die flammis traditus, pœnam hanc illi procurante Antonio de Albone Archiepiscopo, cuius is ardor in vindicanda religionis iniuria fuit, vt oculos consceleratì priùs hominis supplicio, quàm corpus cibo pascere non æquum tantùm, sed necessarium esse duxerit.

Vilarsius Archiepiscopus Edmundi Discipulus.

Sacrilegi pœna.

Sequitur annus 1562. Pij IV. tertius, quo compescendis Europâ ferè totâ excitatis de religione rixis Tridentinum resumptum est Concilium, cui mox à Sectariis illusum per exitialem religioni cœtum ad Sangermani fanum Idibus Ianuariis indictum. Nam cùm passim Iulianum à Sectariis violaretur edictum, Ministrique conciones vbique instituerent, & ab his, & Magistratibus id fieri prohibentibus, mutuas in cædes prorueretur quotidie, Ioanna Nauarræ Regina, Condæus Princeps, & Colinius Admiralius à Regina Medicæa iteratis querelis veriùs, quam precibus exprimere conati sunt, vt quod cuique credere luberet, impunè liceret; atque ita nouæ profitendæ religionis integra cuique potestas fieret, Durum id quidem Reginæ postulatum est visum, nam constantis parum in fide mentis infamiam subituram se timuit, si tot concessis, ac promulgatis edictis, modò arctè comprimi, modò laxari licentiùs religionis nouæ libertatem sine-

Trid. Concilium resumitur.

Institutus ab hæreticis cœtus.

ret; sed acerbissimi temporis ratio hanc tandem eò impulit vt assentiretur Hospitalio, qui per Guisiorum, & Mommorancij Comestabilis absentiam, quam opportunam sibi esse duxit, ne horum aliquis, quæ statuisset ipse, rescinderet, Iulianum edictum sexto antè mense conditum abrogare decreuit, & Ianuarium edictum hæreticorum in gratiam fauoremque conceptum substituere, cuius vt edicti inuidiam apud Catholicos deuitaret, aut hanc in plures spargeret, ex vniuersis regni curiis, iustitiæque tribunalibus Præsides, ac Senatores euocauit, quos præsertim sententiæ suæ suffragatores fore pernosceret, iisque ad Sancti Germani fanum congregatis prolixam more suo parænesim habuit; qua, vt sincerum primò & à priuatis abductum commodis animum ad hunc cœtum afferrent, sciitè commonuit; tum vt regni negotia tot tumultibus implicati sedulò accurarēt enixè rogauit, religionis autem cōtrouersias penes Præsules esse pronuntiauit, quorū est, quippe Theologicis excultorum disciplinis solidum ab inani discernere; quare de turbis tantùm componendis agendum, & populis in Regis obsequio continendis; Stoicam autem in promendis sententiis seueritatem displicere sibi non dissimulanter ostendit, quare Romanum Oratorem in hoc maximè commendauit, quòd Catoni succensuerit, rigidè semper, & iuxta Platonianæ Reip. grauitatem de omnibus arbitranti; innuens leges tanquam nauigium aliquod atque cursum ex reip. tempestate moderandas; laxari sæpiùs aut comprimi calceum quò pedi aptiùs inducatur; ita personis & temporibus attemperandas esse leges. Hactenus è disciplina iuris pauca hæc verba profuderat, reliqua postmodum è medicina desumpsit; addidit enim, vt in persanandis ægrotis, sic in curandis regnorum statibus, quos discordiæ ciuiles afflixerint, licitum semper esse ea leuamenta quærere, quæ præsentem medendi vim habeant, Hoc anteloquio vsus aureis eloquentiæ ramentis asperso nonnulla postmodum addidit, quæ à multis accepta, in eorum vertêre perniciem.

Iulianum edictum rescinditur.

Ianuarium substituitur a Cancellario in hæreticorum gratiam.

Proposuit ergo Hospitalius, num sopiendis Gallicis motibus, & obsequio erga Regem procurando congruum esse videretur nouas aut permitti religiones, aut inhiberi; nec enim in quæstionem iam cadere vtra veri religio præstet; de republica tantùm in melius ordinanda colloquendum; & certè minimè à rectâ status gubernatione abhorrere dixit, si multi numerentur ciues, qui Christiani non sint; nec difficile illud esse, vt à religione dissonis publica colatur tranquillitas. Paratis ad hæc audienda conuocatorum animis, & ad idipsum inclinantibus haud difficulter persuasum est inter Regis subditos tutò induci posse chimæram hoc est, sectam dissentaneis

Persuadere nititur retinendos esse hæreticos.

Persuadet.

è membris compactam. Reliquis ab eodem propositis assensere ferè omnes, & si qua fuit arbitrantium pugna, vicit ea pars, quæ vinci debuerat. nempe vt de Iuliano edicto remitteretur aliquid, molliusque atque ita sectæ accommodatius aliud sanciretur, quod à mense quo conditum est Ianuarium appellarunt, nempe vt exploratum fieret, rescisso Iuliano, in quo incensum Religionis orthodoxæ studium flammeo cum mense congruebat, Ianuarium esse substitutum edictum, per quod vnà cum algenti tempore refrixisse notaretur religio. Hoc autem mense quasi per inauspicatam Iani clauem, perniciosa quidlibet credendi profitendique libertas aperta, duplexque in Gallia religionis facies apparuit, Catholicorum antiqua; Hæreticorum, posterior; prior manibus ad obeunda salutis opera constans; altera manca; illa cœleste, ad quod anhelat iter, intentâ mentis acie contemplans; hæc præpostero gressu semper incedens & quò rapiatur ignorans. Ad hæc concessum vt suo quisque genio viueret, crederet, sentiret, dum nihil inde aduersus publicam tranquillitatem attentaret. Datum insuper vt sectarij cœtus suos, conciones, & reliqua sectæ ministeria extra vrbis septa obirent, dum iis inermes adessent, Nobilibus pugio, ensisque concessus; pleraque tamen iis prohibita, ne imagines & Cruces dissiparent, aras euerterent; ne sacras ædes; agros, decimas, donaria viris Ecclesiasticis muneribus consecratis eriperent; si quæ per vim abstulissent, restituerent. Magistratibus imperatum, vt vtriusque partis homines à mutuis arcerent iniuriis, rixarum autores coërcerent; cautum item vt Caluinianæ factionis Ministri iureiurando Magistratibus fidem obstringerent, se verbum Dei purè coram populo enunciaturos, nihilque de suggestu asserturos, quod à Nicæno Concilio, vtriusque testamenti codicibus abhorreret, nihil præterea conuitij aduersus venerandum Missæ Sacrificium & augustos Romanæ religionis ritus ingesturos. Alia insuper eodem comprehensa sunt edicto, in quibus si constantes perduelles hæsissent, non tot attrita malis olim gemuisset & lamentari etiamnum pergeret Gallia, præcipua cuius damna in exitiabilem illam conscientiæ libertatem refundenda sunt hoc edicto sancitam; quin & ampliata postmodum est Concionalium Ministrorum prærogatiua, iis enim cùm in suburbiis tantùm nouum Euangelium propalare fas esset, aperta iam patent nouis declamatoribus vrbes, quarum intra septa idem prauitatis venenum eructant.

Refrigescere cœpit religio.

Data conscientiæ libertas.

Vtriusque religionis discrimen.

Concessa Sectæ ministeria.

Sacrilegia prohibita.

Parisiensis curia censet promulgandum non esse edictum.

Publicatum nondum erat perniciosum edictum, Intercedebat quippe Parisiensis Senatus, impediri se religione causatus, quo minus in eius promulgationem consentiret, sed Proceres quantumuis repugnantes

nantes obsequi coacti sunt Regi, excusarunt tamen si quà in re orthodoxæ religioni officerent, enimverò ad id exequẽdum permotos se esse, tum vt diuturni Galliæ consopirentur tumultus; tum vt sanctiora Regis forent apud omnes imperia, Additum ab iisdem est præstitutam consensui suo temporis metam esse, dum meliora scilicet peruideret, statueretque Rex, quod breui fore sperabant. Postremò contestati sunt omnes Nouatorum se religionem non modò non probare, sed vt pestiferam tabem odisse, quippe veræ fidei non emendatricem, sed corruptricem; neque enim corrigi potest, quæ nunquam deerrauit, neque si deerrasset Ecclesia, per cœnobiorum desertores à veritatis semita deuios in viam reuocari potuisset. Intercedebant ergo Ianuarij edicto, quibus inerat erga religionem constantia maior, Contrà verò Medicæa calamitosissimi temporis excusatiotionem prætexebat, idque Romano Pontifici per Ludouicum Sangelasium Lansacum significatum voluit. Ingemuit ad hæc Pontifex, Deoque supplicauit, vt Gallicorum malorum autoribus, quas promeriti forent pœnas, condonaret. Idem edictum apertiùs impugnarunt Nauarrus, Guisij, Mommorancius quippe vitio factum, & quod in Galliæ cladem verteret. Blasius Monlucius perduellium in Aquitania terror, qui opimam hanc prouinciam pestiferâ sectæ lue repurgabat, nihil tam ingẽtibus suis pro religione conatibus aduersatum fuisse prodidit, quàm cusum hoc, vt loquitur, in Inferorum officinis edictum, cùm per illud hostibus cuncta licita forent, & conquiescere cogeretur Monlucianus ille gladius, qui truncandis perduellium ceruicibus intentus, hæresis penè ipsius caput demesserat. Pestem in quam illam humi afflixerat Aquitanicus ille Guisius, (sic enim Monlucium appellabant, vt à Guisio Franco, quem fidei studio æmulabatur, differret) dum prælatis arborum ramis sectarios illigari iuberet per elisas funibus fauces expiraturos, Prostabant per Aquitaniam erecta hæc passim prostratæ rebellionis trophæa, oderantque peccare pessimi quique pœnarum terrore perculsi dum computrescentia hæc reorum cadauera, vt inanium olim opinionum flatibus iactata, sic ludibriis iam ventorum tradita contuerentur; adeò verum est non aureis virtutis catenis, sed probrosis suppliciorum laqueis viles & sordidas animas à patrandis noxis arceri. Quantò acerbius hoc edictum Catholicis, tantò acceptius hæreticis fuit, Condæo præsertim patrono sectæ præcipuo, qui vnà cũ Admiralio, quòd armis opibusque diffideret, clandestinũ cum Germanis fœdus percusserat, quos ad subita sub signis irruptionẽ facturos sperabat, sed turpẽ hanc Gallicis legibus aduersãtẽ societatẽ Guisij Romanæ fidei tutores disturbare conatur,

Promulgare cogitur.

Id ægrè fert Pontifex.

Damnant edictum Catholici Proceres.

Monlucius præsertim.

Expugnator hæresis, & Aquitanicus Guisius appellatur.

Heroïca eius facinora.

Viles animæ pœnarum metu ducuntur.

Cúmque è Germania nihil deflueret, Condæus & Admiralius exitialis belli semina Lutetiæ spargere conniutuntur; dabat his animos cùm innata cuique fiducia, tum ignaua Mediceæ Reginæ in præcauendis aut extinguendis turbis cunctatio, quare ne latiùs malum serperet, Nauarri publicæ rei studentis accitu Guisius rectà in aulam concedit, sed dum eò ire maturabat, inauspicatæ cursum inhibuere remoræ, vti iam lectoribus dabo.

Vassiacena seditio.

Vassiacum Campaniæ oppidum est, quod funestum inopinæ tragœdiæ theatrum fuit, Illac Calendis Martiis præteriens Guisius, seu Antoniæ Borboniæ matris precibus exoratus, quæ nimiam sectariorum non procul agentium viciniam iniquo animo ferebat, seu Ministri temeritate permotus, qui Guisianam inter concionandum familiam maledictis passim incessere non intermittebat, hunc ipsum Ministrum tam duri ac ferrei oris hominem acciri iubet; enimverò adfuturum se negat ille; maléque à sectariis acceptus, qui à Guisio venerat, remittitur Nuncius, Hinc orta Vassiacena seditio nullâ Guisij culpâ. Scio id secus narrari ab historicis non paucis; aiunt igitur cùm Vassiaco Guisius appropinquaret, audito tintinnabuli pulsu quæsitum ab eo, ecquod tandem ad pensum commoneret intempestiuus hic sonitus, cúmque ad Hæreticorum cœtum, à prætereuntibus responsum esset, Ad cœtum Guisius inquit, tum, vt è pluribus liquet, Calonum & lixarum, qui Guisiano in comitatu erant, ad ipsum Hæreticorum quasi malè ominatum nomen incaluit illico sanguis, & cum calore inflammatior ira, siue quod æstus illos excitaret Romanæ fidei studium quam oppugnari videbant; siue quòd heri sui res tutari sic vellent quas non ignorabant cum Catholica religione coniunctas, siue quòd hostile id omne ducerent, quod à Guisiorum fide moribusque discreparet. In Granarium ergo (conuentus is locus erat) raptis confestim armis irrumpunt, flectentemque eò ad impia sacra turbam indiscriminatim adoriuntur, eminus saxorum grandine feriunt, cominus impactis fustibus onerant; nec aberant inter verbera crebræ verborum contumeliæ, dum hæreticos latrantes in Granario canes Deo Regique infidos identidem appellarent. Vt paucis hæc edisseram; vtrinque pugnatur; vtráque ex parte strages editur, quæ longè grauior recrudescit occasione Guisij, in ore dum tumultum sopire molitur, grauissimè læsi; eius enim famuli in obuios quosque inuolant, perimuntque, nobilissimum sanguinem impurissimo sanguine vindicaturi. Guisius, quanquam immodicum suorum æstum quà minis quà precibus mitigare contenderet, nihil assequutus est tamen, nec enim inter ferales cadentium cædentiumque clamores, armorumque crepitus, monentis minantisque vox audiri poterat, cùm vna

Quomodo orta?

sauciati Guisij facies Guisianorum omnium oculos mentesque ad vindictam incenderet. Cæsi hoc in tumultu è sectariis circiter sexaginta, vulnerati ducenti, plerique diffractis tegulis per compluuium elapsi, suggestus Ministri concionantis euersus, confracta pariter auditorum subsellia, Geneuensia discerpta biblia; captus Leonardus Morellus sectæ Minister & in vincula datus; exin ad S. Desiderij fanum abductus. Hunc ferè habuit exitum Vassiacena rixa, quam Beza poëticâ quadam auxesi, siue hyperbole immanem stragem appellat; in qua ab vnis duntaxat peccatum est lixis, non à Guisio, qui stragis dissuasor fuit, punitorque suorum temeritatis, & alienæ; nam captos sectariorum complures acriter increpuit, quòd illicitis his congressibus, & nuncij, quem miserat, violatione seditioni fecissent initium; Vt vt sit, sanie diu taboque fluxit hæc plaga, vix vnquam obducta, quin mox recrudesceret. Infinitæ hinc ortæ & ad Regē perlatæ querelæ, Ianuarium edictum, quod rixarum faces extincturum sperabatur, in Martium tam repente mutatum, quo se tutos patrocinio præstent in posterum reformati, si apud rebelles Catholicos euanida sit Regum erga reformatam religionem tutela?

Cæsi sexaginta sectarij.

Leonardus Morellus Minister captus.

Guisij iniussu strages hæc edita.

Infinitæ hinc querelæ.

Hæc potissimum apud Catharinam expostulabat ac vindicari cupiebat Sectariorum omnium nomine Beza, cùm non tam ab Catholicis, quam ab hæreticis imminutam Regis autoritatem Nauarrus obiecit, Nam conuentus hi Caluiniani, esto (inquit) impunè habeantur; at qui eò confluunt, enimverò inermes esse iubentur; quid ergo Granarium hæretici cum armis profecti sunt? Ad hæc Beza, quasi Cato aliquis é Cœlo delapsus grauiter & sententiosè; arma, respondit, in prudentium virorum manibus pacem secum afferre. Nihil sanè ineptius hoc vate, qui tam indecorum Reginæ virtutum prudentiæ assignarit hospitium, dum vilibus eam Vassiacenorum rebellium capitibus incubare pronuntiauit. Interim Guisius Nantolium petit, quem salutatum adeunt Catholicorum primores, Mommorancius ipse Comestabilis suas in eo ornando partes desiderari noluit, misit è comitatu suo qui sospitem ex hoc periculo elapsum officiis omnibus prosequerentur. Agebat tum Moncelli Rex, quæ Meldensi in agro villa est amœnissima, ideoque regiæ relaxationi peropportuna; aderat Condæus qui coram Rege Vassiacenam cædem supra fidem exaggerabat, quam inuidioso nomine lanienam appellabat teterrimorum sicariorum sanguine expiandam; nec impunè illis debere facinus esse, nam culpa quæ non plectitur latiorem maleficiis viam sternit, idque præsertim vnum à Regina petebat, vt recenti hac cæde pollutos Lutetiæ prohiberet ingressu, omniqué aulæ aditu interdice-

Beza responsum ab armis pacem afferri.

Hanc stragem exaggerat Condæus.

ret; hoc si Regina dare abnueret, promiscuis omnia cædibus cruentanda comminabatur, dum suorum hoc in tumultu cæsorum necem vltum irent sectarij, vitam verò suam fortiter tuerentur orthodoxi.

A Regina benignè auditur.

Et pronas id temporis Condæo dabat aures Regina, eiusque se potissimum autoritate ac potentia niti fingebat, ne, si Nauarrus & Lotharingij aliique regni primores aliquid turbarent, deesset sibi tabula, cuius firmitudini tutò insidens, Majestatem tueretur; quod vt culmen vnà cum autoritate penes se haberet semper, ad ima plerumque deuoluta est sponte Regina: quæ dedecora, regio quippe indigna fastigio, ægrè contuebantur & ferebant Aulici, sed hæc omnia adductâ sæpius acerbissimi temporis necessitate aut gemens, aut gementi similis excusabat, non excusabat fortasse Rex temporum Deus, atque vtinam minimè accusarit. Interim inquiri iussum in Vassiacenæ seditionis autores, quam Parisienses vsque adeò non improbabant, vt quod Romano fuit olim in votis Imperatori, vt Populus Romanus ceruicem vnam haberet, idem de Sectariis præoptarent, quò faciliùs vno duntaxat ictu necaretur hoc monstrum, Atque hinc faustæ Parisiensium acclamationes auditæ dum Guisium non publicæ tantùm tranquillitatis, sed veteris etiam Religionis assertorem consociatis vocibus appellarent; plura laudis ornamenta coràm aggesturi, si ad ipsos reuiseret, quod multorum tandem precibus & literis impetratum.

In seditionis autores inquiritur.

Parisienses Guisio gratulantur.

Hunc vrbem intrantem magnificè excipiunt.

Conuocandi autem Guisij occasionem dabat Caluinianorum præconum audacia, quæ cùm Condæi Principis factione inualesceret, Christiani militis armis coërcenda videbatur, Guisij scilicet gladio, sui temporis Gedeonis. Hic igitur Lutetiam profectus est, festisque Parisiensium vocibus exceptus, vt æternùm viueret comprecantium, qui hæreseon pestem, æternam mentibus stragem allaturam Æsculapius verus, non mendax abigere non cessaret, hunc autem comitati sunt Mommorancius Equitum Magister, Aumalius, & Sanctandreanus. Vrbem iniit per Sandionysianam portam cùm breuiori potuisset per Sammartinianam viâ, Nantolio quippe veniebat, Huius rei occasione in affectati regni suspicionem incurrit, sed futilis hæc malè suspicandi & calumniandi capta est ansa. Romanus ille Gracchus, quòd periturus auxilium dextram capiti admouisset, speciem præbuit maleuolis diadema poscentis, Guisius consimiliter quòd tritum Regibus iter ingressus fuisset pari suspicione laborauit, verum mendax est omnis ferè suspicio, nec quod re vera in hoste inest, sed quod huic inesse volumus, repræsentat. Guisius, qui vt inuiolabilem Deo, Regique famulatum præstaret, multorum odia collegerat, qui facinus tantum concipere poterat, vt Regem, hoc est spirantem Numi-

Gedeon sui temporis appellatur.

Falsa de illo suspicio.

Suspicio speculum mendax.

minis speciem de solio deiiceret, quod nequiter inuaderet ipse. Per hanc ergó Guisius ingressus est portam, vt à pluribus, qui in Sandionysiano vico sunt, quibus opitulatum venerat, conspici posset; manaretque latiùs eius aduentus rumor tum comprimendis hæreticis, tum erigendis Catholicis opportunus, At dum inter conferta ciuium agmina lætus hilarique explicata obuiis quibuscunque fronte progrederetur, tantùm non obuium habuit, quem minimè cogitabat Condæum è Caluiniana concione digressum; iamque timebatur, ne aduersæ partes manus consererent, sed metus tantùm fuit; si temperatum tamen ab armis est, alebantur certè per id temporis odia, quæ in mutuas partium strages ac funestam Galliæ propemodum vniuersæ vastationem non ità multò pòst eruperunt. In vrbe hac Galliarum Principe, & augustiore Principum theatro diutius stetisset Condæus aduersa Guisianis cohortibus arma oppositurus, si militiæ neruos Secta submisisset, pollicitis longè abundantior quàm factis; sed probrosum futurum erat Principi, si cum pollente opibus hoste non satis ab his paratus congrederetur; vix enim in locuplete admodum vrbe sectariorum è peculio mille sexcentique aurei deradi potuerant, non auro sed ferro grassandum esse clamantium; quæ vnica res infidæ illius gentis fastidium aliquod Principi paritura videbatur, nisi assentatrix interuenisset Ministrorũ cohors & quà blandiendo, quà fausta omnia pollicẽdo exire parantẽ iisdẽ in castris cohibuisset. Condęo postmodũ ex vrbe digresso, Comestabilis sectæ Ministros vrbe tota exegit, ædẽ profanis eorũ ritibus consecratã in planũ deduci iussit, quæ omnia cùm ad Romani Pontificis aures festinatus nuncius pertulisset, faustã sacræ huius curiæ admurmuratione, maximáque Põtificis ipsius voluptate acceptus est; ac propter eximiã hanc religioni ab Orthodoxis nauatã operã grates de more Numini actæ, supplicationes institutæ, sed vni præsertim Guisio efflorescentis in Gallia Catholicæ rei ascripta laus est, cuius colloquium cum Regina habitũ paucis iam nobis explicandũ incũbit.

Cur per Sandionysianam portam ingressus sit Guisius?

Pecunia neruus belli Condæo negatur.

Pelluntur Ministri à Comestabili.

Eorum deiicitur ædes.

Gratulatur Rom. Pontifex.

Medicæa igitur Guisij, Procerumque qui cum eo in armis aderant vultus, & heroicam in iis audaciam intuita, conuersâ illico ad Nauarrum oratione subitaneum hunc armatorum aduentum iure sibi displicere significauit; quorsum enim (vt aiebat) quæsita tot auxilia, nisi ad se Regemque pupillum opprimendum, aut ad priuata eorum consilia adigendum, cum quibus, nec datæ ab ipsis fidei integritas, nec Prouinciarum Gallicarum tranquillitas stare vllo modo possit. Edictũ verò Ianuarium, quod tot apud Catholicos turbas conciuit, à tempore partũ, tempore pariter corrũpendũ, quis inter aulicos adeò hebes est, vt ignoret ideo conditũ esse, vt abstineant ab armorũ tractatione sectarij;

Medicææ displicent auxiliares Guisij copiæ.

Mitiùs agendum præcipit.

formidandi sanè, donec robustiores anni Regi aduenerint, Hominum, est quorum perculsa abiectaque fortuna sit, ferendis ciuilibus rixis incumbere, à quibus abhorruere semper, quibus pacatæ florentesque res sunt, quas in turbido augeri posse non putant. hactenus extremis remediis extrema allata remedia, ferenda nunc sedatè qualiscunque hæc regni non diu mansura sors, nec exasperandi perduelles phrenetici, imò indulgentiùs habendi cicurandique magis, ne præcocius medicamentum morbi vim proritet magis, quàm leniat; vix cohiberi potest hæreticorum audacia, etsi nullâ iniuriâ prouocata, nonne se se violentiùs efferet, si lacessitam se viderit; in quos flammarum vortices non erumpet hæc scintilla, ei si fomes porrigatur à Catholicis;

Medicææ Guisius respondet.

Medicææ Oratio Nauarrum & Comestabilem penè inflexerat, dum immotâ mente staret Guisius Vlysses alter, quippe non tam ad Orationis mollitudinem, quàm ad eius insidias attendebat, cuius capita omnia refellere aggreditur. Egregiam verò laudem relaturos illos principio dixit, si viri cum sint, ac viros se præstiterint semper, ludificari se à fœmina sinant, cui in aduersantes Orthodoxis partes demigrare propositum iam sit; probrosum hoc singulis fore si ex aula discesserint, ingeneratâ omnibus suspicione eò profectos esse, vt priuatis tantùm seruirent commodis, postpositâ publica re, abiectâque regiæ autoritatis tutelâ. Quæ matùrè in commune sanxerint, ea non ex facili rescindenda; nec vsque adeò Catharinæ verbis questubusque deferendum, vt seponantur fidei res, pro cuius defensione dulce & decorum sit bonis omnibus emori; meminissent interesse omnium famæ consiliis optimis pro status incolumitate susceptis constantiam addere, fouere recens editos illos prudentiæ partus donec adoleuerint; denique factis opus esse, non verbis, moram sapientissimorum cœptorum corruptricem esse, imminere Condæum cum exercitu; sub signis perduelles iam esse ad intercipiendum Regem factionique suæ iungendum accinctos; præuertendam celeritate audaciam; parum ad rem pertinere vtri se se parti Medicæa dediderit, in Rege Catholicis asserendo rerum cardinem verti, eóque vertenda pariter studia, Rege & Nauarro (cui ortus prærogatiua regni totius regimen detulerat) pro Catholica parte arma & auspicia sua commodantibus, nihil magnoperè ab Regina pertimescendum.

Publica res anteferenda priuatæ.

Vrgenda sana consilia.

Cunctationis damna.

Nauarrus & Comestabilis Regem tuentur contra hæreticos.

Nec ex vano præmonebat ista Guisius, nam cum Castilionæo & aliis sectæ Proceribus festinabat in aulam Condæus vt Regem Caluinianis partibus implicaret. Quare Nauarrus & Comestabilis remota omni cunctatione Reginam seriò commoneri curant decretum omnino apud se esse Regem Regisque fratres Fonbellaqueo, vbi tum

erant, Lutetiam Parisiorum abducere, idque & temporum & negotiorum rationem exposcere: nam cui Catholici nominis studioso turpe non sit Regem dedere hæreticorum in prædam; atqui dedunt omnes, qui hostilem ab eo vim minimè arcent, prohibere cùm possint. Porrò (si quod auertant Cælites) Regem factioni suæ perduelles aggregarint, captiuumque apud se habuerint, quanti à sectariis concitandi sint turbines, ex præteritis compertum habetur. Quid non cum Rege tentaturi sunt, si absque Rege, eoque inuito tanta contra reipublicæ statum moliti sint hactenus, & adhuc machinari conentur; suarum itaque partium esse hæreticas ab Rege vires propulsare, & Christianissimum Principem à periculoso errantium hominum vindicare consortio. Non imparatum Reginæ animum offendit raptũ hoc à Catholicarum partium moderatoribus consilium, solers enim fœmina futurum id multò iam antè præuiderat, vnde meditatum ex longo responsum attulit, ægrè quidem sed tamen velle se id contestata, à quo in hoc rerum statu dissentire non poterat, Itaque cùm in eo res esse non ignoraret, vt grauissima ex vtraque diffidentium parte bella propediem nascitura forent, tutius sibi regiisque liberis suis, & tuendæ famæ suæ congruentius fore putauit, Catholicorum causæ si adhæresceret, quod & fecit, idque coram Nauarro, & Comestabili sincerè professa est, in religionis Catholicæ, publicæque rei cura nemini se vnquam concessuram, malle itaque se in hac rerum facie alienæ opinioni morem gerere, quàm voluntati suæ seruire, & quia Parisios vnde discesserat, remigrandum esse sentirent, nihil se ad iter allaturam moræ spopondit, ad quod illico se se comparat submissis clam ad Condæum profectionem hanc excusantibus literis, quibus etiam dolere sibi testabatur, quòd eius in factionem transire cupienti anteuertissent Catholici, à quibus cum Rege filio Parisios violenter abduceretur, Macte tamen illum esse iubebat; hortabaturque vt pro Regis, regnique tutela excubaret animo semper, nec fineret Galliæ regimen in hostium suorum manus & extraneam autoritatem deuolui. Dat ergo se cum Rege in viam cincta vndique Procerum Catholicorum comitatu; omni eam officio prosequentium, ac aulicis laxamentis mollire connitentium, si quid in ea reliquum ægritudinis esset, cuius expertem haud omnino Regem fuisse asseuerant, quem lacrymas in itinere profundentem interdum viderunt, sibique temperandis regni habenis nondum idoneo vim fieri non obscurè significantem, mœrorem autem suum longa taciturnitate Medicæa tegebat; aut promebat maximè, dum premere se putaret; loquax enim est obstinatum silentium; & vt conticescant homines, intima mentis arcana

Aggregat se Catholicis Medicæa.

Condæum monet de vi Regi illata.

Lacrymatur Rex.

Mœrorem dissimulat Medicæa.

Loquax silentium. sine fuco deuelat; angebatur etiam Regina ob interuersa consilia sua, quódque bellorum ciuiliũ volitare iam faces intelligeret. At Guisium Reginæ mœror nihil admodum sollicitum habuit, cui effatum hoc *Bonum idem semper.* in ore frequentissimum erat, Bonum vnde vnde profluat, nec bonitatis nomen nec pariter naturam exuere.

Condæus indignè fert Regem apud Catholicos esse. Interea Condæus Regis ad partes suas pertrahendi spe deiectus, vindictam meditari, vulgatoque publicè scripto Nauarrum & Guisium quasi violatæ Maiestatis reos vbique traducere, quòd captiuum Regem attinerent, oppressam fœderatorum tyrannide regiam esse familiam; ad turpem iam seruitutem delapsos Principes, non natos tantùm ad coronas, sed etiam institutos; hebescere Regis autoritatem; & quod Reformatorum pectus vehementiùs excruciet, prohiberi ipsos ab obeundis sectæ muneribus, labi omnia in præceps, cùm Rex ipse captus & vera religio quasi loris compedita in hostium potestate languescat; horum autem criminum autores (Nauarrum & Guisium nominabat) quasi translatâ in se Regis potestate triumphare. Sanè quidem persuadebant non rarò honesti illi tutandæ Galliæ prætextus, vnde ad opem ei contra hostes afferendam proni videbantur non pau-*Rex Condæi clamores spernit.* ci. Verùm à prudentioribus huiusmodi reiiciebantur libelli, quasi imminentium malorum prænuntij. Rex ipse negotiis ob immaturam ætatem nondum idoneus, hos Condæi questus, seu clamores contempsit, dum Nauarri Guisiique fidei regnum, imò & seipsum concre-*Nauarro & Guisio regni curam committit.* didit totum, Nec fulciri tutiùs poterat magna hæc imperij moles quàm geminis istis Galliæ, Religionisque columinibus, quorum alteri regij sanguinis nobilitas, alteri clara præstitarum multa cum laude rerum fama regiam pene autoritatem conciliabat; agebant itaque coniunctissimis animis regni totius negotia, dum ea Condæus disturbare *Condæus Aureliam intercipit.* satageret. Initium ab Aurelia sumptum, qua in vrbe Belsiæ principe coniuratos hic iamdiu Princeps aluerat, qui totius iuuentutis robur ad se pertrahere conarentur, si quid tumultus ingrueret, in hostes erupturæ. Et huius generis complures eius se se partibus addixerant, vnde tempus tantùm expectabatur, & occasio, qua fidem suam, martiosque animos Principi pro virili commonstrare possent; quos vt ad audendum vehementiùs acueret; Andelotum præmiserat, qui clam cum armatis trecentis ingressus, S. Ioannis portam obnitente nemine occuparat, Monitus Monterudius vrbi Præfectus collectis illico Sipetræ cohortibus, quas eò fors deduxerat, in Andelotum inuolat, vtrinque paribus, hoc est pertinacibus animis, & æquata cæde pugnatur, neutram ad partem propendente victoriâ, cùm festinus aduenit Condæus adducto secum valido Equitum præsidio, ad tria millia fuisse

fuisse memorant; hic pulso Gubernatore victor vrbe potitur, à cuius direptione rebelles abstinent; in res verò antiqua religione sacras visendasque bacchantium in morem proruunt, perinde quasi certamen non in homines, sed in Cælites ipsos noui restaurarent Gigantes. Clariacense in primis oppidum Diuæ Virgini sacrum exturbant, Templum à Ludouico XI. ingentibus erectum sumptibus funditus euertunt, Dei-Genitricis simulacrum multis prodigiis inclytum, magna in veneratione apud exteras etiam nationes illuc Religionis causâ confluentes habitum, humi affligunt, comminuunt, dissipant; odium, quo in Cœlitum hominumque Reginam flagrabant, in sacram eius effigiem profundunt. Quo se tandem patrocinio tegent, aut cuius opem implorabunt nefarij illi Religionis expugnatores, qui Mariam magnæ dilectionis parentem cumulatis sacrilegiis violare non cessant; dum sinum illum, in quo ipsa & nata & adulta est olim miseratio, intortis linguâ, manuque iaculis sceleratè configunt.

Sectarij impij in Dei Genitricem, cuius Clariacense Templum destruunt.

Paria iidem Aureliæ aut grauiora fortassis suscepere flagitia, quasi magnificentiore in templo peccare ambirent magnificentiùs, nam præter Cœlestium imagines è loculamentis suis erutas protritasque, Francisci secundi Regis ante biennium vitâ functi augustissimum cor in Templo Sanctæ Crucis conditum è pia mortuorum requiete barbaris etiam cadaueribus concessa furialem extraxerunt in modum, flammisque concremarunt, vt vstulatæ carnis nidore perinde ac thure adultæ crudelitati & impietati litarent. an tosto frixóve Regis corde mensam suam instruxerint, haud exploratum est satis; factum id tamen crediderim, si quod de furiis iactatur, pasci eas humanis visceribus consueuisse inane non sit. Nam vbi atrociores vnquam visæ, quàm apud sacrilegos huiusmodi furiæ. Condæo variis fortunæ procellis iactato redierat animus post occupatam Aureliam; atque his prosperè gestis futura dimetiens, vlteriùs armis progrediendum esse statuebat; obtentáque semel victoriâ, alteram quasi mox sequuturam expectabat. Compositis itaque hac in vrbe rebus, curas aliò deriuandas esse censuit, datis ad sectariorum Ecclesias literis; quibus imperabat, vt quidquid aut armatorum, aut opum habêrent, ad se confestim mitterent, experiendum quippe armis aiebat cum iniquis illis regiæ Maiestatis violatoribus, apud quos exutus libertate attinebatur Rex, quique edicta in reformatæ religionis gratiam sancita pro libidine conuellebant. Idipsum coniunctis literis animisque postulabant Aurelianenses sectæ Ministri, rem eò deductam affirmantes, vt sibi, quia iam altiùs in gurgite se se immerserant,

Aureliæ sacras icones proterunt.

Francisci II. cor è tumulo extrahunt.

Opem à sectariis petit Condæus.

Libellos spargit. aut potandum necessariò foret, aut miserè turpitérque pereundum. Quò verò inita tractandorum armorum consilia faciliùs excusaret Condæus, sparsit de more libellos in vulgus, quibus eò repugnantem adigi se contestabatur, sed molliorem nullam aut aptiorem pacandis rebus turbidis, vlciscendisque hostibus patere viam; libertatem *Arma excusat.* violari Reformatis omnibus per varia Regis edicta concessam; arcendam itaque inimicam vim, stragisque cursum armis inhibendum ob Vassiacenæ carnificinæ impunitatem latiùs peruagatæ; quò non proruptura sit Catholicorum audacia, si exutos armis hostes repertura sit semper; armorum itaque obicem ei opponendum; oppressum Guisiana tyrannide Regem in libertatem & pristinum decus asserendū.

Hæc omnia Germaniæ Protestantibus crebro literarum missu significata, non apud omnes credita sunt, apprimè gnaros multiplices sæpe latere fraudes pulchris æqui rectique integumentis contectas. *Libellos refellit Parisiensis Curia.* Fallacium certè huiusmodi libellorum inanitatem deprehendit, confutauitque Parisiensis Senatus; dum falsò queri sectarios asseruit de Regis, Reginæque libertate, cùm nunquam hæc tutior fuisset, agere quippe vtrumque in primaria Galliæ vrbe, regiâ (vti decet) autoritate pollentem, sanctius in Regis consilium acciri rerum vsu præstantes viros, prudentiâ claros, qui coram Rege qui nunquam non adest, quod è communi re fuerit candidè suggerant; ablegari ex hoc sapientum cœtu priuatos affectus omnes, publicis tantùm rebus consuli; edicto Ianuarij vim adhuc superesse integram, neutiquam à Catholicis imminutam. Contrà verò Regis autoritatem à sectariis labefactari, dum cœtus suos armati ineunt, cùm deberent inermes, quare non accersendos ab illis putidiùs necessitatis aut religionis fucos, *Hæreticorum audacia.* nec occultis grassandum insidiis, cùm eos in propatulo rebellionem instituisse satis euincant vrbes per eos interceptæ; conscripti toties in Regem exercitus, exquisitissimi bellorum commeatus, direptiones, latrocinia, cædes, muralium tormentorum conflatura recentior, illegitimæ monetæ fabrica, publicorum sumptuum interuersio, ædium sacrarum violatio, sacrorum profanatio, cœnobiorum euersio, & cætera huiusmodi, quibus non suspenso gradu aut per occultos cuniculos in perduellionem irrepere se, verùm velis remisque luce palam in eam ferri significarunt. Addita pro Condæo monita, quibus in domestica pietatis & religionis exempla intueri rogabatur nec purissimum ab hæreseos labe Borbonium sanguinem pestilenti hac tabe inquinaret; ergóne tot prælia aduersus infensissimos *Monita Condæo data.* Christiani nominis hostes à Diuo Ludouico suscepta, transmissa maria, spretæ aulæ deliciæ, vt apud barbarās illas gentes Christi

fidem sanciret, quam eius Nepos initâ cum inimicis Crucis Christi societate perditum iret; à probroso itaque quod cum fœderatis iunxerat fœdere mentem auocaret, & ad saniora traduceret. Sed piis his monitis obstrepebat mentis pertinacia, quam alebant in Principe quotidiani Ministrorum adulantium clamores, dum eum in factionis ducem patronumque deposcerent, quod & mox præstitum; adfuerunt-que qui Sacramento eidem dicerent omnes; hic verò, quò fortior virtus existeret eum pluribus iuncta, cum Germanis Protestantibus armorum societatem iniit. Pacta inter eos pro conscientiæ libertate conuenta dimanarunt in vulgus, atque id malo sanè more, iure nequiore transactum, cedunt quippe in extremam regni perniciem quæ clam Rege eum exteris Principibus consociari fœdera solent.

Cum extraneis fœdus iniit.

Rebelles, vt turpissimi huius facti excusationem aliquam afferrent, paria omninò à triumuiris Catholicis in nouam religionem attentari sparsere in vulgus, ratum à Concilio Tridentino habitum quod contraxerant fœdus, de Catholica fide aduersus eius violatores acriter propugnanda, hæresi radicitus euellenda, opprimendis sectariis, Hispaniarum Regem fœderis in caput delectum, Romanum Antistem, Sabaudiæ Ducem & Ferrariensem in Geneuæ iam coniurasse perniciem, quare arma armis, religioni religionem opponendam, non tam à Reformatis inferendam quàm propulsandam vim. Nec incassum aduersus fœderatos Catholicos arma parabant sectarij; nam ad Luparam, vbi tum aderat Rex, actum seriò fuerat de bello Condæanis partibus inferendo plurimùm repugnante Hospitalio. Quorsum autem hic ab hoc belli consilio tantopere abhorreret, an quod Hæreticos, hoc in tentando Martis ludo Catholicis inferiores longè putaret, an quòd togatæ tantùm innutritus quieti, comites sagorum tumultus, buccinarum clangores, armorumque fragorem exhorresceret, haud satis comperrum est mihi. Mommorancius togatum hunc hominem in literarum educatum vmbrâ à bellico Senatu procul amouendum esse dicebat, Contrà verò ille bellorum gerendorum modum nescire se minimè diffitebatur; nec in togato multum id laudis habiturum, si sciret; at verò bellorum mouendorum opportunitates, æquitatemque armorum sibi & sui consimilibus haud ignotam. Verùm quidquid hic in aduersum obtenderet, à ferenda sententia exclusus est. Priusquam tamen tentaretur armorum vis, quæ in æquitate etiam causæ perodiosa sunt, Regi Reginæque placuit nouis Hæreticos blanditiis aggredi, hortarique vt regiæ potiùs dederent se clementiæ, quàm vindictæ permitterent. Igitur (quod anxiè postularant) ampliatum est Ianuarii edictum, sectæ conuentus per Galliam vniuersam con-

Excusatur hoc fœdus.

Hospitalius bellum improbat aduersus Condæum.

Pax hæreticis offertur.

Obliterata crimina.

cessi, hinc tamen excepta Lutetia; obliterata denique perduellium omnium crimina, dum Regiæ se Majestatis imperiis colla submissuros sponderent. At refractariis & sternacibus equis edomandis vix vnquam satis sunt plausus, palpantisque manus blanditiæ, quantò certiùs ferocientes eosdem pastomide comprimes, vt sub fræno durare consuescant. Et sanè regia hæc delinimenta perinde ac fatuas mariscas, aut infantium melimela nauseante stomacho respuebant sectarij omnes, asperatos aceti morsu cibos appetentes auidiùs, hoc est irati Regis vires eiusdem clementiæ præferentes. Atque hinc liquet nihil satis largiter fieri tunc potuisse sectariorum votis, nec enim vnâ contenti erant Regis gratiâ, nisi præsto esset altera, nec tertiâ, nisi Rex infinitas deinceps accumularet, atque ex insertis beneficiorum annulis altera Iouis compingeretur catena, quæ quos complecteretur, Cœlo felices inueheret.

Regiam sper, nunt indulgentiam.

Nunquam fit satis hæreticis.

Conuenire non poterat Regem inter amicitiam suam vltrò deferentem Hæreticis, & Hæreticos eosdem Regiam amicitiam obstinatè respuentes; quare magna vtrinque belli conflata est moles, dum hi vrbes non suas aut dolo, aut violenta irruptione intercipere conarentur, Rex verò nutantes easdem continere in fide, aut captas iam recuperare satageret. Has quidem omnes recenserem, quæ aut turpissima deditione, aut segniore tutantium studio sectæ se partibus applicuerunt, nisi immensi prope laboris res foret, & vrbibus iisdem ingrati, quæ si obstrictam Regi fidem violarunt, in rebelles paucos quidquid est culpæ transferunt; amplior autem & sanior ciuium pars, aut expers omnino criminis fuit, aut culpam eleuat necessitatis obtentu, dum hostem admisit, quem arcere non poterat, fida etiam Regi, dum eidem infidis obsequi cogeretur. Celebriorum tamen vrbium, quæ per id temporis captæ sunt, seriem afferam, ne hac in re iustis legentium votis defuisse reprehendar. Interim quò coniunctioribus animis Regem & Religionem oppugnarent, Aureliis Synodum coëgere Sectarij, cui præfuit Antonius Chandæus genere nobilis, peracris ad optimas capessendas artes ingenij; sed non ita sanæ mentis, eum partam rerum intelligentiam nouarum opinionum prauitate corrumperet. Actum in eo conuentu de restauranda sectæ disciplina, quæ cùm in cunis adhuc esset, turpi tamen senio emarcuisse videbatur, Deliberatum etiam de eadem secta ferro ab hostium insultibus vindicanda, Ieiunium item per vniuersas Caluinianæ professionis (vti vocant) Ecclesias indixerunt, quasi auxilium aliquod è Cœlo deprompturi, quam coactam esu-

Sectarii Aureliis Synodum cogunt.

Huic præest Chandæus.

Hæreticorum Ieiunium periculosum.

ritionem pessimæ semper apud eos machinationis præsagam extitisse compertum habetur ex annalium monumentis; quasi è latrante præ fame abdomine hortamenta petant, quibus ad validiores contra religionem latratus edendos, crudioresque morsus defigendos acui possint. Et certè constat in Caluiniana hac inedia magnam fuisse mentis temulentiam. Nihil in maius attollere constitutum est mihi, ea tamen adducam, quæ annalibus nostris fidem abrogarent, nisi pleni restarent libri, & recentia multorum testimonia, qui communem hanc temporum cladem viderunt, pertuleruntque.

Fames corporis, mentis temulentia.

Et ne Aureliis pedem referamus, quà in aurifera ciuitate non obscuratum tantùm, sed sacrum expilatum est aurum. Quantus à Catholicis haustus est mœror, dum sacræ Diuorum reliquiæ aureis, argenteisque nudarentur inuolucris, dum quidquid ex iis gemmarum abrasum erat, profanos in vsus conuerteretur à sacrilegis, dum comminutas sacrarum turrium campanas fusili opere in murales, aut castrenses machinas eliquarent. Hi nempe ieiuniorum hæreticorum fructus, hæc per esuriales Reformatorum ferias quæsita tranquillitas. Nunc interceptarum ab Hæreticis vrbium elenchum afferam, inter quas celebriores sunt istæ, Aurelia de qua iam dixi, Gratianopolis, Andegauum, Rotomagus, Lugdunum, Pictauium, Blæsæ, Biturica, Cæsarodunum, Valentia Segalaunorum; minores vrbes quamplurimas, seu oppida mœnium ambitu septa tenuere pariter, nec vrbes tantùm sed & ciuium etiam animos occuparunt, si minùs omnium, complurium sanè, atque hinc iacta in familiis discordiarum semina, ortaque cognatos inter odia; bella denique impia à Patribus aduersus liberos, à liberis contra parentes suscepta, silente inter arma naturæ lege, aut si iustè quereretur, iniustè contemptâ. His autem in locis vltra barbarorum impietatem sæuitum ab hæreticis; fœdata vbique & proculcata sacra omnia; nullum extitit Christiani ritus monumentum quod non euerterint, aut polluerint debacchante licentiâ; nullum Christi simulacrum quod non aut vnco per ludibrium traxerint, aut fœdè mutilarint, nullum vas aureum aut argenteum quod non egestis alui purgamentis inquinarint, aut fregerint, aut aliis sacrilegiis temerarint; & sicubi defuit sacrilegiorum materies, non defuere sacrilegio destinatæ prurientesque iam manus. Sed horret calamus, dum tetrum & abominandum facinus exprimere cogitur, eò vsque impietatis Perduelles esse

Sacra profanantur Aureliæ.

Intercepta à Sectariis Vrbes.

Christi simulacra comminuunt.

Sacra vasa conspurcant.

Augustissimum Christi corpus proterunt.

progressos, vt augustissimum Christi corpus ex aureis pyxidibus extractum in solum eiecerint, ac sacrilegis pedibus proculcarint. Hæc omnia, longéque plura vbique ab huiusmodi furiis impunè volitantibus præstita prolixiùs hic explico, ne sigillatim toties eadem repetere cogar, quoties de occupatis à secta ciuitatibus agá, nõ enim in homines tantùm sed in Cælites ipsos persurere visi sunt, quorum sacras reliquias dissiparunt. *Partitus est nobiscum Deus Martyres; animas ipse sumpsit, corpora nobis largitus est, vt perpetua virtutis monumentum.* Et hác nobis à Deo portionem seu hæreditatem relictam inuidit, succenditque Caluini secta, Beatas Sanctorum Mentes è quietis Cœlorum sedibus euulsura pariter, quorum extinctum vellet patrocinium. Sed ineluctabilis Diuorum sors est, & præcipua est eorum felicitas, infelices esse non posse.

In Cælites pugnant.

Beati Martyres diuisi inter Deum & homines? Chrysost. hom 47. in S. Iulianum.

Hæc adeò non ferenda censebant Catholici, vt continuò ad arma procurrerent, aut vlturi tantum dedecus aut honesta morte expiaturi. Pios horum cõnatus accendebat Parisiensis Curia, dum senatusconsulto Sectariis igni & aquâ interdiceret, ac publicam in eorum capita vim, quasi omnium iniuriæ obnoxia permitteret, quod Mompenserij iussu per Parochos variis in locis pro concione recitatum est, atque hinc commoti pro rei atrocitate villatici, sudibusque aut aliis armis instructi per fora, per agros, per saltus, scelerum autores nacti pecorum more mactabant, hæc vindictæ exempla passim in agro Vindocino & Turonensi edita sunt. Ronsardus ipse intermissis ad tempus Gallicarum musarum modulis, tubarum clangores, armorumque fremitus audire sustinuit, & è vatum Frãcicorum Coryphæo, pugnantis Dux nobilitatis effectus, peragrauit agros armatus, non poëtici tantùm styli, sed infigendi etiam hostibus ferri apprimè gnarus, quorum stragem magnam edidit. Nec in Poëtis tantùm pacatiori mancipatis studio bellicus tum furor accensus, quin etiam in Monachis cinere cilicinoque texto contectis pares excitatæ sunt flammæ; cùm enim Perduelles Cenomano egressi S. Carilefi fanum occupassent, quasi de Monachis hostire nescientibus securi, ac speratâ victoriâ elati, inter coronatos calices agere cœpere licentiùs; & quod haud rarò contingit, visi sunt vino, somnoque ante mortem sepulti. Haud diu passi sunt Monachi consepultos hos esse, & spirare tamen aut ructare potentiùs, dum crapulam edormirent; mortem itaque non paucis inferunt rusticanorum armis vsi, quos tintinnabuli pulsu ad vespertinam psalmodiam conciuerant. Sed id non impunè Cœnobitis fuit, & Sacerdotibus qui ad S. Carilefi pagum perfugerant, quorum in cædes efferata lusit Sectariorum crudelitas, atque in ipso

Plectuntur heretici.

Ronsardus pro religione Rom. pugnat.

Monachi cadunt & caduntur.

templo diuinis mysteriis consecrato erectum ab ipsis est carnificinæ pegma, in quo binorum Monachorum elisæ sunt fauces. Cenomanum præcipuum Hugonoticæ feritatis theatrum omittendum non est, sanè quidem fidem superarent quę referuntur ab autoribus, nisi fœcundi malis Caluiniani semper extitissent; nam præter solitas hac in vrbe grassationes, in demortuos quoque sæuitum est; suffossum Petri Lucemburgici conditorium, retecti cineres sacri, piorum Manium quietem interturbauit auaritia, inter ferales tenebras, auri gemmarumque fulgorem quæsitura. Non hîc repeto sacras inibi deiectas effigies aliaque in religionis dedecus impiè tentata, commissa sacrilegè, nam vbique impressa visuntur huiusmodi flagitiorum vestigia; à Dei quippe domo cœpit vbique hæreticorum furor, priusque violatum in se Numen est, quàm violaretur in suis, nihil auri argentique in templis repertum est, quod non aut monetæ cudendæ, aut militari persoluendo stipendio, aut ganearum caueis hostes destinarint.

Petri Lucemburgici ossa è tumulo eruuntur.

Sacrilegia Cenomani peracta.

Dum sic tragicè luderetur ab hæreticis, gemebat Catholicorum grex assertas sibi religionis caulas à ringentibus incursari lupis, iustæque vindictæ desiderium incendebat mœroris magnitudo; ne quid tamen inauspicatò tentaretur, ab aris incipiunt ad arma progressuri. Instituta quippe supplicatio est, & per Parisienses vicos piè concinentium agmen auditum, Magistratus omnes, Sodalitia, Collegia, Clericorum, Laicorum turba augusto admodum ordine processerũt, commune omnium votum fuit, vt in Religionis causam, suamque propitiatum Numen intenderet, nec sineret, quam ipse inter grauissima Crucis tormina peperisset Ecclesiam, insanis sectariorum conatibus lacerari, Exin ad arma versi, cuderunt sæpius aduersus Hæreticos, quod Iosue aduersus Amalecitas. Atque vt præcipua reportatæ victoriæ laus Mosi tributa est, quòd Deo pro suis supplicaret, ita plures longè Hæretici precum clamoribus, quàm gladiorum mucronibus confossi. Sic armis precibusque ad Deum fusis comprimebatur Hæreticorum audacia, restabant Senatusconsultorum fulmina, quæ in eosdem supremus Parisiensium Senatus intorsit, nam præterquam quod in Hæreticos tanquam in deuota Stygi capita Catholicis omnibus concessa est vltio, sacris addicti Præsules, qui malè de Orthodoxa fide sentirent Sacerdotiis suis eiecti sunt; & congruum sanè illud erat, ne beneficum eum desertores huiusmodi experirentur, in quem erant malefici, & quod vetus ille Vates cecinit, inuitis frui Diis permitterẽtur. Ab eodem supremæ Curiæ tribunali 13. Iulij an. 1562. iussi sunt omnes in primariis regni dignitatibus constituti eam fidei formulam profiteri quam Sorbonici Doctores ediderant. Ab eadem Curia pronun-

Solennis supplicatio Parisijs.

Senatusconsulta contra hæreticos.

Præsules de hæresi suspecti spoliantur beneficiis.

Pœnæ alia in hæreticos.

ciatum contra Majestatem fecisse, qui Aureliam, Rotomagum, Biturricam, aliasque vrbes inuaserant, eorum bona fisco regio addicta. Sed chartaceis his terriculamentis nihil moti sectarij, ferro igneque passim aduersus Catholicos grassabantur, acutioribus longè armis configentes, quàm configerentur ipsi; atque hinc factum vt armis deinceps agendum censuerit Rex, intentandamque rebellibus vim, paternos toties monitus aspernatis. Iussa itaque primaria regni nobilitas ad condictam diem in armis esse, quod properè factum, lecta peditum sena millia, Equitum quaterna millia, quibus Nauarrus cum summa potestate præficitur, huic Guisius, Comestabilis, & Sanctandreanus comites dati, at mox bellico apparatu instructissimi atrox in Condæum bellum ingenti quoque fretum exercitu moliri statuerant, cùm flagrantioribus his belli consiliis, pacis interuenere consilia. *Nam quorsum* (aiebant) *in tam aperta mitti pericula nobilitatis Gallicæ pubem, longè honestiùs cum exteris congressuram, quàm cum tribulibus suis; nec Lupis, nec Leonibus nisi contra dispares omnino feras pugnandi morem innatum, supra ferarum ergo genium sæuire qui proculcatâ patriæ sanguinisque reuerentiâ in conterraneos dimicant & agnatos, hinc enim funesta semper patriæ victoria existit, quæ victos iuxtà ac victores procreauit, nec oblectari potest triumphantium filiorum gloriâ, quæ de filiorum etiam suorum nece colligitur. Sicutnon profectò nefas est ciuile bellum, quo cognatus internecione, mutuâ petitur, hauriturque sanguis.*

Regio Exercitui Nauarrus præficitur.

Agitur de pace.

Ciuilis belli damna.

Hæc Procerum nobilissimi secum reputantes præferendam bello pacem affirmabant: in idipsum inclinabat Regina, Condæus pariter à Regina priuato in colloquio mitigatus, si modo triumuiratus ille Regi, sectæque (vt querebatur) infestus, aulâ regnoque excederet; sed adiiciebat alias ineundi fœderis leges Regi adeo Religionique contrarias vt Rex ipse penè adhuc puer in hac ætatis teneritudine Códæi postulata haud fine indignantis animi motu reiecerit, petebat, enim, vt sacris in ædibus Numinis religioni cõsecratis obire sectæ ministeria integrum foret; vt edicta omnia à Guisij in aulam reditu promulgata rescinderentur, vrbes omnes quas ipse armis subegerat integro iure possideret, donec ad tractandas regni habenas Rex idoneus foret; vt Romani Pontificis Nuncius è Gallia exire iuberetur; ius honorum in Gallia adipiscendorum Hugonotis daretur, vt concessis fidei tabulis Imperator, Rex Catholicus, Regina Angliæ, Sabaudiæ Dux, Venetorum & Heluetiorum Respublica Guisium Ducem, & Comestabilem nunquam in Galliam redituros spondetent, nec copias vnquam conscripturos, dum vicesimum secundum ætatis annum Rex attigisset.

Iniqua Condæi postulata reijciuntur.

Ex his

Ex his Condæi petitionibus, quas Prædicantium audacia suggesserat, facilè intellectum est sectam præfidentiores hausisse spiritus è Condæano cum Regina colloquio, cùm tam iniquis & infestis religioni conditionibus pacisci se velle ostenderet, respuisse denique pacē à Regina per eundē Principē oblatā, quare ne diutiùs protelando perduelliū succrescerēt animi, maiorq; his in edomādis labor foret, Fresnio arcanorū regiorū scribæ datum negotiū est, vt Condæo, Admiralio & Andeloto, qui Stampis tum erant, Præconis voce denūtiaret paratas iis ab Rege pœnas tanquā rebellibus, & violatæ majestatis cōpertis, ni euoluto denorum dierū spatio arma deponerent, quæque intercepissent loca restituerent, ac pacatè suis quisque in ædibus deinceps agerent; si Regis indignationi obedientiā, dū integrum esset, anteuerterent, oblatam iam esse preteritorū veniam. Sed robustius erat malum, quàm vt curatricem clementissimi Regis manum admitteret, quod Regiæ benignitati ascribi meritò debuerat, regis imbecillitati tribuebant, quasi factiosis coërcendis imparis, dum toties iis veniam & amicitiam offerret; atque hinc timeri se magis quàm timere vociferantes, arctioris in fœderis societatem coëunt, Condæum factionis ducem eligunt, quam honesto recuperandæ Regis libertatis nomine prætexunt, ac in triumviros tanquam eius impugnatores vires & arma comparant.

Minæ contra hæreticos.

Non mouentur.

Hæc dum in Regem coram ipso Rege Regiosque administros mouerent, ab iis omnibus per Aquitaniam & Occitaniam latiùs fundebantur cædem propter religionis dissidium ortæ procellæ, eademque per nobilissimas prouincias sacrilegiorum serpebat immanitas. Quidquid Tolosam inter & Burdigalam agri interiacet, tribus dūtaxat exceptis oppidis rebellium in potestatem venerat, quibus cunctantiùs obnitebatur Buria Nauarri Aquitaniæ Rectoris legatus; & id inertiæ tributum à nonnullis, cùm in prudentiam, quæ præproperè nihil exequitur, idipsum refundat Monlucius & gladio & calamo sui temporis Cæsar, qui cùm Ducum aliorum peccata non dissimulet, in Buria vix aliquid carpit; nec bellicis rebus oberat lentitudo eiusdem, seu subfrigida indoles flammas suppeditante Monlucio, cui quanquam præcipitanter ferè in cunctis agenti, nunquam non aderat Prudentia, hæc tametsi lentè festinet. Monlucij panegyricum non hîc afferam, hunc nemo meliùs, quàm ipse pertexuit, nec arrogantiùs de se commemorat, cùm calamo per seipsum magnificè graditur senex honorū satur, quos heroïcis factis emeruerat; nec, vt maximè voluisset, gloriam tamen effugisset fidam heroïcarum virtutum comitem, quibus vir fortis inclaruit, militē enim acerrimum, Ducem sapientissimum, & quod in galeatā canitie rarum, felicissimum egit, Non defuere pericula,

Aquitaniam incursant.

Buriæ & Monlucij laudes.

Monlucius sui temporis Cæsar.

Quid Agini egerit? quorum, ac mortis ipsius contemptor eximius fuit, dum hanc pro Rege & religione oppeteret, quam per id temporis Aginni Nitiobrigum à Sectariis sacrilegè proculcari non ferens, hostilia in eos ausus est omnia, victor vbique quoties quem dictis, exemplisque accenderet, non deficeret miles, At maior armatorum numerus minorem interdum absorbebat. *Et quid hæretici?* Fortior itaque Aginni inualescebat rebellium vis & cum viribus crescebat audacia, & auditi tum primum Caluiniani dogmatis buccinatores in Sancti Phœbadij templo vrbis quondam Episcopi, cuius Sanctus Hieronymus meminit, sed quæ sacra in æde rabulæ pronunciabant, nec ex Phœbi tripode parta erant, nec è cortina veritatis eruta. Horrescit animus dum sectarios sepulchrorum effossores recordatur, scrutati sunt impij Beatos Sancti Præsulis cineres, temerata sacra lipsana, illinc perfurente acriùs licentiâ cœnobium Dominicanis ereptum; iconomachia inibi restaurata; in eodem ferè tractu inclementer omnino factum piis Sancti Francisci Patribus, violata tumulorum religio, disiecta Sancti Geruasij ossa; capsa auro gemmisque insignis expilata, sacra denique profanaque erepta.

Sacra lipsana proculcant.

Expilata templorum supellex, annitente Nauarræ Regina.

Addebat sectæ animos Principis fœminæ fauor; nihil quippe non moliebatur Ioanna Nauarri vxor aduersus Romanam fidem, in quam pertinaci semper flagrauerat odio; creueratque odium illud ex quo Nauarrus ad Guisium & Catholicorum partes transierat. Hæc igitur præ ira impotens sui eiectis Neraco S. Francisci Patribus, horum cœnobium sectæ Concionalibus sacrilegos in vsus destinarat, iamque reboabant Maroti cantilenis, rhythmisque malè sonantibus pia religionis adyta, quæ sacris olim hymnis scitè personuerant. Idem Condomi & Marmandæ tentatum perfectumque, exacti cum ignominia Franciscani Minores, intrusi Caluiniani Ministri. Vesunæ in Petracoriis impune habiti sunt perduellium cœtus. Cadurci profanatus à Caluinianis rabulis sacer Catholicorum suggestus. Hausta à binis adolescentibus illuc studiorum causa profectis sectæ lues, qui à Parentibus Magistratu apud Tolosates claris, & Romanæ studio longè illustrioribus Tolosã reuocati sũt ad euomendum quod intimis medullis conceperant virus. His vrbe digressis, plebs odio sectæ inflammata & Procerum hortamentis impulsa in conciliabulum ad æris campani pulsum, raptis quæ cuique prompta fuere telis aduolat, & refractis foribus in sectariorum iugulum ruit; raptata per vicos cadauera ac in ignem coniecta. Hanc cædem aliâ protinus cæde vindicarũt Hæretici, sed addita est crudelitati perfidia. Nã vicani cùm post obita sectæ ministeria è conciliabulo in mapalia sua remigrarẽt, cœpit Fumelius primariæ

Franciscani Neraco eiecti.

Condomo item & Marmandæ.

Profanantur vbique sacra omnia.

Hæretici plectuntur Cadurci.

nobilitatis vir fectę infenfiffimus ruſtres huiuſcemodi quiſquilias nihil ſapere doctas aſperioribus verbis appellare ; in opilionum pectus altiùs quàm credi poterat iactæ penetrarunt contumeliæ , in vindictam itaque prorumpunt ; Herum ſuum , à quo non verba tantùm, ſed & verbera pati debuerant, tolutario equo domum remigrantem celerrimè inſequuntur, arcem eius obſident, quâ expugnatâ Dominum ſuum ſerui horrendum in modum contrucidant, palpitanti ante mortem cordi ludibrium additum, in id enim tanquam in deſtinatum ludicro certamini ſcopum iactis eminùs telis collimatum : ad finem vſque feralis huius ludi prorogata eſt viro nobiliſſimo vita, quò ſentiret ſe mori, & quod acriùs mentem quàm tela vulnerabat, cum ignominia. Par eiuſdem vxori liberiſque parabatur exitus, ſed barbarus tum vnius in cæde reſedit furor, vltra fortaſſe progreſſurus, niſi Monlucius hæreticorum malleus Fumellum aduenisset, qui tam fœdi parricidij reos ad quadraginta, aut in furca turpiter emori, aut in rotâ per conquaſſata à carnificibus membra lentâ morte expirare adegit.

Fumelius crudeliter & cum dedecore cæſus.

Sicarij necantur iuſſu Monlucij.

Aggerabantur huiuſmodi cædes Fumelli crudelitatis, & perfidiæ iam memoratæ vindices, parcſque exitus perhorreſcebant nonnulli; plures è ferali hoc ſpectaculo nocentiores hauriebant ſpiritus, adeò formidinem neſcit inſultatque periculis contumacia vecors, debacchantur quippe apud Villam Franeam in Ruthenis , vbi fœdo ſacrilegio ſacra omnia polluunt, altaria diſſipant, Beatorum effigies humi affligunt, proteruntque, ſed adfuit continuò Monlucius vltor, & edita ſacrilegia autorum cædibus expiauit. Spectaculo terrorique fuerunt è feneſtris vrbani prætorij eliſis faucibus pendentes non pauci. Longè lateque nominis ſui terrorem ſparſerat Guiſius hic Aquitanicus, ſic enim Monlucium , vt aliàs dixi, nuncupabant, æmulum quippe odij aduerſus rebelles Aquitanicos, quo contra Pariſienſes eoſdem Guiſius deflagrabat. Viſebantur paſſim pendula ex arborum ramis hæreticorum cadauera, putidæ ſectæ putreſcentes fructus, effluebant Apoſtatis illis viſcera poſteaquam medij crepuerant, traditi in coruorum aut vulturum ſaginam noui Promethei, nouas olim ſed atrociores longè renaſcituri in pœnas ; feralis autem hæc ſcena autore vltoreque Monlucio coràm , parentibuſque explicabatur in campis, carnificum binorum operâ, quos, quia in comitatu ad exercenda huiuſmodi ſupplicia Monlucius nunquam non habebat, eiuſdem pediſſequos appellabant ſectarij meritóque formidabant, Et certè (vt aiũt aliqui) niſi regiorum edictorum clementia plurimùm de hac ſeueritate remiſiſſet, in ipſo ferè ſui exortu concidiſſet hæreſis, neq; enim Monlucius congruentiore vllo illicio Sectarios ad Catholica dogma-

Audax contumacia.

Hæreticorum ſacrilegia apud Villam Francam.

Supplicio afficiuntur.

Suſpenduntur in arborum ramis.

Monlucij pediſſequi quales?

ta Regisque obsequium reduci posse sperabat, quàm carnificum fu-ne. Sed emollita legum seueritas dum pœnam abstulit, scelus(vt aie-bat) intrusit. Et æruem hanc dolentiùs quàm credi potest ferebat Monlucius edictorum mollitudinem feliciter inchoata corrupturam, quod tandem contigit; odium tamen in hæreticos idem fouere per-rexit, tametsi longè segniùs defluente sensim post tot edicta, quá pol-lebat in puniẽdo autoritate, Et hoc crebris ad Reginam datis literis frustra conquestum se asserit; nihil quippe profecerat, cùm non deef-sent in aula aut occulti hæretici, aut hæreticorum fautores, aut inuidiâ tabescentes aulici, qui obnixis studiis pios eius pro religione conatus interuerterent, aut in deterius semper apud Reginam interpretarentur, quæ placatè tamen ferebat Heros fortissimus, nec infinitis licet apud Regis continuos affectus contumeliis discessit vnquã ab officio æqua-lis semper sibi, quod de Catone dicitur, in omni æqualitate fortunæ.

Indulgentia nimia damna.

Certiorem itaque fecit Monlucius non semel Reginam vbique ferè in Aquitania fidei lumen extingui, rebelles altiùs se se efferentes ortho-doxorum iam incubare ceruicibus, Principem Galliarum Prouinciam errorum satoribus vectigalem effectam ad exitium suum vergere, nisi valido ac festinato milite communiatur, rebellasse iam Leracum, Va-satensem ditionem, agrum denique omnem qui Garumnâ alluitur & Tolosam vsque pertingit, defectionem moliri. Hæc dum ad Reginam perferrentur, nihil interea de religionis curâ tutelâque remittebat Monlucius, cui Armeniacum adeunti aduolans vndique nobilitas eius in verba iurauit, Regi primò iureiurando adstricta.

Heroica Monlucij cura.

Vix eò peruenerat cùm infaustus ab Tolosanis perfertur nuntius, Tolosam tam ingẽtem piamque ciuitatem ab hæreticorum insultibus non satis esse securam; Quod vt planius fiat, paulò altiùs repetendum esse videtur. Solenne id fuit hæresum omnium architectis, priùs vt er-rorum suorum luem parum prouidorum mentibus infunderent, quàm aperto Marte pugnarent; quocirca è Tolosatibus aliquot in partes traxerunt, & ex Octouiris Consulibus, quos Capitolinos appellant, ternos aut quaternos clàm corruperant, quorum vnus proditurum se vrbem Condæo spopondit. Nec ab eadem peste intacti è Senatu erãt Proceres aliqui, in hoc Catholicis partibus infestiores, quòd hau-stum intimis sensibus venenum occultarent. Hi omnes cum plerisque aliis libera ex edicto Ianuarij sectæ ministeria exultãter & gratulantiũ in morẽ prædicabãt, dissentiẽte omnino plebe, & Christianæ religioni vim fieri implacabiliter ferente. Cũ ergo ad S. Michaelis tẽplũ in sub-vrbio funus ab hæreticis deduceretur, interuenere Sacerdotes cadauer sibi deposcentes; contrà instant hæretici, plebs inter hæc altercantium

Hæretici Tolosæ inhiant.

Tolosates aliquot corrumpunt.

Orta seditio inter religione dispares.

iurgia, ad... ...silit, proque funere vno crebra cumulantur funera. Capitolini qui sectæ fautores erant, aliquot è plebis quisquiliis, qui turbis initium dederant in vincula abripiunt; quorum alij virgis cæsi, alij ex vrbe eiecti; in furcam acti reliqui; expressumque à Senatu, vt in vrbis suburbiis sectæ munia obirentur, ne qua regio Ianuarij edicto fraus fieret. Enim verò durum id visum Catholicis, contrà vero Sectarij quasi de prostratis hostibus triumphabant, insultabantque primarij Decurionis autoritate subnixi, is erat Petrus Hunaldus Lanta sectæ fautor, qui ex aula regrediens Condæo dediturum se vrbem affirmarat, quod dum à Monlucio rescitum est, significatumque Senatus Principi, inductis confestim in vrbem præsidiariis vrgenti periculo occursum aliquatenus est. Inter coniuratores omnes principem obtinebat locum Cormerius abiecto Franciscanorum cucullo infamis, Caluinianæ factionis Minister inquinatissimus, turbidis concionibus, (restabat adhuc in eneruatis Apostatæ moribus vigor aliquis eloquentiæ) complures iuri operam nauantes iuuenes ad nefarium vrbis opprimendæ consilium illexerat, vsque adeò verum est corruptiorem esse neminem, quam qui ab excelso vitę fastigio in flagitiorum cloacam præceps labitur, & quod à S. Bernardo refertur è Cœlo in cœnum: instabat occupandæ ciuitati condictus dies ad XV. Cal. Iun. dispositæ tum stabant occultæ per vicos & quadriuia machinæ, ad Apostatæ signum intenti omnes aderant, actum erat de Principe regni ferè totius ciuitate, nisi peruigiles Monlucij curæ inchoatum iam facinus oppressissent. Ille enim proximè vrbem prospiciebat quasi è specula, per que suos, quos clam submittebat, occultos coniurationis conatus eludebat.

Plectuntur Catholici à fautoribus sectæ.

Lanta sectæ fautor.

Cormerius pariter.

Succurrit vrbi periclitanti Monlucius.

Tolosam cum auxiliaribus copiis ingressi sunt Bellogardius Masseus, Clermontius, Aornius, Bazordanes, quos confestim comitati feruntur Caramanij Comes, & alij in Catholicæ rei subsidium missi Proceres. Anceps diu pugna Catholicos tenuit exterruitque, hostem nactos iratum armatumque ferociter. Nam sectarij prætorio Vrbis potiti catapultas ferreas ex armamentario raptim captas per compita in obuios quoscunque vix irrito ictu explodebant, Dominicanorum & Franciscanorum cœnobia amplissima non Tolosæ tantùm, sed & Galliæ ferè vniuersæ decora in potestatem redegerant, sacrilegiis templa fœdarant aliquot, Deiparæ Taurēsis Ecclesiam, S. Orientij, Mercenariorum, Saturninarum Monialium, SS. Quintini, Georgij, ac Pantaleonis ædes sacras profanarant. Diui Saturnini Basilicam frustra tentarant, tot venerandis Apostolorum, Martyrum aliorumque Sanctorum spoliis inclytam, Caroli magni nobilissimū opus

Auxiliantur proceres alij.

Varia templa inuadunt, polluuntque hæretici.

Frustra tentant D. Saturnini Basilicam.

Dubium non est, quin in Heliodoros huiusmodi tot sacrilegi... tantes pij Sanctorum Manes peruigiles Templi custodes insurrexerint, probéque flagellarint, aut immissâ capiti vertigine terruerint. Supererat, vt Capitolio & Alnabernardensi, quam insederant, portâ repellerentur, quod peractum feliciter est, pugnabant quippe pro aris, focisque Catholici omnes, antiquum religionis decus inter reboantium bombardarum crepitus scintillantemque ferri aciem egregiè defensuri; aut per nobilissimas cædes gloriosa cõsummaturi martyria; & multos hoc in religionis agone fortiter concidisse certum habeo, vt & corruptas incendio tum priuatas tum publicas ædes non paucas. Periclitabatur ampla Ciuitas, nisi Monlucium cum equitatu per Basaclensem portam aduentare pertulisset rumor, & cum Monlucio certam Catholicis asserendam victoriam; acrem autem in hostes effundendam vindictâ; sectarij quippe hoc audito terga vertére confestim, ne iugulum darent, At dum palabundi vt tutam stationem quærerent, per agros licentiùs oberrarent, tum ab equitibus ponè sequẽtibus, tum à Villaticorum agmine multis confcissi vulneribus turpiter occubuerunt, Qui superstites huic fuere cladi, Montalbanum, Podium Laurentij, Vaurium, & Castrum velut ad firmas hæreticæ spei anchoras perfugerunt. Sic è nobilissima ciuitate & errantium & errorum depulsa est lues, qui ad Montis-Galiardi suburbium in ipsis vrbis pomœriis à Nyordo Pseudoapostolo Tolosano euulgari iam cœperant; is socium Cormerium, siue Barellam, de quo iam dixi, Molinetum præterea adiutorem in ministerio habuit prouecta iam ætate rabulam, ob insignia furta alterâ im minutum auriculâ, quamobrem nihil sapere doctum, cum altero mancus esset canali sapientiæ. Ecce quos Secta fidei suæ præcones habuerit? despicatissima sanè in membris, quibus tam informe caput impositum fuerit.

Fugantur à Monlucio.

Nyordus, Cormerius, Molinetus prædicantes hæretici.

Vnum penè omiseram, quod enarrare mearum esse partium duxi. in Tolosano hoc tumultu sectarios in Deauratam vrbis partem arma vertisse & Bernoij domum opus certè magnificum oppugnare aggressos, indéque à Tremontio, Clarmontio, aliisque Proceribus pulsos non absque sanctiorum olim hospitum præsagitione, quibus singulari Octouirũm beneficentiâ pręclara hæc concessa est domus, Collegium nunc est Societatis IESV, cuius institutionem & pia munia versibus quinis expressit vates clarissimus, quem tametsi octogesimum ætatis annum prætervectum inter Phœbi laureta, Musarumque vireta crebrò inambulare non puduit.

E Bernoiana domo pulsi hæretici. Hæc domus datur Soc. IESV. Patribus.

Hanc Capitolini Proceres autore Senatu
Virtuti, Musisque dicant feliciter Ædem
Auspiciis Henrice tuis, & limine primo
Hinc Belli lauros, hinc longæ pacis oliuas
Fortunæ monumenta tuæ immortalia ponũt.

Eius inscriptio.

Quæsitum est in seditionis conscios, moti Senatu nonnulli; è perduellibus supra ducentos capite luerunt, & in iis Ademarus Mandinellus decurio, Ioannes Portaldus vrbis Prætor, Salsius factionis totius Dux equis in diuersa nitentibus discerptus. In furcam actus Lhermius ad Diui Stephani, probrosam hanc nactus sortem Hæres infamis, sic à pingui Patris hæreditate vocatus, qui dum Rapistanum ab Hæreticis inuaderetur, factionis caput fuerat. Fœminæ, cui Broqueriæ nomen erat, intemperantiùs in sacros Ecclesiæ ritus debacchatæ, quin & ausæ contra Catholicos arreptis armis dimicare, fauces propter Sancti Michaëlis ædem sacram elisæ. Blateroni cuidam maroticos versus in Mariano Dealbatæ templo concinenti iusta ab Octouiris irrogata est pœna. Robertus Mocanus hæreticus D. Saturnini templum ingressus quo tempore fidei quæsitor Apostolicum de more Symbolum explanabat, refellebatque impia Caluinianorum dogmata, repente quasi laruis & intemperiis agitatus vultu manuque ad Ecclesiasten conuersâ, Mentiris (inquit) hypocrita, quod verum esse tam obstinatè affirmas, ego mox falsitatis coarguam. Dij te perdant cum insana hac, quam profiteris, doctrina. Ad hæc infremuit plebs omnis Catholica, quæ ad condiscenda Romanæ fidei rudimenta aduenerat, ac oneratum verberibus importunum conuitiatorem, pedibusque obtritum ex æde sacra coruis canibusque in saginam tradendum eiecit. Complures capite damnati personatas interim in tota aut furca pœnas luerunt, dum expectaretur archetypi. Fatalem hunc exitũ sortita est Caluiniana audacia, quæ vbi improuisum hunc impetum in vrbem longè clarissimam effudit, elanguit illico, & ad hanc vsque diem velut amisso torpet aculeo. Sic quippe Caluinianorum fæce exhausta est ciuitas, vt in antiquam religionis majestatem confestim effloruerit, pergitque decus illud omni ope tueri, tam auersa ab hac peste, vt neminem intra mœnia sua ciuem esse permittat fœda hac lue contactum. Vt autem depulsorum ab hac vrbe hæreticorum di-

Hæreticorum & factiosorum supplicia.

Purgatur tam fœda lue ciuitas.

manaret fama ad posteros, & condignæ Deo ac Cælitibus vrbis assertoribus gratiæ referrentur, solennis instituta est supplicatio, quæ in singulos annos 17. Maij magno precantium agmine instauratur; adest Senatus cum sui quisque Magistratus insignibus; sacræ lipsanothecæ è Diui Saturnini Ciuitatis Patroni Basilicâ Cœnobitarum humeris circunferuntur, Vrbs tota in insolitæ pietatis & hilaritatis speciem componitur, ringentibus, si qui clanculum ad spectandum venerint, hæreticis; qui pium hoc institutum interturbare non semel moliti sunt, sed impius horum conatus in irritum cessit.

Supplicatio in singulos annos instituta.

Horum pleraque è Bosqueti commentario excerpsimus, cui titulus *Hæreticorum Tolosæ coniuratorum profligatio sub Carolo IX.* quo in libro, autor, qui calamitosi huius temporis inspector fuit, adeò graphicè stupendam Hæreticorum crudelitatem cum infinitis sacrilegiis coniunctam exprimit, vt abolendum ipsi librum sed frustrà curauerint; perstat enim adhuc testatissimum hoc Caluinianæ seu reformatæ feritatis monumentum, quod vt perlectum à me esse fidem faciam, vnum aut alterum sæuitiæ plusquam agrestis exemplum adducam, quod à sectariis editum Bosquetus idem asserit. Primum memorat de Sacerdotibus binis, quorum alter dum sacris operaretur, ab ara extractus est & sacrifici personam exuere coactus, victimæ partes impleuit, à furentibus popis crudelem in modum mactatus, cuius viscera foro venalia appensa sunt. Alter etiam ab altari sacrilegè per vim abreptus, ac litantis habitu indutus cum augustissimo Sacramento, cachinnante circum plebe, asino versâ in faciem caudâ impositus, perque vrbis, in qua versabatur, plateas circūductus, lugendum crudelitatis & horroris spectaculum exhibuit; maximè cum sessorem, non verò stupidum animal, impactis in varias corporis partes aculeis importunus quasi ad citatiorem gressum perurgeret ductor. Haud dispar est quod postremum adiungo, tametsi consummatum in vili capite facinus. Ferebat literas seruus à pedibus isque Catholicus ad nonnullos Catholicæ partis Magnates, is nescio quo fato, pessimo sanè, à perduellibus interceptus; herilis obsequij pœnas coactus est pendere atrocissimas, hunc enim scamno arctè illigatum ad focum admouent, tum inflammatum ei lardum guttatim defluens è candenti pala ter per duas horas instillant eo doloris sensu, vt in phrenesim miser actus fuerit. Atque hic reformatæ sectæ ludus fuit, haud multùm absimilis crudelibus Canadensium Hiroquæorum ludis, qui armati furiarum in morem ardentibus tædis in hostes insiliunt, ignitasque in eos prunas ingerunt ac inculcant, aut superfusis feruentibus aquis elixant. Cæterùm vrbibus aliquot Tolosæ vicinis Caluiniana pestis

Hæc è Bosqueti libro.

Sacerdotes bini crudeliter & fœdè habiti.

Lentum & immane supplicium.

Canadensium crudelitas.

pestis abstinuit; nec Albiam hæc flamma corripuit Valdensis Hæreseos fuligine quondam denigratam, quæ post à D. Dominico, eiusque sociis emaculata, sordescere deinceps noluit, plurimumque ad id contulit Cardinalis Strocij Præsulis Albiensis autoritas. Rutenas pariter in fide Numinis Regisque continuere iuges Cardinalis Armeniaci Episcopi sui vigiliæ, Hector Dossunus Coseranus Antistes gregem suum & pastorali curâ & militari præsidio texit copiarum ductor & ambidexter effectus, hinc Episcopale pedum, illinc hastati militis arma intorquens è mitrato galeatus. Non sic Ioannes Lectensis Montalbanensis Episcopus mercenarius pastor, qui flagitiis & libidinibus infamis Geneuam profugit, vindicem nempe reformidans Senatum posteaquam Montalbanum hæresis Caluinianæ domicilium, alteramque Geneuam impressis vitæ nequiter actæ vestigiis corrupisset.

Cardinalis Strocius hæreticos arcet.

Vt & Card. Armeniacus.

& Hector Dossunus.

Ioannes Lectensis Præsul Geneuam discedit.

Sequutæ Montalbanensium impietatem ciuitates, pagique complures, in quibus triumphauit hæresis, vsque eò vecors, vt, quæ Numinis cultum exuerat, Regis pariter obsequium & reuerentiam excuteret, Nam simulac de Rege coram sectariis mentio incideret, illi continuò stupentibus similes, Quis porro Rex iste? atqui nos ipsi Reges sumus; hic verò quem falsò Regem esse dicitis, rudis, & inexercitatus est puer, quem puerilibus vlmis probè castigatum mechanicæ citiùs illigabimus arti, qua victum paret. Has sectarij quidem omnes sed concionales præsertim Ministri in vnctum Domini contumelias spargebant, qui & nullam esse Regum autoritatem addebant, nisi à populo iis se permittente acciperent: cúmque vectigales prouentus heri nobiles à subditis suis exigerent, cauillabantur & iocabantur hæretici, tributa huiusmodi deberi pernegantes, nisi expressum id in Bibliorum codice commonstrarent. Hæc ab impudentissimis hominibus iacta in Regem scommata è Bezana seu vesana prodiere vena, nam quid circulatrice Bezæ linguâ intemperantius? qui Nauarrum Iulianum appellare ausus est, quod abdicatis hæreticorum partibus ad sanctiora Catholicorum castra commigrasset; eadem virulentæ linguæ tela in eruditissimos quoscunque intorquebat. Laïnium Societatis IESV Præpositum Generalem inter æui sui doctissimos ac Sanctissimos iure adnumeratum, quòd in Poissiacensi colloquio cum reliquis Catholicæ rei propugnatoribus obstitisset, ne templa hæreticis concederentur, ne aboleretur piarum imaginum cultus, histrionem appellat. Benedictum Dominicanú, blateronem falsissimum, & alios pietate doctrinaque illustres viros mordaci

Montalbanum Caluini peste inficitur.

Hæretici omnes Regis infantiam spernunt.

Eorum facetia.

Mordaces Bezæ contumelia.

satyræ sale perfricat, quòd, vt impudenter mentitur, in euoluendis fidei rebus absona plane ridendaque astruerent, ipse verò, quasi abstrusos sapientiæ thesauros reclusisset omnes, eum fingit se se, in quem (si Superis placet) tota se scientiarum infuderit plenitudo.

Arpaonius & Sanleofarius sectarij cæsi.

Hæretici pariter Galliacenses.

Rapistanenses Catholici necantur. Signa cælestia Monspelij visa.

Religionis clades Monspelij à Gariello descripta.

Verùm ex impuri vatis figmentis pedem efferamus, dum nos ad se reuocant supra memoratæ Prouinciæ Aquitania & Occitania, in quas, quia frugum ferè omnium feracissimas incursauit hæresis, ne, si à sectariis Cœli desperentur opes, nutricantis lac terræ, pinguedoque deficiat. Consopitus nondum Tolosæ tumultus, in concitatorum cladem iterum exarsit, Arpaonius Burniqueti Vicecomes, & Sanleofarius sectarij, turbarum autores, vrbe digressi, à Terrida die sacro Pentecostes intercepti, occisique sunt, neutiquam ipsis patrocinante spiritu, quem nunquam non sibi assidentem putidè iactat nouantium secta. Hic idem dies Galliacensibus etiam Hæreticis funestissimus fuit. Est Galliacum oppidum ad Tarnis auriferi quondam fluminis marginem situm, in quo cum ad Marotica pangenda metra compararent se Hugonoti, continuò versa est cantorum in luctum cithara, nam Strocij Cardinalis hortatu concitata plebs, magnam horum stragem edidit; tradunt centum quinquaginta necatos, quorum pars aut fluuio hausta aut nocturnis canibus coruisque in saginam relicta. Caluinianus præco in puteum demersus, non sopitus tamen aquis perduellium furor; illi enim recentes Galliacensium vlturi cædes, Rapistani ad Tarnim in Catholicos crudeliter more suo debacchati sunt; ab iisdem SS. Sulpitij & Radegundis oppida capta, per quæ reformatus grassatus est gladius, fœdati cædibus agri, impressa vbique perfurentis lanienæ monumenta; minæ tum terroresque in Cœlo Monspelij à variis conspecti, parelij tres erant, quod in imminentes vtrique parti clades tractum est, nec malè ad Monspelienses retulere nonnulli, quos transuersos egerunt error & contumacia, & à Deo & Rege miserè distraxerunt. Probrosum sanè nobilissimæ ciuitati fuit tam constanter Albigense quondam respuisse hæreticorum virus, tam auidè Caluinianum ebibisse, Hanc ego religionis cladem à P. Gariello Monsp. Canonico peritè descriptam, dum stylo paucis comprehendo, ignosci mihi peruelim, si quid paulò vehementiùs dequerar; neutiquam verbo violaturus hæreticos, viros quippe amare teneor, hæresim verò vel ipsâ nominis mei prærogatiuâ odisse compellor, multò magis Societatis illius, sub qua diu merui, permotus exemplo, ad euellendas hæreses

fibras institutæ, & in hanc Monspeliensem vrbem à Petro Fenollieto Præsule, magno Ciuium bono inductæ, quæ Societas circa annum 1562. quo de nunc agimus, ingentia operæ pretia præstabar, vt & præstiterat vbique semper.

Nam vt ab exteris regionibus incipiamus. Inolitum idololatriæ situm Indis & Iaponibus extergebat Societas IESV Sancti Francisci Xauerij operâ, viri supra naturam fortis, supra inuidiam admirandi; Lutherianas Protestantium Germanorum sordes eluebat eadem Societas per iuges Petri Fabri vigilias, morum integritatem vbique, etiam in Principum, quos erudiebat, aula professi, quo tempore, apud Tridentum augustissimo Eucharistiæ Sacramento veritatem à Religionis corruptoribus oppugnatam sanciebat, exemptamque originis labe Deiparam astruebat Iacobus Laïnius, de quo supra memoraui, qui Bezana mendaciorum portenta, vt & Marlorati, aliorumque hæreticorum blasphemias eruditè, dum in Gallia esset, confutauit. Circa idem tempus florebat Iosephus Anchieta tantæ Sanctitatis vir, vt priscæ innocentiæ speciem aliquam candidissimis moribus exprimeret, cùm eius in sinu impune luderent viperæ, eique per Brasilos æstus inambulanti alarum nubem instar conopei aduolantes vndique aues obtenderent, Brasilorum conuersioni dies noctesque instabat, Ethnicorum salutem accurabat impensè, oblitus ipse suæ, anthropophagorum quippe sæpius destinatus in cœnam; Alij aliò pro diuini cultus incremento delegati Deo & Ecclesiæ non absque sudore & sanguine, solo maioris Dei gloriæ stipendio militabant. Sed ingentes Edmundi Augerij natione Galli pro religione conatus prætermittendi non sunt, viri per omnia summi, qui Carolo IX. & Henrico III. Galliæ Regibus à sacris Concionibus, & Confessionibus fuit, Hic tum Appamiis, tum Fuxi ad Pyrenæos montes, tum apud Aruernos, Delphinates, Lugdunenses, aliosque stricto diuini verbi gladio innumeros noui Euangelij mystas perdomuit, aut aduentus sui fama conterritos solum vertere compulit. Pares, cùm Appamiis aut Tolosæ versaretur, labores æmulatus est Ioannes Pelletarius Societatis eiusdem Sacerdos, cuius operâ, & nutantes in fidei rebus firmati & ab hæresi emersi non pauci frementibus vndique sectariis, & in cultoris optimi vitam per venenata poma, quæ muneris loco mittebant, grassantibus; sed agnitum tandem hostile donum, non donum, Pro ferali hoc fructu p[illegible]eris succis illito saluberrimos Euangelij fructus ingratis populis spargere non intermisit religiosus admodum vir, nec ad Cœleste hoc manna nauseatunt

Societatis IESV labores Ecclesiæ vtiles. Iaponibus lux veritatis afflatur à S. Xauerio. Germanis à Fabro. In Conc. Trid. à Lainio.

Brasilis ab Anchieta.

Gallis ab Edmundo Augerio.


Et à Ioanne Pelletario.

hæretici omnes tametsi Ægyptiis iam porris hoc est corruptæ fœtentique doctrinæ multos iam annos assueti, resipuerunt quippe eorum plerique, eiuratoque Caluino Catholicam amplexi sunt fidem.

Hæc de Societatis nostræ Operariis, perpetuis hæreseon oppugnatoribus præfari iure debui; nec, quasi magnificentiùs, quàm veriùs proloquutus reprehendar; quid enim non testatissimum attuli? Nonne super Gangem & Indos, super Orientis, Occidentis, reliquasque orbis terrarum partes auditi sunt Societatis IESV Patres? quorum labores probant satis qui sequuti sunt haud degeneres filij, quos ab eadem Christi IESV profitenda militia non absterruerunt accensæ hæreticorum faces, parata Scytharum venena, erecta Britannorum patibula, lenti Iaponum ignes, subterraneæ eorundem fossæ, crudeles barbarorum carniuororum laniatus, virulenta Peruuiæ tela, recurui Turcarum acinaces. Atque hi è Sancti Ignatij Loyolæ disciplina prodierunt Heroes generosissimi, cui mandatú id erat à Marcello II. Romano Pontifice, vt eos Ecclesiæ commilitones pararet, quos in pulchra hæc pro amplificanda religione pericula, ac vberem palmarum messem per formosas neces colligendam immitteret. *Age* (inquit) *Ignati tu milites collige & Bellatores instrue, nos vtemur.* Pergunt adhuc Romani Pontifices subsidiariis his Volonibus vti, haud sine innumeris prostratarum hæreseon, deuictorumque flagitiorum spoliis, quæ trophæa supremo Numini Agonothetę suo certatim erigunt, animarum magnarum prodigi; sed iis in rebus fusiùs explicandis, quia nostræ, & palàm in ore atque oculis omnium sunt, non arbitror immorandum esse diutiùs.

Societatis Martyres.

Marcelli II. dicta.



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ:

SVB EODEM CAROLO IX. REGE.

LIBER QVINTVS.

Ab Anno Christi 1562. *ad Annum* 1568.



OST inustas ab supra memoratis heroïbus nouellæ sectæ hiantes adhuc plagas, moderandum mihi censeo, ne vnguis (quod aiunt) in vlcere importunus existam; non densabo vulnera sauciis iam hæreticis, quæ verò ipsi apud Monspelienses Catholicæ Religioni plagas inflixerunt, simplici candidoque stylo prosequar, plurimúmque prodero, si è cogitatâ veterum scelerum fœditate, sacrorum omnium proculcatione, bonorumque strage pudorem, & è pudore, qui non adumbratus, sed germanus virtutis est color, consectandæ vir- *Monspelium hæresi imbuitur.*

tutis occasionem arripiant. In hoc autem refricando, lugendo potiùs religionis probro nonnihil hærebo, ne ingratus sim vrbi, quæ plures iam annos aluit me, non inerti certè diffluentem otio, at in excolenda Christianis moribus, politioríque literaturâ iuuentute non sine aliquo operæ pretio aliquandiu versatum; ex hoc enim studio profecisse multos scio, totoque illo, quo apud me persederunt spatio, vegetiorem ex eloquentia quàm inesset mihi, colorem duxisse fateor; non inuideo tamen. Eorum plerique aut in ædium sacrarum pulpitis, aut in Themidis rostris quod olim iuuenes adbiberunt, effundunt. Euoluamus igitur infestum illud religioni tempus, non adeò tamen scelerum ferax, vt vacuum semper virtutibus fuerit, vt optima in Orthodoxis exempla non prodiderit, dum iteratis sectariorum sacrilegiis Christianorum obluctaretur virtus, & scelestissimam Babylonem oppugnaret Ciuitas Dei; quot enim in Perduellibus ferocitatis exempla, tot in Catholicis eluxerunt virilis monumenta constantiæ. Marcet nempe sine aduersario virtus, eóque præsente acuitur, quod in iis quæ mox referam, obseruare promptum erit vnicuique.

Certant pro auita fide Catholici.

Est Monspelium Occitaniæ totius, si vnam duntaxat Tolosam exceperis, clarissima vrbs, antiquitate lubens reliquis cedit, dum læto se se iuuentutis flore conuestiat, & informem fatiscentis æui situm ædium suarum elegantiâ, concinnitateque compenset; quia minùs annosa ciuitas est, minùs quoque vitij è senij deuexitate contraxit, nihil eius in mœnibus aut ædibus ruinosum, si quid ex iis quassatum est, labefactauit temporum iniquitas, non tempus. Augustiora vrbis initia fecit binarum Virginum virtus, Hæ Sancti Fulcrani Lodouensis Episcopi sorores binas arces Monspelium & Monspelieretum hæreditario iure sortitæ, quia sanctiori ambæ inhiabant patrimonio, eas Ricuino Episcopo Magalonensi tradiderunt, Christum IESVM animarum suarum Sponsum in hæreditatis & calicis sui partem assumentes, cui (quia pascitur inter lilia) illibatum integritatis suæ lilium consecrarunt. Non multo post tempore plurimarum ædium aggestu è Sustantionis & Lataræ ruderibus extructarum in vrbis speciem aliquam Monspelium coaluisse produnt Scriptores aliqui, finitimos quippe populos pertrahebat ad se sparsa vbique Sanctarum Virginum fama, multò verò potentiùs euocabat Virginum mater, eademque Numinis Parens, quæ ipsis haud dubiè Ciuitatis huius primordiis interfuit, præfuitque; Ac primò quidem perexiguis tumultuarii templi septis cohibuit se se Magnæ huius Matris Maiestas, tum piorum accursu, ditiorumque liberalitate laxatæ paulatim eiusdem ædis angustiæ, deinde in-

Laus Monspelij.

Vrbs recens, sed formosa.

Monspelij primordia.

à Sanctis Virginibus.

Præsertim à Dei Genitrice.

maiorem longè molem & nobiliorem excreuit, quam in basilicam simul ac admissa est Deipara, vt præsentem suã, Numinisque vim huic addictam esse loco significaret, quod apud Carnutes, Anicienses, Lauretanos, aliasque sibi peculiari sacramento gentes adactas præstitit, innmeris hîc quoque coruscare cœpit prodigiis, adeò vt destinatam sibi sacram ædem in paratum calamitosorum perfugium, ac sospitalem officinam commutarit; ad quam non visendi tantùm, & Christiano more supplicandi, sed & votorum nuncupandorum gratiâ cateruatim accurrebant è remotis etiam nationibus ætatis omnis & conditionis homines, opis aliquid impetraturi; & exprimebant confestim à Deipara non modò non repugnante, sed obuiâ etiam beneuolentiâ clientum suorum votis sæpiùs anteuertente; eius enim ope confractæ captiuorum defluebant catenæ, luxata corpora arctiori reuincta compage coalescebant; ardentissimâ febre perustis immodicus remittebatur æstus, correptis denique omni morborum genere mortalibus pristinæ restaurabantur vires. Porro tam crebra visebantur Mariana hæc prodigia, vt, quod ex Cæsario constat, Medici tabidos quoscunque ac difficillimis morbis implicitos ad Monspeliensem hanc Patronam amandarent, cui clientes suos persanare promptiùs sine arte, quàm ipsis cum arte dicebant, & querebantur horum nonulli sic feriari Apollinarem scholam, & quod ægriùs aliquantò ferebant, emolumenta sibi cum ægrorum morbis deperire. Cúmque mirabilium huiusmodi curationum fama vbique increbresceret, piè facturos se iudicarunt Philopartheni Monspelienses, si ad perennem earum posteris transmittendam memoriam, varia de Ecclesiæ tholo suspenderent anathemata, tabulásque patratorum miraculorum indices, vnde Tabularum nomen Ædi sacræ factum est, quod & hactenus perseuerat, quod templũ bis ab Hereticis disiectum (vt postea dicam) & hoc anno 1655. quo hæc scribo, pristinæ formæ, ac Ecclesiasticis vsibus restitutum est, Atque id quinis istis versibus comprehendi.

Templum ei conditur.

Innumeris claret miraculis.

Aegrotis medetur.

Frustra est Medicorum ars.

Mariana ædes à Tabulis appellata, & cur. Bis disiecta, bis restaurata.

Inclyta prodigiis olim Marialibus Ædes
Bis disiecta solo, bis restaurata resurgit
Pulchrior, & propriâ victrix de clade triumphat,
Christiparæ Sedes æterna futura Mariæ,
Et Portus miseris, & iuge salutis Asylum.

Vnde Monspelium sic dictum?

Maria vrbis insignibus insidet. A Maria ergo vrbis petenda origo, vnde & Monspelium, hoc est Mons puellæ, nempe Augustissimæ Virginis, quam idcirco in Patronam & præsidem adoptauit ciuium pietas, præfixitque Ciuitatis insignibus, quæ componit orbiculus, supra quem in solio depicta est Dei Genitrix cum filio Deo, quasi Monspeliensem hinc orbem aut vrbem potiùs moderatura hoc orbiculo designatam. Et sanè plus longè gratiarum traxit hæc Ciuitas ab imposita sibi Præside, quàm opum ab *Monspel. soli vbertas.* vbere solo suo vinetis, oliuetisque consito; nec deest tritici, aliarumque frugum copia ingens; quin & medicarum, & odoriferarum herbarum prouentus est tantus, vt Rosmarinus, Alba Casia, coccus baphica, aut Kermes Arabicum indictiuis furnacei panis cocturis subseruiant cum Alemannorum hìc degentium stupore, mirantur enim tanta pretiosissimarum herbarum profusione, quas magno emptas *Pietas.* Germania vellet, fornaces accendi; nec sapere satis Monspeliensium palato excretum omni furfure panem, ideóque candidissimum, nisi etiam inter odoramenta coquatur. Cum soli fertilitate mirum quantum congruebat virtutum vbertas, pietatis præsertim, pro quâ ci- *Templa.* uium mentibus inserenda quinque supra quinquaginta visebantur templa aut intra vrbis mœnia, aut in suburbiis magnificè extructa, *Valetudinaria publica.* sacrisque Diuorum reliquiis exornata. Beneficentiam erga inopes prouocabant Xenodochia duodecim, in quibus non corporibus tantùm, sed & pauperum animis sua largè dispensabatur annona; vige- *Medicinæ schola celebris.* bant item literarum studia variis discreta gymnasiis, quarum omnium princeps effloruit medicinæ schola, Apollinarem vocant; quam illustrarunt magnum hac in arte nomen assequuti Doctores, Antecessores, studiosique adolescentes qui variis ex orbis partibus in hanc commigrarunt Academiam præstantissimorum ingeniorum altricem. Nec Doctrina tantùm, sed & locus ipse vnde hausta fuerat, autoritatem conciliabat & nomen. Ne quid autem decoris vrbi nobilissimæ *Curiæ variæ.* deesset, fecere Galliæ Reges; dum strictioris sigilli conclaui, Præsidialis tribunalis sede, Subsidiorum item, Computorum, Quæstorumque curiis eam locupletarunt, quæ omnia vrbibus sparsa reliquis, in vnam hanc ciuitatem congesta, hanc supra complures alias extulissent, nisi nimia adfuisset, corrupissetque felicitas, perinde ac corpo- *Nimia obest felicitas.* ribus indulgentiùs habitis obesitas ipsa vitium parit. Ad labefactandam itaque nobilem hanc ciuitatem non corporum, sed animorum pestis irrepsit, crudelior tantò, quantò lue, quæ corporibus inserpit, pugnacior hæresis fuit; armata quippe ferro prosiliit, hoc est Euangelico Geneuensium gladio, vt per impressa Catholicorum membris vulnera errorum venenum infunderet. Ardebant ab fatali hoc hære-

seos

ſcos ignē vicinæ Monſpelio Prouinciæ, huius autem ignis ſcintillas principio excutere haud ita difficile videbatur, ni ſegniores ad auertendum malum excubias egiſſent Primores nonnulli. Non dubito, quin eos aut Caluinianæ licentiæ amor, aut auri, quod ab Hæreticis obtrudebatur, odor ad conniuendum impulerint; neque enim ferro magis quàm auro graſſabantur Hæretici; per id enim temporis ſuffragia, honorumque prærogatiuas horum plerique emebant, malè id quidem, quis enim negauerit? ſed quantò peiora faciebant, qui non obnitebantur, qui ſic fidei hoſtibus arma, quibus fidem ipſam oppugnarent, ſuppeditabant; nimirum ex eorum genere erant, qui religione poſtpoſitâ ſuis cuncta commodis metiuntur. Prætermiſſis variis numinis cultum apud Monſp. non ſatis accurantibus.

Irrepſit Monſp. hæreſis ob Primorum negligentiam.

Sunt qui culpæ huius partem in Guillelm. Peliſſerium Monſp. Epiſcopum deriuare conentur, quem in fidei rebus parum conſtantem aſſeuerant; ſed quomodo in Magni huius Præſulis vitâ pietati Muſiſque conſecratâ tanta fœditas hæſit, cùm ne leues quidem prauitatis hæreticæ fibras ſuſtinuerit in ſuis; cùm gnauos ſemper & induſtrios Eccleſiarum ſuarum præſides habuerit, & in incurſantes ſectæ lupos latrare non inhabiles; cùm Clericos omnes ad exterioris hominis, quem contuentur omnes, & interioris cultum vni Deo notum hortatus ſæpe fuerit, cùm à Cardinale Lotharingo Hæreticorum partibus infeſtiſſimo in honore ſemper habitus ſit, à quo per literas Regis nomine commonebatur, vt paſtorales ſupra gregem ſibi commiſſum curas intendere pergeret; neutiquam ſimile quid à viro in religione nutāti petiturus erat Lotharingus. Nec Bellicadrenſis, qui eum attinuit carcer, eius ſanctitati quidquam officit; quaſi verò nunquam in vinculis gemuerit innocentia? calumniam hanc in pium Epiſcopum concinnatam ægrè admodum tulit Narbonenſis Clerus, apertéque diluit quæ in eum fingebantur crimina, in calumniatorem verò, quam parabat Antiſtiti, pœna reſiliit; impudentiſſimi hominis os laqueo in furca confractum, euulſumque ab humeris caput ad Lataræ portam diu pro ſpectaculo fuit.

Non propterea culpandus eſt Præſul.

Innocentia interdum rea.

Calumniator mulctatus.

Nullâ igitur Peliſſerij culpâ Monſpelium illapſa eſt hæreſis; nec eius opus habuit vt illaberetur auxilio, cui, vt nocendi, ita & irrumpendi millenæ ſunt viæ. Ac primò quidem Deum & Cœlites omnes furenter aggreſſa, cuncta ſanctitatis monumenta de medio tollere inſtitit; profanatæ namque, direptæ, incēſæ Diuorum imagines, ædes ſacræ in profana ſectæ tēpla cōmutatæ, ad quæ feſtinanter adeunda cōpulſi

Euerſa & polluta ſacra Monſpelij.

X.

Catholicorum non pauci, ire cunctantibus triangularis impactus est fustis, quem ioculari dicto euerriculum consistoriale vocabant. Seruatur in Monspeliensi Collegio nostro eâ forma bacillus, apparetque ex eius attritu non semper in lugubri hoc ludo feriatam immissorum satellitum manum. Maugetius primus Caluiniano tum errorum præco Monspelium venit concionales cum Chassinono Chasseo vices partitus, qui nocturno tempore tenebrarum doctrinam in cellis vinariis propinabat, Ministrorum, aliorumque more oracula sua omni è loco promentium; tum crescente fiduciâ, errores suos interdiu spargere in schola maiore occœpit; quæ nunc Pauperum hospitalis est domus; inde quintus si ita loqui fas est Euangelista in Diui Euangelistæ Matthæi templo propter Medicinæ Scholas audiri ambiit, quod vbi ad Henricum II. perlatum est, hoc enim imperante Monspelium afflixit hæc pestis, Comitem huc Villarsium misit, opposuitque sectæ Ministris quorum vnus pœnarum timore terga vertit illico, dum capitalium rerum Iudex apparuit suppliciorum grauitatem intentans. Interea Villarsius S. Ioannis Gardonēsis oppidum, Sanctandreanus verò Monspelium occupat, vbi sacræ religionis cultus restituitur, vnde pridem exoleuerat; hunc autem fluentium prosperè rerum cursum præcox Henrici Regis fatum abrupit, magni quippe interest Regem habere religioni voluntate iuxta ac manu astrictū, quod præstare non potuit Franciscus II. eius successor propensior in religionis tutelam, quàm fortior. Ex hac itaque immaturâ Regis morte cōsequutum est Religionis propemodum fatum, error autem tum reuiuiscere cœpit, maximè dum Chassinonus inuerecundiùs deblateraret, circùm excubante armatorum manipulo ne quis pestiferæ prædicantis doctrinæ importunus obstreperet, quod dum à Magnatibus dissimulatur (adeò perspicaces in suis, in religionis verò rebus cæci sunt homines) creuit audacibus audacia maior, &, quod scribere calamus exhorrescit, augustissimum Virginis templum à Tabulis nuncupatum tot prodigiis olim celebre Caluinianis concionibus pollui cœptum, aurea & argentea, quæ multa illic inerat, infami latrocinio subducta supellex, intentatæ Sacerdotibus minæ; illi ne quid in se grauius statueretur, occultis effugiis ad Diui Petri templum abscesserunt, si cætera ab hostibus direpta forent, vitam saltem sibi reliquam prorogaturi; quam in ædem vallo, fossis, militarique præsidio communitam penetrarunt hostes, complures que tum Canonicos, tum Religiosos claustrales aggestis cædibus peremerunt.

Coguntur Catholici ad haret. adeunda templa.

Maugetius Caluin. præco primus.

Chasseus adiutor.

In cellis vinariis, tum in schola maiore blaterant.

Deinde in S. Matthæi templo.

Mittitur à Rege Henr. Villarsius.

Restituitur Monsp. religio.

Opprimitur post regis obitum.

Crescit hæreticis audacia.

Profanant Tabularum templum.

Expilant.

Canonicos cædunt & Monachos.

Postcaquam satis fusum est sanguinis, indictæ sunt gladio feriæ, breui tamen sectariis abrumpendæ; dolis enim agere cœperunt conciliabuli præsides, propositis pinguioris fortunæ illecebris, si cui animus

foret dogma nouum amplecti. Hinc spes obiectæ alitæque aut tollendorum omninò, aut magna ex parte imminuendorum vectigalium; exprobrata Romani Pontificis nimia potestas, atque vt imperiti vocant, tyrannis, cui turpiter vt aiebant, ceruicem incuruant ad maiora nati Catholici; iteratæ ab iisdem querelæ veteres, pollutam infinitis Clericorum flagitiis religionem esse; idcirco aut contumulandam omnino, aut certè proscribendam; Liam hanc lippitudine infamem posthabendam esse Racheli, iuuenculæ quippe, comptulæque, cum fœda sit altera & vieta. Hæc in vrbe Caluiniani vociferabantur oratores, dum interea in campestribus locis omnia peruastarent eorum asseclæ, dum villarum ædes ac templa subruerent, quo etiam tempore renouatæ, aut continuatæ potiùs Monspelienses clades, à Iulio mense ad Octobrem vsque laxatæ crudelitati habenæ, diutiùs etiam permittendæ, ni Villarsij Comitis, & Vicecomitis Ioyosæi interuenisset autoritas, sed religionis causam prodidit Primarius consul Monspeliensis Catholicum ementitus, atque hinc pristina Caluinianis Ministris concionandi copia restituta, cumulatæ Catholicorum cædes, Franciscani Minores duo cum sacerdotibus non paucis occisi, vbique species mortis oberrabat, audiebantur dissoni cædentium, cadentiumque clamores, feralia vbique fœdatæ sacrilegio religionis ac pietatis monumenta prostabant. Atque hæc perillustria sunt reformatorum nostrorum opera, Vrbs cadaueribus strata, deformata sacrilegiis, templis, aris, sacerdotibus, sacrilegiisque destituta. Ecclesiarum hæretico turbine disiectarum elenchum quem operi suo Gariellus intexuit ne hic exscribam, facit ipsa ruinarum prolixitas. Intra vrbis mœnia & suburbiorum septa visuntur vbique parietinæ quasi strata Ecclesiarum cadauera, quæ Carolus ipse Rex haud absque indignatione conspexit, tantam Ecclesiæ Matri iniuriam cuius primogenitus erat, illatam vix credens, nisi testes oculos admouisset. Eius autem aduentu perduellium furorem compressum fuisse reperio, maiestatem veritorum, quam in Deo contempserant, Allexerat omnes Regis benignitas bimestri fere spatio peruia vnicuique; tum eiusdem hausta de Cœlo vis, dum strumis affectos regio contactu persanaret. At dilapso Rege dilapsa quoque est vrbis tranquillitas; recruduit pristinum in templa & sacras icones bellum; dirutum Diui Petri templum in Cathedralem Ecclesiam antè annos aliquot erectum, cumque eo corruit effœtâ iam ætate Guillelmus Episcopus à Scæuola Sammarthano prolixè laudatus, qui Præsuli summa omnia assequuto inuidiam vnam obluctatam queritur, nihil tamen obfuisse confirmat.

Rom. Pontificis autoritatem carpunt.

Omnia foris populantur.

Protoconsul Monsp. religionem prodit.

Franciscani necantur.

Luctuosa Ecclesiæ Monsp. facies.

Luget ipse Rex dum eam aspicit.

Guillelmi Præsulis obitus. Eiusdem laus.

Quæ de Monspelio diximus, aliis à secta vrbibus captis transferet lector incensis direptis, omni sacrilegiorum fœditate pollutis. Discrepant quidem inter se loca, at par fuit vbique sacrorum profanorumque deuastatio. Excitatæ apud Monspelienses incendij huius flammæ proximas quasque vrbes, oppida, villasque corripuere, Biterræ, Pezenatium, Lesignanum, Montagnacum, Frontignanum ab hæreticis capta, direpta; variis inter vtramque partem certatum velitationibus; nunc victa, nunc victrix ac triumphatrix pars altera ludente inter rixantes fortunâ, nunc pulsa, nunc reuocata religio, quæ omnia hîc exscribere non patitur tum locorum tenuitas, tum obsidionum, direptionumque similitudo. Vt ergo volitantem hac illac Monlucij gladium; quo de superiùs egimus, stylo assequamur, & memorabiles eius pugnas. Post Pennam vrbem tormentis conquassatam, & necatos obsessos immisso per foramen milite obliqua verberatione patefactum; ad maius aliquid quasi attollenre pennâ sublatus; Lectoræ inhiat à factiosis captæ, à quibus immanem lanienam passi fuerant præsidiarij, nec alibi deerât paris crudelitatis exempla, nam Cailo Ruthenorum oppido in potestatem redacto, centum viginti sacerdotes agresti barbarie trucidarant, passimque à sectariis iactabatur, acceptiorè nunquam Deo victimâ litari, quàm Sacerdotis nece, eiusque sanguine peccatorum omnium sordes elui. Lectoram ergo aggreditur eius potiundæ spe plenus, desperantibus aliis, obsidionales machinas vrbi admouet, nec mora, impressa vi, vasta subituris militibus aperitur via, Monlucius patentem in ruinam Petrum filium immittit pro Deo, pro Rege etiam cum præsenti capitis discrimine extrema omnia tentaturum; at seriùs deprehensa, quæ secundum ruinam ab obsessis perducta fuerat fossa, in qua latens sulphuratus puluis igne admoto flammis inuoluit, hausitque milites aliquot; hausturus longè plures, ni properè, quippe ab igne pedem retulissent. Postridie insigne fluxæ sublestæque fidei suæ documentum dedere perduelles, dum contra fas gentium fidem etiam in hostibus erga sibi oppositos hostes stabilientium, simulato cum Regiis colloquio, horum complures plumbeis transfodere glandibus; sed quod petebatur Monlucij caput, illæsum, intactumque fuit, qui vt perfidiæ vicem reponeret, factiosos deditios omnes Tarauba interfici iussit, quod properanter iuxta ac lætanter curatum. Exempti à proscriptorum numero Bugolij fratres, quòd à sectariorum erroribus abhorrerent.

Spargebantur vbique cædes, nec recepta tamen erat à Molucio Lectora; quam dum ad deditionem impensiùs vrget, minasque contumacibus aggerat; repetito tandem colloquio, ac omni fraude semota Bri-

Variæ in Occitania Vrbes ab Hæreticis captæ. Vbique repetita sacrilegia.

Monlucius Pennam capit.

Scomma in sectam in Sacerdotum martyria.

Monlucius Lectoram inuadit.

Filium periculis obiicit.

Hostiles dolo.

Sectarij proditione vtuntur.

Ideo perimuntur Monlucij iussu.

Lectora deditur.

montius Præsidiariorum dux certis conditionibus deditionem facit; Monlucius, quam dederat fidem exoluit, cuius etiam fortitudini, fortunæque cessit Caumontium castrum ad Garumnam, tametsi cõtra vim munitissimum; quod in fidam stationem nobiles plerique delegerant, ex hoc prospecturi elusurique belli turbines. Captorũ bona in prædã militi data, Caumontij tamen Dominus sine damno abire permissus. Rebelles interim per Bricomontium in Angliam missum maturare sibi auxilia satagunt, dum Pictauio & Biturigibus ab Rege receptis, Regius Rotomagum transportatur exercitus, in quo censa peditum millia sexdecim, Equitum duo. Positis ad vrbem castris, vt vtriusque partis cædibus parceretur, Rex, qui tum aderat, deditionem per tubicinem imperat, nihil tamen ab obsessis impetratum contumaciam alente Gabriele Duce Mongomerio, qui tentatam priùs ab Aumalio ciuitatem strenuè defenderat; Aderat & Lanoyus Motuillerij Dominus pro Condæo contra Matignonum, Aumalium & Strampæum Duces. Bullonius Dux Caluinianis addictus, & Mongomerio infestus varias in partes distrahebatur, nunc sectariorũ rebus impensiùs studens, nunc grauiùs incõmodans, dum vnà Mongomeriũ attereret, indéque fiebat, vt ab vtraque parte pateretur hostilia, vtriusque hostis, dũ neutrius esset. Abruptũ iam commerciũ erat vago circùm & palabũdo milite: Supremæ curiæ Magistratus excesserant, restabat vrbs sine lege, ac Rege Et quod deploratius est, sine Deo, cùm eius cultũ ablegasset, Mõgomerius illuc cũ collectis ex Anglia peditib. multis, selectis è Gallia octingentis, ac trecentis equitibus intromittitur; ingentibus vtrinque pugnatum est animis, variante vices, ac cæsorum numerum exæquante belli fortunâ; murales interea displodũtur machinæ ruinamque mœnibus imprimunt, quam cùm tutò sarcire non possent obsessi, Regius miles hinc erectior factus mœnium summa confestim occupat, tum superiorem Hilarianæ portæ partem disiectis muris inuadit. Sed prosperè parùm, & hanc à promiscua obsidentium obsessorumque strage sceleratam appellare nil vetat, cùm apud Romanos Capenæ portæ id nomen inhæserit; quæ in cõsimilem lanienam Fabiorum gentẽ emiserat.

Hæretici auxilia petunt ab Anglis.

Pictauium & Bituriges ad Regem redeunt.

Rotomagum Rex ad obsequium inuitat.

Bullonij Ducis alternantia Studia.

Rotomagum à Mongomerio defenditur.

Catholicorum strages.

In hac velitatione quid Ludouico Ciuili cõtigerit reticere nefas esset, cùm prodigio affine aliquid narraturus sim. Adolescenti prima Martis rudiméta vix prætergresso, post bellicæ fortitudinis specimẽ datũ, masculæ pariter tolerãtiæ relinquẽdũ erat monumentũ aliquod. Huic ergo, cùm maxillã glãde plũbeã traiectus semianimis in fossã corruisset, nudato vestib. (mortuus enim putabatur) vt & aliis interfectis terra ingeritur. Interea seruulus qui herũ in equo præstolabatur anxiè quæritare, imò & quiritari quid Ciuili suo factũ esset; terrã iã obrutũ respõ-

Stupenda res in Ludouico Ciuili.

sat Mongomerius. Seruus aut coram cadauere sortem & orbitatem defleturus suam; aut, cùm superstite frui minimè posset, arctè complexurus extincti reliquias; aut arcano Numinis actus impulsu ad heri tumulum de nocte proficiscitur, terram eruit, succutit; tabida iam & tetrum odorem inhalantia cæsorum cadauera diligenter explorat, nihil nisi ferale deprehendit, nullum in corporibus quippe vita cassis residentis animæ signum, nullum in tot vultibus reliquum prioris formæ vestigium; deformauerat scilicet & æquauerat omnia fatum. Tum puer, mene hinc recedere incomperto Ciuili meo! & exire miser cogebatur inculcatâ cadaueribus omnibus terrâ, cùm ad Lunæ radios horum vnius in digito effulsit adamas annuli palæ insertus; accurrit illico puer gemmamque herilem, & herum ipsum agnoscit, os ori applicat, num quid animæ foret, exploraturus; dum anhelitus aliquid subesse comperisset, hunc equo lætus imponit; atque eo vsque curatus est ægrotus, dum mortis abesset periculum. Exin personata mors illusit iterum adolescenti; capta enim vrbe, è cubiculi fenestris per lixas in aream deiicitur, vbi fimo exceptus triduo toto tanquam expers vitæ iacuit, tum ab amico in suburbanam villam delatus fomentis adhibitis ita demum conualuit, vt post tam varios casus, tot rerum discrimina quadraginta vixerit annos. Clementer sanè Ciuili, necnon ciuiliter à morte factum esse constat, optarent non pauci sic emori, vt tot annorum in spatia vitam extenderent.

Ciuili à morte ciuiliter factum.

Hoc in obsidio Nobiles, militum, Ductorumque partes certatim obibant; maximè cùm vrgeret tum Regis præsentia, tum iuges incenderent Nauarri labores, nihil majestate indignum rati gnauum interdum præstare militem. Hic dum aggeres & munimenta de more lustrat, plumbeo globo transfigitur, & 26. Octobris, in lecto in quo æger iacebat succollantibus Heluetiis per impressam muro ruinam triumphantium more in recuperatam iam vrbem inducitur, fruiturus nempe quanquam haud ita diu parto ab se victoriæ fructu; illinc aliò amœnioris aëris causa deuectus; corrupto per Medicorum inscitiam vulnere, Ecclesiæ Sacramentis, cæterisque pietatis adiumentis instructus Catholico more, fato concessit, quinto posteaquam vulnus acceperat, die; ætatis anno quadragesimo secundo, benigniore certè dignus exitu, quanquam honoratiorem sortiri non poterat, pro Deo, pro Religione, pro Rege, pro patria generosè defunctus. His autem virtutibus inclaruit, quas ignorare Gallia minimè potest, cùm eas, ac seipsum pariter in Henrico filio descripserit, qui binis fratribus in infantia præmortuis superstes ad Galliæ decus post Patrem effloruit, maior longè futurus, ni à Ioanna Matre nouis erroribus innutritus

Nauarrus lethaliter vulneratur.

Piè moritur.

fuisset, sed à pestilenti tandem hoc lacte depulsus, in Ecclesia Romana non Christianissimi tantùm, sed & Catholici Regis partes piè & constanter impleuit. Rotomagum cum Regina & senatu per ruinosam muri partem intromissus est Rex, biduo toto facta militi prædandi copia saluo tamen Virginum Matronarumque pudore, quibus per immissos ab se præsidiarios cauit diligenter Regina, in hoc sexus sui amantissima, vltra quem aliquoties progressa; hoc in obsidio quæ virorum sunt heroïna peregit, militum ad rem strenuè gerendam hortatrix perpetua, ad cuius imperium displosæ ducenties murales machinæ, tamdiuque continuata mœnium verberatio, dum fatiscerent, aditumque obsidentibus præberent, quibus, vt ordinatiùs in vrbem irrumperent, præcepta quædam è scientia militari petita, haud ignara huius artis tradiderat.

Rex per muri ruinam Rotomagum intrat.

Mascula Reginæ fortitudo.

Rege, Regiisque victoriæ fructu potientibus, habita est de perduellibus quæstio, supremæ Curiæ Senator capite minuitur, Vincentio Grucheto, Soquentiæ, Natali Cotoneo Bertonuillæ Consiliariis vrbis irrogata est pœna, Ioannes Crozius qui Anglos in Gratię portum intromiserat, vt perduellis violatæ majestatis compertus, pernicibus equis quatuor distractus, Marloratus excucullatus monachus Sectæ Minister suspendio necatus; complures alij ob communicata cum Anglis consilia, coniurationem capite luerunt, quatuor armatorum millia ex vtraque parte conceidisse Gallici referunt annales. Desiderati præsertim è Catholicorum parte Andouisius Benearnensis Dynasta, Carolus Rupifocaldius tantò Romanæ fidei adstrictior, quantò germanus eius infestior. Ille Randani Toparcha, peditum Magister, ex vulnere ad Auaricum accepto tandem interiit, nihil lethali hac tardatus plagâ, quo minùs Rotomagum vsque Regium comitaretur exercitum, & muneris sui partes obiret, quod post eius necem Sebastiano Lucemburgio Martigio à Rege transmissum. Sancolombanus Benearnensis, qui postrema vrbis aggressione in eam irruperat, Montiumque propugnaculum vi ceperat, in hac quam sibi pepererat gloria conquiescens, viuere desiit. Sic copioso sanguine vtrinque profuso Rotomagus stetit, aut Rotomagensis potiùs perduellionis compressus est furor. Mongomerius Comes, cuius præsertim caput petebatur à Regiis, celerem ingressus triremem, quæ auxiliarios Anglos vexerat, inter crepitantium pilarum grandinem, quas victor exercitus immittebat, euasit incolumis, Columbarius cum pauculis sibi necessitudine iunctis, repentina fuga salutem expediit. Dieppenses, qui Rotomagensibus catapultarios quadringentos nullo operæ pretio submiserant, quippe fortiter à Danvilla repulsos, iustam Regis indignatio-

In furcam acti Proceres Rotom.

Marlorati Ministri supplicium.

Cæsi Catholici.

Randani Toparcha ex vulnere moritur.

Sectarij periculum vitant.

Dieppenses veniam postulant.

nem subiicerit, delictorum vt sibi gratia fieret per supplicem libellum postularunt à Rege; tùm vt omnem ab Anglis insulam suam repetentibus iniuriam arceret, postremò vt conuentuum agendorum sibi concederetur potestas; quod postremum abnuit Rex, cùm reliqua benignè suo more indulsisset.

Præsidiarij Rotomago impositi.

Recepta itaque ab Rege Vrbs est, ac destinatis eò præsidiariis contra perduellium communita est fraudes; impositi per Mommorancium Annæ filium qui arcem custodirent, pedites trecenti; quorum Dux Ricauilla delectus. Cadomenses ad Regis iussa inflexos par excepit gratia, dum Sectæ Ministri facesserent, interdicti cœtus publici; atque ita tum vi, tum deditione quæ clementi Regis indoli longè acceptior erat, recuperabantur paulatim vrbes per rebellionem distratæ. Interea Mongommerium anxiè torquebat belli sors Regiis supra modum partibus famulata, angebatque præsertim Dieppensium deditio, quam vrbem subdolis artibus recuperare nitebatur; clam ergo, quia consilia semel detecta vanescunt, cum Vascone quodam Ordinum ductore & Catauilla è vicina nobilitate, doli ausique capacibus viris, de intercipienda seriò vrbe edisserit; nec repugnantes eos habuit quippe præruptæ audaciæ viros, In vrbem igitur paucis aduertentibus intromissi, præsidiarios regios adeunt, quorum fidem promissis ingentibus sollicitant, & præsenti pecunia corrumpunt. Sequuta Ricauillæ mors, mortem verò vrbis recuperatio, victoriam postmodum rebellium audacia, nec emptæ tantùm excubitorum fidei vrbis ascribenda iactura; sed præfidentiori etiam Ricauillæ securitati, cui cùm omnia quamuis tuta timere in hoc rerum articulo congruum fuisset ad subdolas hostium machinas quæque iis inessent pericula non satis attendit, quasi verò semel debellati pro inertibus habendi sint semper, & non redeat victis interdum in præcordia virtus. Dieppa per malas artes potiti sectarij, vires ad maiora longè molienda ab Germania petunt, obtinentque. Collecta inde auxilia dum Andelotus ad Bacaram lustrat, adest illico qui numerum augeat Portianus Princeps ductis secum Equitibus centum. Ferunt Germanorum exercitum nouenis sclopetariorum alis conflatum, quæ ter mille trecentos equites; duodenas peditum cohortes, hoc est quaterna conficerent millia; His præerat Marescallus Hessius, quibus, ne in Galliam penetrarent, Regias vires opponebat Sanctandreanus, qui Trecas aduenerat cum nouem cataphractorum, tredecim leuiorum equitum alis, & legionariis Picardiæ militibus. Dux verò Niuernensis Campaniæ Prorex cum quatuordecim item cataphractorum, sexdecim leuiorum equitum alis, & quinque supra viginti Gallorum peditum

Cadomensibus ignoscitur.

Mongommerius Dieppam recuperat.

Nunquam spernendus hostis, ne victus quidem.

Germani Sectariis auxiliantur.

His opponuntur Sanctandreanus & Niuernensis Dux.

peditum cohortibus pariter obnitebatur. Andelotus cùm obsessas à regiis vias accepisset, maturato tamen opus esse videretur, fraudibus agere cœpit; inita quippe qua per Lotharingiam itur, semita, tum flexo, cùm nox esset, ad dextram itinere per lutulentas & salebrosas vias variis fluminibus sectas Burgundiam vsque transportauit exercitum saluis bellatoribus omnibus & ad audenda cuncta paratis. qui cùm Aureliam attigissent, pars in vrbe quidem, proximè vrbem pars reliqua substitit. Condæum & Admiralium ingenti gaudio cumularunt auxiliares Germanorum copiæ, quas in omnes rei strenuè gerendæ occasiones admouerunt; vnde post direptum S. Cyri fanum, & Issium, quòd commeatum petentibus denegassent; post Castavilanum item captum, vbi ferinum in morem aduersus Sacerdotes sæuitum, Pluuierium oppugnarunt quaternarũ cohortiũ præsidio vallatũ; pugnatum vtrinque acriter est; sed mœnibus, valloque crebra glandium ignitarum emissione disiectis, cedendum tandem hostibus fuit; & victoris imploranda clementia. Ingens inibi vini, triticique reperta vis Aureliam comportata. Præsidiarij milites indecoro mulctati sunt exitu, inermes enim, ne pugione quidem relicto abire ea lege compulsi, vt nunquam se deinceps aduersus Condæum & sectam arma capturos sponderent. Clericis lõgè immaniùs factum, quibus omnibus per varios cruciatus illata nex, centuriones verò bini in patibulum acti.

Germani Burgundiam adeunt.

Oppida ab hæret. capta.

Sacerdotes cæsi.
Pluuierium captum.
Exercitus victoris Crudelitas

2 Aquitania & Vasconia per id temporis non minore flagrabant incendio; quibus contra Perduellium vim opem ferebat Monlucius; cui præpropero, non imprudenti tamen Buria cunctator est iunctus, Hic ob innatam, aut affectatam tarditatem si minùs adimebat omnino, morabatur interdum victorias, atque id iure querebatur miles, cùm in diuturniore bellicorum consiliorum discussione omnis rectè agendi occasio præteruolet, variis tamen Duracium velitationibus aggressus generosè tandem deuicit, nam dum Montauleum cum perduellium cohorte iter intẽderet, & collocatis in medio exercitu obsidionalibus machinis extremum agmen densato milite clauderet, inopinus è tumulo Buria in incedentes hostes detonat, qui cùm perterriti fugam meditari viderentur, Monlucius suos ad insequendum hostem militaribus his dictis acuit. *Agite iam Commilitones; quâ quisque nunc è stirpe prodierit, id edito virtutis experimẽto confirmet. Æquissima tractandi martis nobis est causa, cuius recordatio ne adiumento haud mediocri futura est fortitudini quam innatam vobis aspicio, suspicioque. Pro Deo, pro Rege pugnatis, pro vtroque excubiæ vestræ, pericula, vulnera quæ quanquã molesta sint, suscipiũtur nõ agrè, in infidã verò gentem arma vertitis non Regis modò, sed Numinis etiam contemptricem; gradum itaque*

Res in Aquitania gesta.

Monlucij Oratio ad suos.

Hortatur exemplo. *properè inserte, laxatos imò & luxatos ordines abrumpite, irrumpite, turbate, præsto est victoria, terror hostes inuasit.* Nec plura documentum ipse suis illustre futurus, in hostes prouolat; funduntur primo impetu equites, quodque in desperatis rebus contingit, alij aliò dilabuntur, terga quoque vertunt pedites, dena capiuntur tormenta, totidem peditum signa, quina quóque equitum vexilla, bina hostium millia cæduntur. *Duracii negligentia.* Hæc partim Duracij oscitantiæ tributa iactura, à quo nulli speculatores missi fuerant, qui certa de hostibus reportarent; partim vero solutiori militum disciplinæ, qui bellicis latrociniis prædisque conuehendis exercitatiores longè videbantur, quàm præliis ineundis. Duracius, Mareastellus, Bordetus ex hac clade incolumes euaserunt; complures dum fugam capesserent, aut à Villatieis interfecti, aut Aginnum ad furcam rebellioni paratam abducti, Hæc suo more Monlucius promptè scilicet & feliciter.

Mompenserij studia pro religione. Mompenserius non minùs impensè Catholicorum res accurabat. Hic pacatâ superiore Aquitaniâ, Mediolanum Santonum, vnde perduelles effugerant, præsidiariis ritè communit, Catholicos ritus reuehit, nouos expungit; Rupellæ sacras Diuorum icones restitui iubet, sectæ ministeria proscribit, *Monsalbanus rebellat.* Cùm aliæ atque aliæ redirent ad obsequium vrbes, Monsalbanus iugum detrectat, irritoque nisu à Terrida, & Baiordane tentatur; extracta per aliquod tempus obsidio *Baiordanes occiditur.* aliud tulit nihil, quàm Baiordanis eximiis artibus viri fatum præcox plumbeo missili acceleratum; cuius casus, vt Catholicis partibus luctuosus, ita & sectæ gratissimus, quæ cùm manibus instructam se, satis ob editas iam strages ostenderet, palàm fieri voluit constare se eapite, quod sibi contra fas, æquumque imposuit, Antonium enim *Secta Crussolium in caput eligit.* Crussolium ex aula reducem Septimaniæ Ordines Præsidē imposuere prouinciæ; atque vt nouum illum Prouinciæ Rectorem, non honore; nec enim is à perduellibus tribui poterat, sed honorum fumo pascerent, solenni per vrbes pompâ circumducunt. Hæc cùm ad minuendam Regis Majestatem, & stimulandam eius irem comparata essent, non tamen iustam in vindictam exarsit Rex optimus, sed pro- *Oblata Regis venia fruuntur aliqui.* positâ per literas præteritorum veniâ contumacium mētes ad æquum & pacem inflectere statuit, dum obliteratâ nouâ religione vni Catholicæ adhærerent. Vsi sunt regiâ prudentiores quique indulgentiâ quos *Molestum id Condæo.* inter Carolus Pienna Belgij & Bellauilla Santonum reguli ab iniustis deinceps armis temperarunt, quod Condæum supra modum pupugit veritum ne, ne distractis à secta proceribus regiam sic gratiam au- *Exit Aurelia Ministris stipatus.* cupaturis, rebellionis vires euanescerent. Aurelia ergo digreditur nutantes perduellium animos confirmaturus, exeuntis latus stipabant

quinquageni nouæ persuasionis ministri tenellum adhuc reformatorum gregem eius in tutelam communibus votis offerentes, nec defuere conceptæ ad Deum preces, quibus flagitabant, vt potentissimo sectæ propugnatori vires daret ad profligandam Papistarum religionem idoneas, vtque sospitem eundem reucheret innumeris bellicorum facinorum laudibus cumulatum, onustumque Catholicorum spoliis. Inter hæc vota Picheuerium abit, ac per deditionem occupat; obsequium deferentibus oppidanis parcere secta debuerat, sed non placebat illi vsquequaque victoria, hanc nisi Sacerdotalis perfudisset cruor; nam milites quidquid illic ex ordine Sacro compertum est, immani laniena fœdarunt. Verso aliò marte Stampas deprædatur nihil aut perparum resistentes; non ita Corbolium ad Sequanam oppidum, frustra, quippe minimè cessurum, muralibus tormentis impetit; Soluta obsidio est Sanctandreani Marescalli opera cum ingenti mœrore Principis nil desperantis tamen, sed ad maiora aggressuri; inde enim Lutetiam mouit, quam tentasse vt & alias principes ciuitates affatim laudis est; in magnis quippe voluisse satis est, tametsi par operæ non responderit fructus.

Picheuerium capit. *Laniantur Sacerdotes.* *Corbolium resistit.*

Multis autem Condæus, sed inanibus causis inductus Parisios iter intendit, In magna quippe ciuitate in qua plerumque certant ex æquo virtutes cum vitiis, complures nacturum se sperabat, quos partibus suis adiungeret, quique promissis ingentibus onerati darent aliquid amicitiæ, populi mentem sollicitarent, & à Regis partibus abducerent. Certò item sibi persuaserat, idque suaderi cunctis auebat, Regis exercitum in componendis Normanniæ rebus intentum non adfuturum tempori ad vrbis tutelam, se autem vrbe potitum, eius armamentario, & quod in votis erat præcipuè, eiusdem opibus potiturum; ex imperatis quippe infinitæ penè multitudini tributis collectorum se magnam pecuniarum vim, communitumque hoc belli neruo reformatorum exercitum fortioribus ausis parem futurum. Fluxam hanc Principis spem crebris verborum blanditiis sustentabant Caluinianæ Sectæ Ministri in Parisienses odio inflammati, quòd, quas ipsi apud sectæ suæ cultores conciones habuerant, insectati fuissent perpetuò. Vsque adeò in antiqua tutanda religione constantes fuerant. Dissuadebant Admiralius & Andelotus, & oppositis ex aduerso rationibus cogitata Principis refellebant; exploratum quippe esse Caluinianos omnes non modò manifestos, sed quos vel exigua nouarum opinionum afflasset aura, ex vrbe deiectos; item non facilè induci posse ad nouas defendēdas partes ciuium animos, quos tam arcto vinculo Romana colligaret religio. Rotomagense obsidium è Regis

Lutetiam inuadere cogitat. *Dissuadetur. Rationes propositæ quænam?*

Regiorumque voto, fortuna, vt aiebant, comite profligatum; an ipsum eadem Parisiis fortuna desertura sit, manifestum esse cui possit? non procul esse exercitum, qui regium ad nutum aduolaturus sit. Deinde vastissimæ oppugnandæ ciuitati impares esse sectæ vires, nec paratum satis bellicarum rerum instructum; non plures quaternis suppetere obsidionales machinas, exercitum languidum, pecuniâ, re frumentaria, reliquoque commeatu defectum. Verùm anteoccupatus Principis animus ad hæc monita obsurdescebat; maturandum erat, quia sic iudicabat; iudicabat autem quia id maximè appetebat, nec assentatores aberant, quorum est in rectas prauasque Principum cupiditates iurare, quasi verò fas sit in Principe, quod apud alios est nefas. Condæus itaque lustrato exercitu bellicoque cõmeatu instructus Lutetiam inuadit, sed euanida eius diffluxere vota, quia apud Parisienses detecta, norant enim hunc imminere cum copiis, iamque S. Victoris suburbia vallo fossisque contra eius impetus communierant, Rex Regina & Copiarum duces consiliorum Principis haud ignari Lutetiam adierant, expectabatur itaque magis quàm timebatur Condæus, qui ad vrbem approperans, in Salsaiensi Virginum cœnobio consedit, terruitque imbellem & adstrictum Deo sexum non læsit tamen, nuntiato quippe eius aduentu Moniales tutam se se in stationem receperant. Hoc in cœnobio tribus passuum millibus ab vrbe distante nonnulli de pace iniecti sunt sermones, & Regina ad portum Anglicum cum Principe de ineundo fœdere collocuta est, vtinam inter eos conuenire potuisset, Regias Sectariis gratias aggerari postulabat Condæus, pernegabat Regina, Ille igitur propiùs copias admouens, in S. Victoris suburbium irrumpit, trepidationem præsidiariis infert, cúmque armatos ex aduerso festinantes terga vertere coëgisset, victoriæ augurium ex hac fuga ceperat, ni è degustata illa spe à Guisio deiectus protinus fuisset, qui trepidantium ex vano Catholicorum animos ad perpetienda grauiora, maiora verò pro patria molienda, militari, quam habuit, oratione firmauit.

Perstat in sententia Condæus.

Lutetiam aggreditur.

Timetur principio.

Spe deiicitur.

Non hîc prætermittenda videtur Philippi Strozzij fortitudo atque constãtia, qui cùm ad roborandã equitũ leuis armaturæ turmã cũ mille ducẽtis peditibus accessisset, fecit sanè quod cõstitutã in arcto præstantissimorũ Ducũ virtutẽ non æquet modò, sed & superet, cùm enim desertus à suis, Hugonotorũ verò copiis vndique cinctus, malè sibi, ac cum ludibrio pereundum intelligeret, inclinatã sortem in audaciã vertit, nam alatæ moletrinæ maceria, quæ in proximo erat, circunseptus, adeo fortiter ex hoc luctatus est vallo, vt inde dimoueri nunquam ab hoste potuerit. Nec propterea Condæus despondebat animũ obsidionis opus hoc perurgens auidiùs, quò certiorem victoriæ spem fecerat

Strozzij Virtus inter hostes herculea.

Condæus inuadit iterum.

obsessorum consternatio, eadem itaque suburbia variis è locis iteratâ irruptione aggreditur eâ Ducū militumque pertinaciâ,vt tam acribus belli cœptis vna defuerit felicitas,quæ ingentes fortium bellatorū conatus non semel elusit. At cùm arduū esset amplissimam hanc ciuitatē sub iugū mittere cùm Parisienses acriter in obsidentes irruerent,ac iugibus maiorū pilarū emissionibus rebellis exercitus latera tūdētes hostiū cōplures in frusta minutatim conciderent, Condæus reuocatis inde copiis tutiore in loco castra collocare statuit, quod cùm ob imbriū copiā,intensâque frigoris vim cōmodè exequi non posset, quadripartito exercitui totidē stationes adscripsit, in quibus luculentis excitatis ignibus,displosisque horrendo boatu cāpestribus machinis,ne metum quidē Parisiensibus fecit; tanta enim vrbis,ciuiūq; securitas erat,vt hostiles impetus omnes spernerent,vt consuetis scholæ muneribus minimè supersederent dicendi Magistri, nec eruditæ Palladi armata Pallas officeret; extra mœnia vis pugnantiū ferè bellicusque furor æstuabat, qui non multò pòst elanguit,cùm enim instructâ Condæus acie æquā ad dimicationē regium agmen euocaret,ac experiri cū hoste Guisius & Comestabilis vehementiùs optarēt, incēsa vtriusque partis studia Regina cōpressit,misso ad Condæū Gonnorio primùm, tū Rābouilleto, deinde Valentino Præsule,vt eū ad ineūda pacis fœdera sollicitarēt,Et principio quidē arrisit oblatæ pacis mentio,sed turbulentis Ministrorū concionibus,quasi pestilenti quodā sidere tacta confestim exaruit oliuæ huius viriditas, hi enim cùm Catholicos ad pacis consilia pronos spectarēt, quod eorū virtuti pacatisque moribus ascribendū iure videbatur,imbecillitati inertiæq; falsò tribuerūt;atque in eos tanquā enerues restaurata sunt acriùs belli studia,sed refrixere illico deficiente militū donatiuo commeatuque bellico;soluta itaque obsidio est;atque id priusquā fieret,quod cū morte conflictātibus plerūque accidit,vt ante postremū agonē vires colligant aliquantò maiores,quanquā momēto lapsuras; idē à rebellibus tentatū annales memorāt,coactis enim quatuor peditū millibus quasi redintegratæ vires forēt,in S.Germani suburbia postremò irrūpere statuūt;sed Guisianarū copiarū excubiis territi,ac Ducis ipsius diligentiâ vigilias omnes circuire, hostilemque incessum explorare nunquā cessantis,serò tandem didicerūt Lutetiæ sub iugum mittēdæ qua in vrbe Rex erat,quā Regiis auspiciis Guisius propugnabat impares longè vires suas, vnâque post tot susceptos labores restare gloriā si minùs interceptæ,tentatæ saltem amplissimæ ciuitatis.

Parisiensium ardor & securitas.

Soluitur obsidio.

Postremus hostium conatus.

Auxiliares tum opportunè à Monlucio missæ sunt ad Regem copiæ è Vasconibus & Hispanis conflatæ quibus nihil optatius erat quàm dimicare cùm hoste,verùm sectarij nihil cum integris & curatis

Haeretici loca quædam occupant.

recens militibus experiendum esse ducentes, vasa conclamant illico, Montem rubrum, Arcolium, Cassanum, Sancti Antonij pontem incendio vastant, Sancti Arnoldi castrum diripiunt, sacerdotibus necem inferunt, ingentibus cruciatibus ludibria addunt, morientes mordacibus sannis lacerant; illudebant quippe Ordini sacro, dum Ecclesiasticos mystas vinculis constrictos pecudum more impacto sæpius baculo ad lanienam truderent, aut lentiùs incedentes sarcinariis iumentis medio corpore illigarent, capite & calcibus hinc inde pendentibus ligneorum fascium, aut manticarum in modum. Hostes annonæ penuriâ pressos regius fatigabat exercitus ductore Mommorancio, o, em & autoritatem addente Guisio; iamque Belsiam vsque fugientium tergo regij bellatores instabant, cùm in vindictam Condæus vehementiùs exardescens inuadendæ secundò Lutetiæ consilium iniit; verum intercessit Colinius affectuum in Principe moderandorum artifex, segnem quippe Germanorum operam fore ostendit, promissa stipendia lentiùs repræsentari querentium, ac bellicarum rerum administris turpe esse ducentium pauculis æris ramentis, quæ vna militum merces est, parcere velle, cùm ipsi nec corporibus nec vitæ ipsi parcendum esse ducant, quam millenis obiectent periculis sanguinis prodigi, dum expectata diu bellorum præsidibus constet gloria, quæ vnica fortissimorum virorum est seges. Addebat Colinius copiosiore cibatu egere procera hæc corpora, accipiendis quàm infligendis plagis aptiora, vereri itaque se, ne si commeatus accederent angustiæ, in apertam defectionem Germani erumperent, consultius itaque fore si in partis tuendis, quàm nouis quærendis diligentiùs Condæus insisteret; maturandum ergo dicebat, & vitandas confestim paratas ab hoste insidias; Neustriam festinatis itineribus adeundam, indeque peditatum simul & pecuniam ab Anglorum Regina opperiendam; simul ac Germanorum in manu nummus effulserit, pristinas in præcordia vires immigraturas. Præpotuit hæc Admiralij oratio arreptis præproperè Lutetiæ denuo tentandæ consiliis, & qui Regios inuadere meditabatur Condæus, ab Regiis ipse cum non exiguâ suorum clade circumuentus est; illi enim, priusquam arma cum Anglis auxiliaribus consociaret, Principem adoriendum esse statuerunt, quò certiùs & minore cum periculo frangerent. Et præsensisse non modò suam, sed suorum etiam cladem vetulæ cuiusdam admonitu scriptores referunt; vnde autem hæc missa, quóve spiritu afflata fuerit, haud satis liquet. Cùm ergo copias suas traiiceret Princeps, occurrit ex improuiso, annosa mulier, seque in aquas papillarum tenus immittit, arreptisque Condæi ocreis ipsum sistit, tum

Sacerdotibus illudūt.

Condæus iterum Lutetiam oppugnare statuit. A Colinio reprimitur.

Proponuntur rationes.

Regij Condæum aggredi statuunt.

Quæ monita Condæo dederit anus?

horridiore in eum vultu conuerso, Phœbadis instar ab Apolline infessæ furentique par. Heros (inquit) quanta tibi toleranda supersunt, quantæ exsorbendæ difficultates! sed propitius aderit Deus, qui sospitem præstet te, ac periculis omnibus expediat. An id oraculi loco duxerit Princeps, incertum; nihil ad hæc respondit, orauit tantum fanaticam anum, vt pro se suisque Præpotenti Numini supplicaret.

Anile hoc monitum horribilis subsequuta est per quietem vaticinatio, aut somnium potiùs quod Theodoro Bezæ denarrauit. Visus est enim sibi terna conserere prælia, atque in his cæsos esse Triumviros, (Triumviros autem appellabant vt antè dixi Sanctandreanum Marescallum, Guisium Ducem, & Comestabilem) quarto autem inito prælio lethali se plaga traiectum immixtumque interfectorum aliorum corporibus animam exhalasse. Atque postremum id anxium mirè habebat Principis animum ægrè discessurum è vita, solabatur autem hoc maximè, quòd præmortuos hostes suos longè infensissimos, victor, aut vltor potiùs insequeretur à tergo. Huiusmodi somniorum aut spectrorum monitis etsi fortasse tribueret aliquid, plus tamen in armis reponebat fiduciæ, quæ in Drocensi proximè prælio Regiis terrorem & cladem intulere principio, at sub finem Condæana prostrata est acies, Regiisque asserta victoria, quæ res vti se habuerit, paucis expediam. Regius exercitus simulatâ Aureliam versus profectione Stampas rectà processit, illinc ad dexteram flectens, inclinato ad finem Decembri, Mezeram appulit. Vicus est ad Vræ fluuij crepidinem situs, qui irrigato Carnutensium Druidumque solo, à læua in Sequanam deuoluitur; hoc in loco certò nuntiatum est Condæanos transmisso flumine ternis non ampliùs leucis distare, quare Mommorancij iussu, cui bellicarum rerum cura post Nauarri necem tradita fuerat, Regij conticentibus tubis tympanisque noctis silentio, traductis secum tormentis amnem tanta celeritate transmiserunt, vt Condæo stuporem iniecerint, rebellibusque metum, non felix satis ex occulta hac Regiorum festinatione captantibus omen. Quare Guisij felicitatem, qui cum Mommorancio aderat, veriti, cecidissent animis omnes, Germani præsertim quibus vitam absque militari pretio imminenti cladi obiicere duriusculum esse videbatur, hos nisi Princeps fortunatiora iuxtà ac duriora sperare iussisset. Certe Admiralium ipsum præcautiùs, ne dicam fraudulentiùs bellica cuncta tractantem perterruit omnino inopinata Regiorum præcipitantia Droco iam imminentium, quod oppidum spe iam deuorauerant hostes, spemque eius breui potiundi fecerat Perdrierius Baubinius, qui in exercitu erat.

Condæi somnium.

Triumviri qui?

Drocensis pugna.

Regiorum celeritas.

Cùm in eo res essent, reditum in Germaniam meditabantur Protestantium aliqui, nisi fiduciam ex equitatu regio non satis firmo sumpsissent, iisdemque animos addidisset Condæus, qui totius rei bellicæ summam Admiralio tractandi Martis scientissimo tradidit. Hic in prima acie quinquagenos supra trecentos crupellarios habuit, quaterna Germanorum Equitum vexilla, sena Germanorum peditum signa, Gallorum bina. In secunda acie quinquaginta supra quadringentos clibanarij numerabantur equites, sex equitum Germanorum vexilla, signa peditum totidem. XII. Gallorum; equitum item sclopetariorum vexilla sex, quibus Guillelmus Cureus præerat. Condæus postremum claudebat agmen. Exercitum verò totum componebant octona circiter peditum millia, quaterna equitum cum tormentis maioribus binis, colubraria canna, & campestribus machinis aliquot. In Regis exercitu sic à Mommorancio composita erant omnia, vt in prima acie censæ fuerint XIX. cataphractorum equitum turmæ Hispanorum peditum signa XIIII. veteranorum Gallorũ XXII. Germanorum XI. æreæ catapultæ maiores XIIII. His autem Sanctandreanus præerat. In secunda pro muro stabant Heluetij Mommorancio Duce. In postrema, quam regebat Sansacus, cataphractorum equitum vexilla numerabantur XVII. Leuis armatura omnis, Heluetiorum XXII. Gallorum verò peditum signa XVII. octonæ maiores machinæ. In toto denique Regis exercitu recensita sunt peditum millia XVI. equitum circiter millia duo.

Sectariorum Exercitus quantus?

Regius Exercitus.

In hoc autem aduersantium armorum apparatu vtrinque peccatum esse scriptores affirmant; ab regiis quidem, quòd cùm peditatu præstarent hostibus, equitatu verò cederent, aciem tamen in vasta Drocensis agri planitie collocassent, cùm Trionem qui locus collibus tumulisque aspertimus erat, quò ipsi etiam hostes accelerabant, deligere potuissent peditibus, quos complures habebant, longè tutiorem. Culpata verò sectariorum segnities in mittendis exploratoribus ad introspicienda regiorum consilia. Grauior tamen hostium lapsus Henrici magni iudicio, qui hæc post multos ab hinc annos inter aulicos enarrabat; nam cùm Condæanus eques in Regium immitti debuisset, in Heluetiorum potissimum agmen incubuit. Ceciderunt initio solutis ordinibus Heluetij ab Germanis occisi, serpsissetque latiùs strages, ni Danvilla confestim laborantibus auxiliator aduenisset. Feliciora aliquantò belli primordia se se Condæanis aperuerant dilabentibus Mommorancianis equitibus, saucio, captoque Mommorancio ipso, cuius rei fama Parisios vsque perlata gratantibus Caluinianorum animis accepta fuerat. At Admiralio tametsi afflictæ res hostium viderentur,

Vtrinque clades.

Capitur Mommorancius Comestabilis.

rentur, non tamen omnino prostratæ; Condæanis enim Guisium suis septum volonibus integrum ac valentem oculo manuque designans; Hanc (inquit) milites videtis nebulam cladibus nostris fœtam; simul ac in exercitum nostrum irrumpet, quàm crebris, quámque certò directis in capita nostra fulminibus detumescet; Oraculum fuit hostibus infestum, His cùm hactenus velificata fuisset belli sors, cùm captus, saiciusque Bellouasius esset, Aumalius equo deiectus, reliqua pessum iret acies, indolere visa est sors eadem, quòd Regis hostibus aduersus Regem ipsum suffragata diutiùs esset. Exeruit itaque se se Catholicorum vis; Heluetij quasi nouo collecto robore Germanos fuderunt fugaruntque pedites; tum versos in se equites sarissis oppositis alacres represserunt, in quos dum Moius insilit, à ternis Bironi turmis debellatur, capiturque. Peracta iam erat nonnullorum gloria ob rem ab ipsis fortiter gestam, Guisiana testabat, atque eò amplior; quò propter captum hostium ducem futura erat felicior. Aderat ergo Guisius cum suâ equitum alâ tot insignes à se partas victorias vnâ hac potissimum cumulaturus; & id sperare iubebat Romanæ religionis quo flagrabat amor studiumque nullis vnquam obiectis sibi periculis imminutum. Hic ergo Germanos pedites & Vascones Sanctandreano ducente in Condæi peditatum impressionem facere iubet, sequuti confestim Hispani, à quibus ingens hostibus illata est clades, Nec mora Guisius, Danuilla fortiter in equitatum irrumpentes; hostium turbant ordines, confusósque profligant; integratur à Condæo & Admiralio cum ducentis equitibus pugna, terga vertunt Germani, Condæus equo suffosso, cùm in alium enititur, capitur à Danuilla, capitur item ab Admiralio Sanctandreanus, cúmque ab hostibus duceretur, sclopeti glande in capite ictus moribundus concidit hæreticæ perfidiæ documentum. id probro datum Admiralio, qui hunc interfici iusserat, cuius quanquam infesti sibi virtutem non mirari modò, sed percolere debuerat. Nutantes regios corroborauit Guisius, Stephano Lucemburgio fretus, à quo pedites in auxilium ducti. Pertinaces vtrinque tum aggrediendo, tum resistendo instauratæ sunt vices, in neutram adhuc partem propendente victoriâ, sed postremâ tandem aggressione Colinium animo cocidentem nox aspexit, texit potius hominis dedecus, Guisianis cessit certaminis locus, hostiū signa, tormenta, spolia in ingentis victoriæ trophæum erecta, pugna in quaternas horas extracta Procerum multorum sanguine imbuta est. Periere si quidem è Regiorum parte Sanctandreanus, Mombrunius, Comestabilis filius, Niuernius, Brossius, Giutius, Gilbertus Belcarius Francisci Belcarij Metensis Episcopi, & Historiæ

Admiralij præsagitio de Guisio.

Germani fugantur.

Moius capitur.

Guisius, Danuilla & Sanctandreanus rem fortiter gerunt.

Condæus capitur à Danuilla.

Ab Admiralio Sanctandreanus interficitur.

Colinius cedit.

Guisiani vincunt.

Cæsi ex vtraque parte.

Gallicæ scriptoris nepos, &c. è Condæanis interempti Arpalonus, Liencurius, Chandæus, Sangermerius, aliique complures, vtrinque octo millia cæsa, mille quadringenti Germani armis exuti, ac in Germaniam à Condæo remissi.

Non prætereat calamum mutuus officiorum etiam inter hostes conflictus, quò planum fiat in armatis corporibus, animorum interdum spirare concordiam; Capto enim Condæo, non arrogantiùs insultauit Guisius. sed augusto sanguini, vti par erat, reuerentiam habuit, cui lautissimé ad cœnam habito, cum plura non essent; cubile ipse suum partitus est, hostem in sinum admittere præhabens, quâm hoc non admisso inditám sibi humanitatem excutere. Condæus pro damnis Guisio aut Guisianis inflictis, tam iucunda quietáque mercede potiturus, obuiæ hostis sui benignitati se se tradidit totum, quieuit vterque pacatissimé, tametsi varij inter vtrumque animorum motus existerent, & timeret iuxtà ac terreret vterque. Rarum sanè comitatis spectaculum, vtrique gloriosum, & conferenti amicè hosti beneficiũ, & hosti fidenter ab hoste accipienti; victori Guisio perhonorificum fuit tantam aduersus Principem humanitatem præstare. In hoc enim prælio vnus ab hostibus obseruatus est Guisius, in quem tela distringerent; verùm texit hominem Deus ad maiora seruandum; in Guisij verò proditore cuius latet nomen quique administer eius erat, herumque Condæanorum telis obiici curabat, hostiles resederunt ictus, Hunc vestibus suis Guisius induerat, exploraturus num verè proditor esset, vixque hominem hostium oculis exposuerat, cùm in execrandum hoc caput, quasi verum Guisium crebra initarum pilarum facta est emissio, proditionemque detexit, sic infeliciter cõcidit simulatus Guisius, exeditque quod hero intriuerat malũ. Interea Condæus, mandante sic Rege, in arcem Ambaciæ vicinam includitur fidâ circum excubante custodiâ. Guisio post nauatam tam strenuè Religioni, Regique operam summa bellorum præfectura ab Rege committitur, Admiralio verò munus idem ab Hugonotis. Guisij laudes Drocensis huius victoriæ autoris præcipui panegyrico ad Concilij Tridentini Patres habito Belcarius prosequutus est, ingentesque hoc nomine Deo à Romano Pontifice gratiæ habitæ, supplicationes decretæ; hinc propensior longè visa est erga Catholicas partes Regina, maiorque ab ea hæreticos funditus exterminandi sumpta fiducia. Victoriam illustrarunt excitatæ in compitis pyræ, festáque bombardarum displosione significatum & Regis, cuius certatum erat auspiciis, & eorum qui strenuè pugnarant, glorioséque vicerãt, gaudiũ. Sed quia in nimiæ felicitatis temperamentum aliquod res sæpiùs

Guisij moderatio erga Condæum.

Mutua Condæi erga Guisium humanitas.

Guisij proditor proditus ipse.

Condæus in arcem includitur.

Summa bellorum præfectura Guisio datur.

Eius laudes panegyrico celebratæ à Belcario.

festis ignibus illustrata Victoria.

aduersæ contingunt, inter illa publicæ gratulationis indicia luctuosus accidit Iusti Francisci Turnonij S. R. E. Cardinalis obitus, viri prolixiore vita digni, tametsi octogesimum prætervecti iam annum. Hic expletâ viuendi satietate, non expletis tamen Catholicarum partium votis, diutiùs eum ætatis spatia prorogare cupientium, ad illa quę terris excelsiora norat, quæque gentilitiis insignibus suis bona inscripserat euolauit, quò eum heroicarum Virtutum quasi succollantiū cœtus tuto calle perduxit; Pietas in plerisq; aliis peregrina, in eo domestica semper fuit, accedebat immota in Regem fides quanquam aulicis inuidiæ procellis iactata non semel: verùm Romanæ Religionis integritas sanctissimum Ecclesiæ Principem potentioribus ad se pelliciebat illecebris, hæc nempe drachma præ reliquis omnibus inter eius opes & delicias habita, quam vt puram ab omni errorum labe custodiret, Societatis IESV Patribus, acerrimis hæresum oppugnatoribus Collegium Turnonense recens à se fundatum tradidit. Et constitit illico fructus operæ non exiguus, neque enim segniores inibi gnaui milites egere vigilias, sed statiua castra insomni circuitione lustrantes, quotquot nacti sunt auitæ fidei aduersarios, verbi Dei gladio apprimé instructi aut victos prostratosque abegerunt, aut errorum suorum pœnitudine ductos ad sanctiora dogmata reuocarunt. Quin & per circumiacentes pagos gloriosis vndique reportatis manipulis explicuit se se Patrum labor & industria, perguntque qui recentiores aduenerunt operarij consimilibus per vicina quæque oppida excursionibus Sacri Euangelij semen in subacto Patrum suorum sudoribus solo felici eum prouentu spargere; quæ omnia in fundatoris optimi decus & immortalitatem redundant, cui tanquam victori post Deum præcipuo, quotidiana impietatis deuictæ prostratarumque hæresum spolia referunt strenui Christi IESV athletæ, & in lucrandarum animarum labore socij. Vtinam è tam illustri Turnoniorum familia superstites starent adhuc aliqui, quibus pro tam ingentibus meritis grates debitas rependerent Societatis nostræ homines. Supererat surculus vnus Iustus Ludouicus Turnonius Iusti Henrici filius, quem bellicus haud ita pridem turbo decussit, extinxitque pariter Turnoniæ domus spem reliquam non minùs auitæ pietatis, quàm bellicarum laudum splendore Galliâ totâ percelebris; sed inclytos illos & ad religionem fulciendam concessos à Deo viros complorare faciliùs est, quàm inuenire consimiles. Raptus est autem Franciscus Cardinalis, quo maximè tempore Gallia tot bellorum implicita motibus æstuosâ viri tanti sapientiâ opus habuit, quæ plura longè operæ pretia in cano capite præstat, quàm in

Francisci Card. Turnonij obitus.

Eius Virtutes, Pietas. Fides.

Religionis Integritas.

Collegium Turnon: Soc. IESV. tradit.

Religiosorum Soc. IESV labor & Industria.

Extincta Turnon familia.

Vegeta fundatoris in Patribus memoria. galeato vis & audacia. Eius ossa Parisiis vbi mortalitatem exuerat in Turnonense Societatis IESV templum pij fundatoris iussu translata, vbi non totus obrutus iacet, cuius integra viget adhuc æternúmque vigebit memoria. Stat nempe sua Iusto Francisco viriditas, qui cùm vt palma semper effloruerit, nunquam apud Societatis nostræ viros exarescet.

Annonæum sacrilegiis fœdatur. Verùm dum hîc de Turnone agimus feralibus sanctissimi Cardinalis exuuiis nobilitato, Annonæi non longo interuallo dissiti circunsonant vndique arma. Hoc oppidum cùm in Viuariensi tractu feracissimum sit, hostibus ideò quæsitum in prædam, captúmque innumeris fœdatum sacrilegiis; in sacrarum imaginum direptione, illato virginibus probro, aggeratis ciuium cædibus visa est Caluiniana insolentiùs debacchata licentia, continuatæ ibi diu clades & quod clade *Secta munia Annonæi.* omni deterius fuit sectæ munia in oppido permissa Monlucij Præsulis Valentini rogatu, quem cum Luthero in nõnullis sensisse fama vulgauit, atque vtinam mendax; quòd autem Luthero multi studerent, captatam inde ab iis ingenij doctrinæque famam audiui olim de senibus puer; in tuendo enim pertinaciùs errore lucidiores elimatiorum ingeniorum flammas promicare censebant, quare minimè mirum est, si quos inanis gloriæ pruritus stimulabat vehementiùs, minùs apud æquos æstimatores saperent, dum vnum tantum sapientũ nomen ambirent. Circa Rhodanũ flagrabant quoque partium arma. Lugdunum à Nemorosio frustra obsessum, post crebras velitationes & æquatas *Et Lugduni permissa.* vtrinque clades sequuta vulgataque pax est. Francisco Veteriuillio Regis nomine tradita vrbs à Subisio; obeundis tamen sectæ ministeriis certus aliquis more pessimo destinatus est locus, In Delphinatu quoque eadem belli procella desæuiit, sed Aurelianensibus maior incubuit vis atque tempestas à Carolo Rege vrbem repetente conflata, quæ quidem vrbs Guisio fatalis fuit, & hoc dempto conuellenda penitus videbatur Gallia, ni sua eam seruasset felicitas. Vt autem Aureliam contra Regios Andelotus Admiralij frater defenderet, Germanorum Gallicæque nobilitatis vexilla præmiserat specimen roboris editurus illustre aduersus Catholicarum partium Duces inclytos, quorum manu cecidisse gloriosum foret, quantò præstantius deuicisse *Admiralius Normanniam populatur.* eosdem. Interea Admiralius Regias vt curas in diuersa distraheret, Normanniam fœda populatione vastandam suscepit, eòque Germanos equites bellicis laboribus fessos, ac militari nondum ære accepto querulos secessúmque minitantes ac macie exsuccos induxit, vt in feracissimis regionis huius aruis pinguescerent, illuc etiam concesserat Admiralius copiarum spe illectus, ærisque ab Elizabetha Regina exprimendi.

Hæc coniurati aduersus Regem & Religionem fratres moliebantur, cùm interea melioribus auspiciis, consultoque Deo Aurelianensem Obsidionem maturaret Carolus Rex cum Medicæa Matre recuperandæ vrbis cupidissima, Carnutum ideo cum filio Rege cùm summa hyems esset, proficiscitur. Regios inter Duces eminebat Guisius, qui Sipetræ viribus fultus, occupato rebellium propugnaculo in suburbium ipsum penetrauit, progressuros vltra regios Andelotus repressit; sparsas vtrinque cædes noctis contexerunt tenebræ, pugnamque diremerunt. Admiralius interea grandi ære, delecto equitatu, reliquaque belli supellectili ab Elizabetha instructus, exhaustâ continuatis populationibus Normanniâ suppetias Andeloto fratri maturabat, certa spe inductus obsidionis soluendæ, quam tamen acriùs adurgebat Guisius; iamque eò redacti obsessi fuerant, vt de vrbe Regi reddenda cogitarent, aut obstinatiùs in Regios desperatâ salute postremùm irrupturi viderentur, cùm (nefas) occultam proditionis machinam in Guisium Poltrotus intendit. Erat Poltrotus hic nobili loco Inculismensi natus agro, quod stirpis decus præferoci ingenio versatilique naturâ iam antè corruperat, Hispaniâ ferè totâ peragratâ, Geneuam adiit, qua in vrbe Catholicam fidem eiurauit, vt Caluinianá hauriret; ea autem mentis obstinatione nouos sectæ ritus arripuit, adeoque pertinaciter propugnauit; vt qui olim fuerat, oblitus planè videretur, omnemque veteris religionis deposuisse memoriam. Hunc vt à plerisque narratur, Admiralius & Beza obiectis tum opum, tum nouæ sectæ, quam sic tueretur, illecebris, ad necem Guisio inferendam incitarunt, quin & certa supremæ felicitatis pignora accepturum pollicebātur si modò infensissimum Religionis hostem de medio tolleret. Persenserunt illico è Poltroti habitu vultuque, qui index animi est, quàm non inuitus venatum mitteretur hic canis. Horum enim orationi confestim adhæsit, cœpitque idonea temporis explorare momenta, quibus immane hoc parricidium consummaret. Pecuniâ donatus à Colinio, vnde pernicem ad effugium equum emeret, nonleuem patrandi sceleris suspicionem iniecit, quanquam nec dissimulanter, nec clam id habebat, cum præfractâ passim propalaret audaciâ infestissimum nouæ religioni hostem manu sua intra perbreue temporis spatium enecandum. quò fidentiùs rem silentio tegendam euulgabar, hoc difficiliùs credebatur à prudentioribus præsertim, ardua huiusmodi consilia quò suum sortiantur effectum mysteriorum instar premenda non malè sentientibus. Atque in hoc, licet subdolis Poltroti artibus audacia præceps officeret, in aliis tamen plerisque visus est cautior; nam quò propiùs in Guisij congressum irreperet, eius

Aurelianensis Obsidio.

Vrgentur obsessi.

Poltroti patria.

Immanis naturâ.

Geneuæ sectam amplectitur.

Ad prodendum Guisium sollicitatur.

Subdolæ huius artes.

domesticos aggressus est primùm, horum amicitiam ambire occœpit, praua incœpta variis humanitatis officiis contegens, quin & Catholicum palam se ferens, odiumque aduersus Hæreticos exitiale professus; his artibus mendax iste Sinon Guisianos administros in errorem induxit, haud satis gnaros quanta hero suo pararetur pernicies. quantusque eidem incubaret Dæmon, Dæmonem haud temerè appello, hic enim, vt à Thuano refertur, furias ex Inferorum faucibus euocauit, vt ad barbarum crudeleque hoc facinus manus adiutrices afferrent; & adfuerunt haud dubiè omnes, percussoris ad nutum intentæ, qui peropportuno insidiis loco delitescens, quà Guisium inclinato in vesperam sole transiturum non ignorabat, sclopetum glandibus ternis iisque venenatis instructum in eum sub axillam destinat, veritus, ne si in pectus collimaret, ictus ferreis hamulis, si qui forent, retusus euanesceret. Guisius à Tristano Rostinio cædem inclamante propinquas in ædes infertur, ibi dum lethale vulnus esse à complorantibus medicis certior est factus, ad diuina statim conuersus; quæ Christiani sunt muneris procurari sibi enixè petiit, quò ditiorem longè, quàm Aurelia ipsa foret, cui tantopere inhiauerat, ciuitatem intraret.

Sinon alter fuit.

Guisium occidit.

Christiana sacra Guisius procurari sibi petiit.

Expiatis magno cum doloris sensu animæ noxis, sacro communitus viatico, Regis denique Reginæque collacrymantium præsentia recreatus, vxorem ad se maturare iubet, cui in tam inopino carissimi coniugis fato vix sibi præ mœrore constanti postremas non tam opum, quàm morum suorum tabulas in manus contradit, communibus, quos genuerant, liberis relinquendas, quos eius tutelæ per castos vtriusque amores enixè commendat, maternam quidem in omnes sollicitudinem partiretur, at Henrico maiori natu filio intentiores curas reseruaret, orauitque, vt eum literis imbui Christianisque præceptis conformari studeret; quòd si in erudiendis charis pignoribus segniùs elaboraret, coram Deo contestatus est, si qui culturæ negligentiâ perirent, maternâ incuriâ perituros. Tum conuersa ad Henricum filium oratione postremum id monuit, quod oraculi loco haberi voluit, nunquam tutò illi futurum, si sub Præpotentis Numinis, Regisque clientela non staret, hunc itaque ad metum Numinis, Regis obsequium, & Matris obseruantiam adhortatus est, inculcauit præsertim, ne se vlla inter aulicos sceleris contagione inquinari permitteret; ne malis artibus ad honores & dignitates grassaretur; ne fucata fortitudinis ostentatione, famam optimis tantùm è studiis arcescendam aucupari satageret, obscœnis autem fœminarũ amoribus interdictum illi penitus esse optauit, ignitum hunc carbonẽ esse

Liberos vxori commendat.

Henrico filio pia tradit monita.

Casti moniā commendat.

significans, qui incautos adureret; aut si emortuus sit, attrectantis dexteræ fuliginē induceret; monuit præterea, vt à publicorū munerū ambitu intactum se continuò præstaret, enim verò quò splendidiora, hoc periculosiora esse quæ à mortalibus appeti solent decora, præstare igitur tutam sub lare quanquam modico operosioribus huiuscemodi dignitatibus fortunam. Deinde pauca de se proloquutus, Vassiacenæ stragis inuidiam sibi iniustè conflatam amolitus est; huius se tumultus haudquaquam autorem fuisse, qui eum compressurus aduenerat; si quid à famulis peccatum sit, non continuò regerendum in heros; sibi temperandum ferro monenti iubentique minimè auscultatum à suis, tum orbandam patre familiam Regi, Reginæque commendauit, obtestatusque est, vt pacem cum hostibus componeret, adeò regno vtilem, vt qui eam nolit, hostium in numero habendus sit. Hæc cygnea voce constanter effatus terrenis postmodum abdicatis rebus, ad æterna mentem conuertit, & insignibus editis Christianæ pœnitudinis, pietatisque signis, tertio quàm lethalem plagam acceperat die, viuere desiit immortalem vitam auspicaturus.

Vassiacenam stragem excusat.

Pacem Regi suadere nititur.

Piè moritur.

Atque hic Francisci Guisij lugubris, veréque tragicus finis, fluxæ Magnatum Vitæ documentum non leue fuit, in quam nimium quantum vilibus etiam capitibus liceat. Vir fuit omni præconio maior, aduersus quem infesta virtutibus allatrauit inuidia, non dentes tamen infixit; rei militaris scientissimus, pacis tamen artibus cupidiùs studuit, rara in eo prudentia, fortitudo inuicta, felicitas constans & ad lamentabilem vsque casum famulata; sed nec omnino ferales eum inter cupressos reliquit, lauros aggerens, quas ipse sudoribus suis & hostium cædibus frequenter irrigarat. Huic inter alia pleraque Ambacianam coniurationem detectam, oppressamque gratulatur Gallia vniuersa, vt & prouectas Orthodoxæ religionis res omnes, Caluinianæ verò disiectas. Drocensis pugnæ laus huic vni secundum Deum tota tribuitur, quæ illustri victoriâ cumulata est, qua vicit semetipsum, dum Principem benignè & comiter habuit, qui toties ipsum à Gallici status regimine procul amotum voluerat. Obiit 24. Februarij an. 1568. desideratus, laudatus, defletus ab omnibus, ab vnis infletus Hæreticis. Huic Ionuillam delato parentatum Parisiis est pompâ omnino regiâ, superstites reliquit liberos tres Henricum Guisę Ducem, Ludouicum Cardinalem Lotharingum, & Carolum Ducem Meduanum. Pomponius Bellieurius Galliæ Cancellarius cùm legati munus apud Heluetios obiret, in publicis Procerum comitiis hæc non absque graui mœroris sensu de Guisio retulit. *Agnouimus magnum & prudentissimum Gui-*

Fragilis etiam Principum Vitæ.

Præclara Guisij facinora.

Parentatum ei Parisiis. Tres procreauit liberos.

A. Bellieurio laudatur.

sium Ducem, cui parem vix Gallia vidit, Bellatorem eundem fortissimum ac felicissimum à proditore sæuitiâ plusquam agresti necatum, dum obsidionem Aurelianensem promoueret, Regique suo postremam fide maximâ operam consecraret, quæ vna teterrimæ coniurationis causa fuit. Princeps fuit, qui ob intactam ab omni scelere vitam cæteris in exemplar iure proponendus sit, vtilis, fidusque Regi, amans Francorum omnium, pariterque redamatus ab omnibus.

Poltrotus mentis impos.

Sed quantò nobilior animoque excelsior Guisius fuit, tantò Poltrotus execrabilior, qui infinitas ferè vnà cum Guisio virtutes extinxit. Hic peracto scelere vix sui compos ad finitimas syluas quasi terga prementibus furiis sine mora cucurrit, cúmque laxatis equo habenis, noctem totam per auia peruiaque deerrando consumpsisset, Aurelìam semper cogitans eóque aspirans, illucescente die lassus equoque

Capitur.

fatiscente ad Oliueti pontem deuenit, vbi ab excubitoribus Heluetiis agnitus, captusque, & ad Regem, Reginamque perductus totius coniurationis cœpta progressusque detexit; tormentis admotus in eo

Supplicio afficitur.

quod iam confessus erat, idem perseuerauit. Parisios delatus, supremæ Curiæ decreto equis in diuersa trahentibus quatuor in partes

Colinius & Beza Guisianæ cædis conscij crediti.

dissectus est. Quàm iucunda Colinio Bezæque Guisij cædes obtigit, tam impigrè ab vtroque laboratum est, vt eius à se illatæ suspicionem propulsarent, nam libellis editis non modò non suasum à se, sed ne præcognitum quidem parricidium fuisse contestati sunt; at reos ipsos satis euincebat ipsa percussoris denuntiatio. Nam quod ad Admiralium spectat, hunc tametsi criminis expertem Poltrotus aliquando dixisset, sæpiùs tamen eum onerarat, atque in ipso supplicio in eadem accusatione perstiterat constans. Deinde Admiralio autorem se necis neganti iure non creditur, fictè quippe loquuto non semel, maximè verò cum Germanis Proceribus persuasum vellet arma se cum Condæo sumpsisse, quò Regi, Reginæque, quos à Guisio attineri dicebat, libertatem redderet. Bezæ verò nihil est omnino quod patrocinari possit, cùm impostor nequam fuerit, scelus & nefas omne amplexus, quod in hæresis propagationem conuerteret, quin & Catholici adeò sanguinis auidus, vt Admiralio dicere aut gratulari potiùs minimè veritus sit Caluinianam ab eo armorum vi, variisque cædibus constabilitam fidem; ne scilicet à Caluino discreparet, qui pari cru-

Sectare delecta, displicet tamen peccati fœditas.

delitate fundandam eandem monuerat. Sed plerisque mos is esse solet, vt quibus turpe aliquid & flagitiosum imperant, eorum oderint nomen, proditiones diligant, non proditores. Prolectant homines peccandi illecebræ, peccati turpitudo non placet, quasi alterum ab altero secernere possint. Quantùm ab Admiralij perfidia remota esset

Regina,

Regina, illustri hoc documento testatum reliquit, dum Mottanum Ducem, qui in ipsum coniurasse dicebatur, vinctum eiusdem potestati tradidit, vt exigeret, quas vellet ipse proditionis pœnas; quod etsi deteriùs interpretati sint liuidi, certum tamen est ex heroico hoc facinore amplissimam Reginæ laudum segetem ortam; Diuinum enim propè est benefactis mala pensare.

Regina moderatio in Admiraliū.

Sublato ex humanis Guisio, Regiorum virtus clanguit: refrixit ipsa Aurelianensis obsidio, maximè vbi sparsus est pacis cum Sectarijs ineundæ nuntius, quo recreati sunt mirum in modū partis vtriusque Duces ac milites diuturnis belli laboribus fracti; quod vt maturaretur opus, annuente Reginâ Condæus & Mommorancius ad Insulam Boiam proximè Aureliam sub custodia profecti sunt. Inter discrepantis adeò religionis propugnatores conuenire non potuit, cùm quisque quæ religioni suæ idonea, contrà verò aduersantium fidei nocitura forent, expósceret. Certè Mommorancius, ne canos suos Eleazarus alter ac ingenitam nobilitatem indulgentiori mentis ergà Sectarios facilitate pollueret, inductum se nunquam iri constanter asseuerauit, vt in Ianuarij consentiret edictum, quod Diuinæ legi Catholicumque cultui infestum esse videretur, nam quò altiùs Sectariorum causa assurgeret, hoc depressiorem fore Religionis antiquæ majestatem intelligebat. Condæo, quia Comestabilem de sententia hac dimouere non poterat, Aureliæ adeundæ potestas est facta, vbi consulti 72. Ministri, in Ianuarii edicto, quasi in immotâ rupe firmiter semper standum, affirmatè responderunt. Inita tamen est pacis vtcumque componendæ ratio, conditumque est eiusdem edictum; & Ambosiæ medio Martio ab Rege subscriptum, in quo præteritorum sancita obliuio est, data sectariis potestas, vt ex persuasionis suæ legibus præscriptoque quam pacatissimè viuerent, Oppida quædam sectæ ministeriis addicta, Condæo boni, fidique Regi cognati asserta est fama, quique ei adhærerent, comiter omnes & perhumaniter accepti sunt, quasi non maleuolo, in Regem Gallicumque statum animo depugnassent. Alia huiusmodi concessa sunt, quæ Catholicis stomachū & indignationem mouerunt. Opportuna certè fuisset Regis Indulgentia, si adultam iam in sectariis contumaciam repressisset, qui quòd multis ab Rege prærogatiuis ornati forent, timeri se ab eo arbitrabantur, Majestatemque hoc maximè tempore contemnebant, quo execrandus prodiit libellus, aut per Carolum Molinæum Iurisconsultum, aut quod probabilius autumant, per Hugonem Sorellum Roserium concinnatus, quo tum Regis ipsius, tum institutorum ab eo magistratuum autoritas vocabatur in dubium, idque vt conficerēt,

Extincto Guisio languent bellatorū studia.

Mommorancy constans in religionē animus.

Sancitur pax.

Pacis conditiones hæreticis commodæ.

Libellus contra politicū statum vulgatus.

sacros codices prauo intellectu cauillatoriè detortos in argumentum afferebant, depravantes ita scripturas, vt Regis autoritatem corrumperent, sed euanidus tandem fuit scriptorum conatus; Libellus enim ab Hæreticis ipsis laceratus & à Subizio Lugduni, cùm Regiis legatis restituenda foret ciuitas, publicè concremari iussus est, ne quâ deinceps rebellionis suspicio resideret in secta.

Flammis traditur.

Peruenerat iam Romam pacis iniquis conditionibus compositæ rumor, ideoque Pio IV. Pontifici parùm iucundæ totiusque rei culpam in Cardinalem Castilionæum conferenti, qui deposito Præsulis titulo Bellouacensis Comitis assumpserat nomen, eidem præterea culpæ affines Galliæ Præsules alios affirmabat Pontifex idem, quos quia hæresis suspectos esse cum Castilionæo putabat, pinguibus, vt ex Onuphrio habetur, Sacerdotijs euertit; quorum sortem miserari potiùs, quam eorundem seriem texere puto consultius; gloriosiùs enim latent in tenebris, quàm in hominum cogitatione versentur homines huiusmodi ad regni perniciem, & Ecclesiæ dedecus nati. Displicuit etiam supremis Galliæ tribunalibus postremum hoc edictum, quod ne ratum haberent, impediri se religione dicebant. Parisiensis præsertim, Tolosana, & Aquensis obluctatæ sunt Curiæ; & hac tantùm lege consenserunt, vt integrum Regi foret hoc edictũ, cùm ipsi videretur, rescindere; quod indignè tulere sectarij. Promulgatis huius edicti capitibus, Regi Aurelia, Comestabili Mommorancio & Condæo restituta libertas, non dimidiata tamen regendi potestas, quam ei Regina spoponderat. Atque vt spem ei omnem publicæ administrationis Regina præcideret, Regem Hospitalij consilio Majorem ea lege pronuntiari voluit, qua Reges, vbi decimum quartum annum attigerunt, adeundæ regni administrationis capaces declarantur. Ad id autẽ prætermissâ Lutetiâ delecta est Rotomagus, quò cùm profectus esset Rex, cum Regina, Aurelianensi Duce fratre, consanguineis, Principibus ac proceribus in Senatum venit, Majorique ritè renuntiato plausus cum manuum osculo datus. Nec prætermissa sunt Reginæ encomia, seu blandimenta verborum, quòd in regenda Caroli Regis pueritia eam se præstitisset semper, qualem se Alexandro Seuero Imperatori Mammea, Constantino S. Helena, S. Ludouico Blancha mater exhibuerat. Parisiensibus hac in honoris prærogatiua præpositos sibi Rotomagenses querentibus, asperius, quàm expectabatur, à Rege responsum; non frustra Maiorem se appellatum, fas iam esse à nemine regi se, quem ætatis maturitas regendis aliis imposuerit, sancta iam & inuiolata iuuenis Regis imperia fore, quæ dum puer esset, apud aulicos euiluerant.

Castilionæus Excardinalis.

Pacem hanc improbat Rom. Pontifex.

Et Catholicæ curiæ.

Rex maior pronuntiatur Rotomagi.

Regina laudes decretæ.

Rex sui iuris, non alteri.

Interea Catholicos ac facris initiatos viros diuexabat Ioanna Nauarræ Regina, contra quam Apostolicas diras, & execrationes Pius IV. intorsit, & in valuis Basilicæ S. Petri, alijsque locis publicis tabulas defigi curauit, quibus ream hanc intra semestre spatium ad se sisti iubebat, quo hæresεos crimen, aliaque sibi objecta dilueret; si obsequi detrectaret, hanc pro conuictâ habendam esse statuebat; eius regnum, principatus & dominia proscribebat; ac in eum, qui prior hæc adhibitâ vi occupasset, transferebat. Ne tamen ea Pontifex exequeretur, intercessit Carolus Rex per Henricum Clutinium Oisellium Oratorem suum; Reginæ se causam ideo suscepisse contestans, quòd ea communis eum Regibus omnibus esset; addebat, viduæ si impericulum aliquod inciderit, sollicitiùs aliquantò subueniendum quàm alijs, & huic præsertim viduæ, quòd Antonium Borbonium maritũ habuisset, qui in prælio pro Romanæ fidei, Regisque defensione contra perduelles suscepto fortiter occubuerat, præterea hanc sibi sanguinis communione coniunctã tametsi religione disparem haud sibi facilè deserendam: quadragesimum iam esse annum, quo temporis spatio tot Reges, tot Principes, imò tot Ciuitates ab Ecclesia Romana defecerant, & tamen longè mitiùs in eos animaduersum, quos acriùs tamen castigatos oportuerat, quòd priores ausi scelus fuissent, quod impunitate & consuetudine corroboratum in alios ex facili dimanauit. Pontifex Regis intuitu iudicialia contra Reginam acta prouehi vetuit, irretitam tamen anathemate voluit, quod parum curauit Hæretica mulier, dum reliqua sibi integra forent. Non defuit tamen quod ipsam graui timore percelleret, si tamen Reginæ querelis, & sectariorum annalibus certa fides est, afferentium in Hispaniensi Regis aula de ea eiusque liberis è Palensi castello in Hispaniam abducendis seriò esse deliberatum; quod commentum vel ipsa satis refellit locorum distantia; quî enim Pyrenæos montes, inferiorem Nauarram, & Benearniam elusis omnibus interiacentiũ Prouinciarum custodijs cum armatis hominibus transgredi potuissent Hispani? quasi verò non excubabant tum acriter in asserenda Reginæ suæ salute subditi omnes, hæretici præsertim; quos, quia sibi religione consimiles erant, amantiùs ipsa confouebat, hocque vehementior Perduellium intendebatur in eam amor, quo acriore aduersus Catholicos illa ferebatur odio, quos è regno, terrisque sibi obnoxijs facessere iubebat omnes, & vnà sacros Ecclesiæ proscribebat ritus; robustiorem enim tum maximè sumpserat audaciam, cum Caroli Regis interuentu Apostolicæ consopitæ sunt minæ. Sed quod Hæreticæ Reginæ impunè fuit habitum, castigatum in sacrile-

Apostolicæ diræ contra Nauarræ Reginam.

Rex Ioannã protegit.

Sententiam mollit Pontifex.

Commentum de Regina Nau. in Hispaniam ducenda.

go fuit præcipuum Christianæ religionis pignus temerare nil verito. Lutetiæ Parisiorum 22. Decemb. ann. 1563. Vecors corruptâ mente Hæreticus eò impietatis prorupit, vt in D. Genouefæ templo è sacerdotis manibus sacrum Missæ Sacrificium peragentis, immaculatam Hostiam eripuerit; culpam pœna confestim excepit, sacrilegus enim manu primò sibi ante sacram hanc ædem à Carnifice abscissâ ad Mauberti plateam condignas laqueo & igne pœnas dependit, cuius in sacrilegij expiationem non multo post tempore ad D. Genouefæ supplicantium turba magnâ pompâ processit, quam Rex ipse cum Regina, fratribus & Principibus præsentiâ suâ cohonestauit; ardebant in cuiusque manibus funalia è cerâ candidâ, in certum incensi omnium pectoris erga venerabilem hunc Angelorum Panem argumentum.

Sacrilegi supplicium.

His supplicijs, & supplicationibus simul, dum in Hæreticorum scelus à Parisiensibus animaduertitur, aliud in eosdem à fide naufragos bellum paratur lenius illud quidem, sed non minus efficax, imò & aliquantò validius, in quo non cataphracta, vt in fabulis est, Pallas, aut armata Bellona, sed Deipara ipsa & præsedit olim, ac etiamnum præsidere magno pietatis incremento perseuerat. Non satis quippe visum est auctam Societate IESV Ecclesiam esse, hoc est armatâ militum religiosorum manu contra Spirituales nequitias, nisi pia Castissimæ Christi IESV Genitricis accessisset sodalitas, è iunioribus Scholarũ alumnis conflata, qui in periculoso illo ætatis flexu integritatis amore correpti, hanc innocentiæ tutelarem sibi asciscunt, quæ castis è visceribus ipsum integritatis autorem effudit, cui vota secundum Deum pro Catholica religione & contra acertimos eius impugnatores nuncupant, orantque sæpius vt clypeis suis (mille siquidem ex ea pendent) Romanam Ecclesiam aduersus incursantes tot errantium turmas tectam illibatamque conseruet. Non illaudatus prætermittendus est nobis qui has pietatis officinas, aut sacræ militiæ castra prior aperuit, sacræque Virgini hæreses per orbem terrarũ vniuersum contrituræ tot volones adduxit virgineâ potissimum pugnaturos coronâ in certissimum coronæ de Marianis hostibus reportandæ auspicium. Is fuit Ioannes Leonius Belga Societatis IESV infimæ Grammaticorum Scholæ moderator, qui quotidiano cum Scholasticis persoluto penso, aliquot qui pronioris ad pietatem indolis essent, adolescentes in vnam è Scholis inducebat Sacrarij instar, altari, sacrisque imaginibus, ac præsertim Diuæ Mariæ Virginis icone perpulchrè exornatam, in qua flexis primò genibus orabatur piè à singulis; deinde ex ascetico libello prælegebantur ab vno nonnulla, audientibus

Sodalitatum Dei genitricis Origo.

Ioannes Leonius autor.

Sodalitatis munia.

reliquis, tum spirituali hoc diuini verbi cibo recreati, læti domũ quisque suam remigrabant. Dominicis diebus vsurpatus ab ijsdem est quanquam remissiore voce cantus, decursæ alternante choro vespertinæ preces. Atque hæc rudia fuerunt tot Sodalitatum initia sub aliquo Marianorum mysteriorũ titulo merentium, vnde tot ac tanti virtutum, ac præsertim vtriusque generis misericordiæ per totum terrarum Orbem collecti sunt fructus; tot arma, tot præsidia aduersus Hæreticos pro Hæreticis ipsis ad saniorem frugem reuocandis de prompta. Coaluit & alia Sancti Spiritus titulo insignita Societas, cui qui nomina dabant, ad odium contra Sectarios exitiabile, capita sua sacrâ detestatione obstringebant; ardebant nempe populi odio Sectæ incredibili, quod acrius è sacris pulpitis inflammabant Diuini Verbi præcones, atque hinc crebræ inter vtramque partem velitationes exortæ. In agro præsertim Augustodunensi duriùs semel habiti sunt nouæ Sectæ cultores, nam cùm ad obeunda religionis suæ ministeria properarent, orta dissensione prætereuntis illac plebeculæ pedibus penè obtriti sunt. In Turonibus Caluinianæ factionis Minister dum verba ad populum faceret, vocem vnà cum vita pariter clausit, dum lethalem à Catholico plagam accepit, quæ immoderatæ licentiæ exempla, ne in extremam Galliæ perniciem gliscerent, missi sunt Lutetiâ Senatores, qui contra tumultuantes inquirerent.

Sodalitas S. Spiritus in Haret. odiũ.

Caluiniani malè habiti.

Interea Rex ætatis prærogatiuâ Majoris titulum & auctoritatem assequutus plerasque Galliæ ciuitates peragrauit, cùm Principis interesse putaret Solis instar, sparsis vbique maiestatis suæ radijs subditas sibi nationes collustrare. Senonas primò & Tricasses inuisit, vbi initum cum Angliæ Regina promulgatum est fœdus, & in publicæ lætitiæ argumentum festi passim accensi sunt ignes; Diuionẽ inde & Lugdunum diuertit, qua in vrbe locus est arci construendæ delectus; illinc grassantis pestilentiæ vi migrare coactus Aquas Sextias, Massiliam, Nemausum, Monspeliumque tenuit, Biterras prætereà; Carcassonam & Tolosam aduenit; Baionam denique ad Aquitaniæ finẽ perrexit cum Isabella sorore, Philippi II. Regis Catholici vxore colloquuturus, quam ad Marquerium amnem Galliam inter & Hispaniam prælabentem regiâ pompâ exceptam Baionam vsque deduxit, cùm obuium præmisisset fratrem suum Andium Ducem primariæ nobilitatis comitatu septum. Atque hic tantorum Principum congressus torsit mirum in modum nouatæ Religionis asseclas, Belgas præsertim aliquid in Sectæ perniciem hoc in colloquio tentatum suspicatos questosque id sæpius, quod Philippus Rex compositis ad varios literis refellere prudenter instituit; eas esse regiæ pro-

Rex Galliæ Prouincias peragrat.

Isabellam Sororem visit.

Secta suspicio & metus.

pinquitatis leges admonens, vt internoscant se aliquando consanguinei Principes, dum id commodè possint, ad Hispaniæ finitima cùm Carolus Rex, & Medicæa penetrassent, non fratri, non genitrici denegandum Isabellæ fuisse conspectum; quod infimæ sortis hominibus licet, id enim verò in magnatibus ac præsertim Principibus tolerandum. Sed altiùs Lutherianorum animis insederat proximæ sibi per hoc colloquium parandæ cladis suspicio, quàm vt facilè euelli posset. Et certè, vt è Scriptoribus constat, arcana de profligandâ secta cum Albano Duce consilia meditabatur Regina, qui aurei velleris torquem Philippi nomine ad Carolum Regem detulerat. Tenet fama sacrum inibi inter vtrumque Regem fœdus ictum, eamque Philippi mentem fuisse, vt in conuentu, qui Molinis indicendus ferebatur, decuterentur, adurerenturque Sectæ capita, Dux Albanus Admiralij præsertim capiti infestus, illudque designans, præstare centenarum ranuncularum capitibus Salmonis vel vnius caput non obscurè pronuntiabat; siue quod Tarquinij factum in exemplum traheret eminentia papauerum capita quæ floribus reliquis insultarēt, demetentis, idque aptaret Admiralio, siue quòd è truncatis procerum capitibus famosisque supplicijs friuolæ cuiusdam gloriæ amplitudinem captaret, tolleretque ipse verticem altiùs, quod in Egmontij & Hornani Belgij magnatum properatis nimis (vt aiunt) supplicijs contigit, siue quod vt peritè à Tragico expressum est vate, placeret ei in vulnus ceruix maxima, quâ ferociores exuere spiritus coactâ, rude ac imperitum vulgus sine mora conquiesceret. Addebat periculosius nihil esse quàm cùm discrepantes in regnum aliquod credendi regulæ siue religiones inducerentur, vnde tam repugnantia tegendæ reipublicæ peterentur consilia, Atque hunc ipsum religionis obtentum à factiosis obtrudi, quò licentiùs regni leges & instituta conuellant; & repetitis ab ipso Ecclesiæ exordio huius generis exemplis perspicuè demonstrabat institutas circa religionem rixas omnium regni calamitatum fontes extitisse, leniora iam remedia non pari corroboratam vetustate sceleratorum audaciam, fortiores id temporis pertentandas esse machinas contumaciam cessuram ferro, quæ non cessit imperio.

Seuerum catholici Regis consilium.

Et Albani Ducis.

Solenne eius dictum præstare salmonem ranis compluribus.

Rixæ circa religionem calamitatum fontes.

Hæc Albanus ingenio ferox; quæ Medicæa mollioribus attemperabat consiliis, languidiore quàm seueriore Regum manu sceptra tractari debere haud ignara; intelligebat videlicet demerenda potiùs quàm frangenda ingenia; nondiu superstitem fore hanc pacem quæ hostili è cæde coaluerit, sterni quidem posse hostium nonnullorum corpora, sed reliquorum in mentibus odia inflammatiùs accendi;

Albani seueritatem molliit Regina.

Vis lactea incedendum, non sanguinea.

tum etiam apprimè norat quàm indignum i llud sit erecta à Carnificibus pegmata Procerum sanguine funestari, molliores itaque (vt fœminam addecebat) profligandæ hæreseos vias iniit, sed nullo operæpretio, quare incidēdam nonnullorū venā arbitrabātur non pauci, ne infinitorum sanguis effluerct; leui hoc vulnere curandum periclitantis Galliæ corpus, dum ægrotis plagas imprimunt Medici, in eos sæuire clementer. Non certam tamen, sed ambiguam ordinandæ reipublicæ, componendique status rationem hanc esse ducunt alij, quæ priuatorum è necessumi solet, cùm grauissima in vtramque partem pugnent exempla; & quemadmodum hanc inesse vim aquæ cernim', vt in ignem iniecta, hunc modò restinguat, nunc acriùs eundem intendat; ita grauior animaduersio, aut major suppliciorum acerbitas in Regni proceres exercita nunc seditionum omnium faces extinguit, nunc flagrantiùs easdem excitat. Belgij rebellionem adauxit Albani dominatus non satis clemens, alios ad obsequii iugum inflexit opportuna seueritas. Baionense colloquium cautè obseruatum est ab Henrico Nauarræ Principe, quem tum puerum in comitatu semper habebat Medicæa, amabatque indolem ad excelsa natam; adnotaruntque Hispani Primores è regio hoc flosculo vberrimam heroicarum virtutum messem nascituram. Ab hoc vno, quæ clàm esse oportebat, vulgata sunt inita à Medicæa, Albanoque consilia; quod ægrè tulit, vterque, Albanus præsertim Dux, quo tectius nihil, atque occultius, nam inter hunc deliberantem, & agentem vix quidquam medium erat, veterem in hoc æmulabatur Philosophum, ad internum cordis senatum neminem præter semetipsum admittentem. Hæc igitur Henricus puer Nauarreæ Reginæ matri denarrauit; illa verò Condæo & Admiralio, æstimarique rem seriò ab vtroque voluit. Exarsit sanè vterque ad tanti denuntiationem periculi, quod vt anteuerterent Hæretici, tetrum meditati sunt contra Regem Meldis patrandum facinus, quod sperato tamen exitu caruit. Deo namque solenne est Reges, tanquam peculiare quid sui, præcipuo patrocinio tegere; in vnis quippe Regibus conseruat innumeros.

Nimia indulgentia obest.

Seueritas etiam nimia.

Politicum Albani silentium,

Henricus Borbonius regis & Isabellæ arcana matri suæ aperit.

Timent hæretici, & atrox facinus meditantur.

Circa id tempus, quo apud Baionam hæresis extinguendæ consilium initur, contigit obitus Ioannis Caluini Hæresiarcharum omnium coryphæi, septennio toto grauissimis cruciatus est corporis morbis, variisque quæ mentem exedebant ægritudinibus, itàque sempiternis, ad quæ non satis attendebat, prælusit suppliciis. Geneuæ animam efflauit hoc anno 1564. ætatis 55. nondum euoluto. Encomiasten Bezam habuit, quem discipulum olim habuerat, qui ingentes illos cruciatus Stoicâ fortitudine ab Caluino deuoratos ineptè

Caluinus impiè moritur.

mentitur, cùm plures fide digni autores tradiderint his tortum cruciamentis Apostatam, cùm à Deo, quem toties sacrilegè violarat, præteritorum veniam desperasset, inuocasse Dæmones; vitæque suæ, scriptis, ac studiis diras imprecantem excessisse. Nec alius ab eo expectandus erat viuendi finis, si vitæ, vti ab vnoquoque transacta fuerit, simulacrum mors sit; solitus quippe erat, dum viueret, adeò vehementibus iracundæ mentis æstibus agitari, vt in rabiem efferari videretur; nec hoc diffitetur ipse Beza, dum rabidum canem Caluinum appellat in Geneuenses suos Mænadum ritu furere solitum; quamobrem fest uum id iactabant, affirmabantque non pauci præoptare se cum scurrili facetoque Beza detrudi ad inferos, quàm cum Caluino morosioris & austerioris naturæ homine in Cælestium admitti consortium. Rabiosum huius genium apertè ostendit mordacissimus eiusdem stylus, cùm augustissimis Religionis nostræ mysteriis acutissimos dentes infigat. Emphasim vero scriptorumque suorũ argutias indecoro fastu corrũpit, putidáque iactãtia, vsque eò efferre se solitus, vt post se duceret omnes, tametsi doctrinæ culmen assequutos. Cæsarem scilicet Pompeiumque vnà complectebatur hic Apostata, nec superiorem ferens, nec parem; quin nec imparem, nisi sibi in omnibus obsequentem. Hæc de Caluino Papitius Massonus Iurisconsultus Parisiensis in eiusdem vitæ epitome; a bbi Scorpium & Viperam eundem appellat, & inter Galliæ probra hunc fœtum enumerat, ab illa obstetricantibus furiis in religionis cladem effusum.

Rabidus canis appellatur à Beza.

Mordax eius stylus.

Scorpius & vipera nuncupatus.

Porro ne exitiale huius semen deperiret, multiplices ab eo sectas fluxisse tradunt aliqui, putà Clauinomastigas, Caluinopapistas, Caluinistas pacificos, Caluinistas causarios, Caluinistas liberos; opinionibus dispares, arrogantià pares, tumidos omnes, ac communes Christianæ reip. pestes. Caluino suffectus est Beza, iracundo facetus, superciliosо scurra dicacissimus; in dispari vtriusque indole, par vtrique in religione turbandà mens fuit; ac poëtæ quidem istius venam Sotadicis versibus infamem stylo nostro non semel pertudimus, paremque licentiori Musæ morum ei lasciuiam inhæsisse ostendimus. Hic Caluini licet errores osculatus sit semper, ac oraculorum instar habuerit, dissentire tamen in nonnullis est visus. Corpus idem pluribus in locis vno eodemque tempore à Deo constitui posse negauit; Electos nullo vnquam lethali scelere contaminari asseruit; à reprobis verò veniale nullum admitti, stare in Deo Omnipotentiam non posse credidit, nisi impulsor idem ad peccatum esse posisit, quin & ne mutila sit aliqua sui parte supremi Numinis potentia, fatendum esse necessariò dixit, Deum scelus in se admittere, operarique posse, non permittere

Variæ Caluini secta.

Caluino Beza sufficitur.

A Caluino dissentit.

Blasphemat in Dei Omnipotentiam.

permittere tantùm. Erga Dei Genitricem Cælitesque omnes supra quàm dici potest, injurius fuit, violator Diuinæ Maiestatis perpetuus, nouæ sectæ studiosissimus cultor, tametsi de nuntio ei remittendo nonnunquã seriò cogitasset; Cùm enim Petrus Fenollictus qui Mõspeliensem Episcopatum cum laude gubernauit, ad eum Geneuam aliquando diuertisset, ac deerrantem ab Ecclesiæ caulis ouem ad læta fidelium pascua reuocare adniteretur; combibebat auidè Beza, aut cõbibere videbatur cæleste hunc imbrẽ aureo Præsulis ore defluentem, & flebiliter dolebat in eam lapsum se esse cloacam, vnde difficulter emergere posset; tot excubitores sibi appositos querens, qui nutus etiam ipsos curiosiùs obseruarent, qui si vacillantem se in nouæ sectæ dogmatibus prænotarent, næ continuò eas excitaturi forent tempestates, quæ comprimi difficillimè possent. Pluribus Caluinianæ sectæ Ministris idem euenisse compertum est mihi; quibus post laruã detractam, expunctumque hæresi fucum obortus continuò est veritatis radius; verùm euanuit illico Cælestis hæc flamma. Nempe recta, quæ in actum vitæ vltimum consilia parum prouidi mortales reiiciunt, raro exequi possunt; ægraque admodum est, si non omnino mortua, quæ ad postremam vitæ metam pœnitudo differtur.

In Dei Genitricem, in sanctos.

Præsuli Monspel ad auitam fidẽ hortanti auremaccommodat.

Lustrauerat Galliam ferè vniuersam Rex, & quia potentiores mentis internuntii sunt oculi quàm aures, conspectis vbique feritatis hæreticæ monumentis, hoc dolentiùs, quò tardiùs ad has clades ingemuit. Tot funestata templorum (vt ita dicam) cadaueribus, tot conspersa piarum imaginum cineribus Aquitania; tot ossium è monumentis erutorum cumuli; deformatæ tot vrbes; tot exhaustæ familiæ Regem aduersus Ioannam Nauarræ Reginam incendebant tot malis cõniuentem, quam propterea Baionã Rex adiit probra hæc in religionem illata exprobraturus. Hæc Regis monita pro nihilo duxit, & cùm implacabili in Romanam religionem odio flagraret, tũ longè vehementiùs accẽsa est posteaquã Antoniũ Borbonium maritum suum in Ecclesiæ sinu diem obiisse postremum accepit. A contumaci fœmina, cùm nihil extorsisset Rex, iussit saltem vt in locis eiusdẽ Reginæ imperio obnoxiis sacrorum cultus restauraretur, suas in ædes reuocarentur Sacerdotes proscripti, ac pristinis deinceps stipendiis alerentur. Exin regni primores ad comitia Molinis celebranda conciuit; pacand. siquidem per hunc conuentum regni certam in spem venerat; & quia Guisiorum cum Coliniis rixæ tui binis instar longè lateque sparsæ cuncta peruastabant, dum Nobilium mentes alterutri factioni adhærentes disiungerent; veteres illas consopiri discordias redintegrarique inter eos amicitiam voluit. Et senè, si mi-

Ingemit Rex ad Galliæ clades.

Ioannam Reginam seuerè Rex carpit.

Comitia Molinis indicta.

Sublata odia inter Guisios & Coliniũ.

nùs vera dissidentes colligauit amicitia, eius simulacrum fuit aliquod, tum maximè cùm Colinius solenni iureiurando asseruit in Guisii necem consensisse se nunquam, quin & inscio se tale decretum, admissumque parricidium. Sperabat item Rex per hoc Molinense colloquium Condæum Principem cum Admiralio aulicis allectum iri deliciis, sicque ambos à Sectariorum factionibus distrahendos. At spes tantùm fuit, & quidem irrita, nam Admiralius, qui arma non nisi coactus abiecerat, & Andelotus qui pacis ideò conditionibus assensus fuerat, vt Aurelianensis solueretur obsidio, noua vbique turbamenta concire longè obstinatiùs, quàm olim satagebant, cùm inania & plena fuco quę ab Rege, Reginaque sponderentur existimarent. Adeò vel in Regibus ipsis displicent si quę sint laruæ, siue dissimulationum inuolucra.

Mommoranciana domus in factiones scissa. Discissæ, si vnquam, res tum Gallicæ videbantur: Guisios enim inter & Colinios ægrè conuenire poterat, & Coliniis longè tenaciùs inhærebat Condæus ex quo secundas cum Maria Ducis Longevillæi sorore nuptias celebrarat. Ad communes etiam Galliæ rixas augēdas accedebat Mommoranciana domus varias in partes siue factiones diuisa; nam Franciscus Mommorancius Franciæ Marescallus, Comestabilis Patris primogenitus, flagrantiore æmulandi, aut superandi potius Admiralii studio raptus, Castilionæorum se se partibus immiscuerat, eorumque gratiâ Guisiis amicitiam renuntiarat. *Franc. Mommor. & Danvilla eius frater contrarias partes tuentur.* Henricus verò Danvilla eius frater Aumalio Duci propter vxorem affinis Catholicorum partes aduersus fratrem, & pro cognatis Guisiis strenuè propugnabat. Nec in Mommoranciana tantum gente huiusmodi hærebant rixæ; serpebant enim per omnes Mommorancijs obstrictas familias. Diuisa namque nobilitas, cùm vtrique fratri non posset, horum alteri vt quisquis nobiles inter affectus erat, festinabat auxilium; atque ita diuersa vnâ è domo vexilla prodibant, ferro diuidebatur familia tota: medius inter altercantes filios Comestabilis stabat, vtrique paterna monita ingerens, Francisco quidem, ne turpem perduellium causam, & Mommorancio sanguini infamem tueretur; *Anxia Comestabilis pro vtroque filio cura.* Henrico, vt cùm pro fidei Romanæ decore ab hostium iniuriis vindicādo arma indueret, non exueret fratris in fratrem animum, meminisset quis & contra quem dimicaret, suum sibi Absalonem seruaret incolumem. Hæc victum iam senem & ad tumuli quietem aspirantem supra modum angebant suorum dissidia, fatiscebat sub onere gemini inter se digladiantis populi, quem pectore circumferebat, dum interea Rex dissidentes Procerum animos frustra conciliare studeret, nam inter Guisios & Colinios quæ sarta iam erat, pene dissuta

est insidiarum opinione amicitia, quas Gaspari Colinio parabat Simon Maius proiectæ nequitiæ nebulo, à Guisio (vt ferebatur) immissus, sed hic falsi compertus, rotæque impositus confractis brachiis cruribusque miserè periit. Alibi, ne vsquam ferrum conquiesceret, offensionum spargebantur semina. Apamienses iterum Catholici crudeliter ab sectariis habiti sunt: direptæ incensæque domus, expilata cœnobia, solo afflictæ comminutæque sanctorum imagines. Iconoclastarum in caput à Tolosana Curia quæsitum est, horum bona fisco addicta, detractis ad templorum restaurationē quadraginta librarum millibus; fugitiuis ad furcam damnatis aquâ & igni interdictum, Capite luit Tacharius quidam, qui cum furciferis societatem inierat. Atque hinc intellectum est, quàm facilè ab hæreticis dissoluantur induciæ cum Catholicis pactæ, quàmque citò violata pax hæc fuerit, quam æternam fore spondebant.

Apamienses iterum à sectariis vexantur.

Instaurantur sacrilegia.

Plectuntur.

Parabatur ex his præludiis scena multò periculosior, in quam actor præcipuus Rex tragicè producendus erat ab hæreticis, nisi eum Numinis prouidentia vitæque innocentia texisset, quod quemadmodum gestum fuerit, quanquam vel cogitare horret animus, paucis tamen expediam, quia prauè etiam suscepta, hæc vt posteritas vitet, denarrare, interesse puto historici. Coaluerat in Belgio procerum hæreticorum aut hæreticis addictorum Societas ridiculo Gheusiorum, hoc est mendicorum affectato nomine, cui quidem rei occasionem dederat Barlemontius Regij ærarii præfectus, Caluinianæ sectæ infestissimus, ad quem cum perlatum esset nunquam in Regis circa religionem iussa consensuros nobiles Belgas aliquot, nec Hispanicam de fidei rebus inquisitionem vnquam toleraturos, enimvero exarsit ille continuò eosque Gheusios hoc est inopes nulliusque nominis viros contemptim appellauit, à quibus vt sperandum nihil erat, ita nec ab iis formidandum. Arripuerunt illi confestim id nominis tantò auidiùs quantò longiùs, cùm prædiuites essent, à mantica aberant, cuius tamen figuram in factionis suæ stemma vestibus per deridiculū insuerunt, & quo festiuiùs nouæ Gheusiorum, seu mendicantium sectæ inauguratio fieret, geniales placuit adhibere ad condictam diem epulas non insueta fœderū huiusmodi firmamenta, in quibus largioribus sibi poculis inuicem propinantes, *viuant Gheusii* inconditis clamoribus iterabant, fidosque se Regi ad manticam vsque fore spondebant, sed ea fide quæ vitreis inest vino coronatis calicibus, non plus duraturâ, quàm merum, quod simulac infunditur, exsorbetur. Iocularis hæc sodalitas inter vini immoderatiùs hausti licentiam orta, copiosis posthac lacrymis, multoque sanguine redundauit. Hi ergo

Coniuratio in Regem.

Gheusii Belgæ vnde sic appellati.

Gheusii posteaquam Baionensis colloquii rumor increbuit, vt oppidò suspicaces sunt animi, parari clam aliquid interpretati sunt, quod in commune nouatæ religionis damnum verteret; & quia potentissimi Reges duo in vnum id iunctis viribus conspirabant; enim verò strenuè se facturos putarunt, si cum Hugonotis Gallis nomine non religione discrepantibus arma pariter consociarent, Et idipsum meditati iam antè fuerant Hugonoti, Regi tum maximè infesti, quòd (vti querebantur) promulgata asserendæ vbique pacis edicta nauci haberentur; quòd perlatas ad se creberrimè à secta querelas pro nihilo duceret, quòd sena Heluetiorum millia citatis itineribus in Galliam euocaret, quæ in repurgati Euangelii sectatores certò comparabantur; quorsum enim accersitæ tot vires, nisi ad fundendos aut tollendos hostes de medio, atqui nullos censeri tum hostes, præter eos, qui fideliora Regi præstarent obsequia, eos autem esse reformatæ Religionis cultores.

Arma cum hugonotis iungere parant.

Verùm, vt hoc ita esset, ne tum quidem in Regem coniurare licitum erat, quem tum Valerii, tum Moncelli per occultas insidias abripere, secumque ducere meditabantur, ni, vti iam dixi, contra sectam debitū Numini cultum abnegantē Cælestis Vncto Domini patrocinata fuisset vis. Heluetios autem in regni præsidium accesserat Rex, eos Albano Duci oppositurus, si delectò per Galliæ extrema, dum Belgium petebat, itinere hostile aliquid attentaret, quod non infrequenter euenit, dum prætereuntium Magnatum audaciam exstimulant socordes præsidiariorum excubię, & vafro Albani animo tectisque eius consiliis ingens armatorum manus obiecta Regem in Galliæ salutem excubare manifestè docebat, si vigilaret ille in eiusdem perniciem. Præterea accersitis Heluetiorum copiis opus habebat Rex, validiùs iam Sclopetariorum tubulis, quàm pucrili, quod antè fecerat, voce loquuturus, imperaturusque rebellibus auctoritate maiori, qui, nisi vis subsit aliqua, parere detrectant, aut iussa eludunt vilissimorum mancipiorum more, quæ non nisi impactis tergo fustibus diurnum adiguntur ad pensum. Frangenda erat Sectariorum audacia libellos supplices iniquis postulatis refertos Regi non sine minis obtrudentium, Regis pueritiam moderari ambientium, frænari se ac indignè haberi expostulantium, vnde quia inermem & placatum Regem non obseruabant satis; iratum, armatumque experiri addecebat, vt discerent iustitiam moniti & non temnere Principem Numinis semper habendum in loco. Sed necdum rebellibus persuaderi poterat cōuocata esse aduersus Albanum vnum Heluetiorum auxilia, vnde clam illi mussare primò, tum apertè dicere Baionensis colloquii causam

Regnum maiestas semper & vbique tuta.

Cur Heluetios Rex euocarit.

Principi obsequendum.

& argumentum vnos se fuisse, in hoc venalem expositam Reformatorum omnium vitam, Philippum Hispaniarum Regem in Belgio, Carolum Galliæ Regem in Gallia ipsa pretium appositures; proximam iam fato esse reformatam Religionem, nisi aduocatis confestim viribus resistat secta potentissimis Regibus, quos Romanus Pontifex in sectę ipsius odium vehementiùs inflammat. Hæc dum identidem mente agitarent, cum Colinio maris præfecto, ac Andelcto coëuntes sectæ proceres, de auertendo procul à suis turbine seriò deliberant, multisque in diuersa abeuntibus, præpotuit Colinii sententia, extrema quæque priùs tentanda iudicantis, quàm vt tentaretur belli alea vtrique parti ex æquo periculosa. Sed cùm ex eo maximè creuisset pauor atque suspicio, quòd Albano Belgium ingresso, Heluetios tamen sub signis contineret Carolus Rex, eosdem amoto Albani metu togatus dimittere; affectatam his in retinendis moram in cladis suæ omen accipiunt: Præsagitionem roborant datæ ad Condæum ab amico literæ, quibus certior fiebat, in arcano Regis Senatu de ipso & Colinio ex improuiso intercipiendis fuisse decretum; & Condæum quidem, vt Regio parceretur sanguini, arctè sub custodia habendum, Colinium verò morte mulctandum. Addebatur etiam edicta Protestantium in gratiam cõcessa contrarijs edictis propediem refellenda, vlteriùs progredi Heluetios, & cætera huiusmodi referebantur, quæ Admiralij de non redintegrando bello sententiam tanquàm tempori non satis opportunam eleuarent.

Dubia sectariorum consilia.

Sic autē hoc in animorū æstu differebant. *Quis segnitiem nostram non increpet cunctantium iam & deliberantium, num corripienda nobis arma sint, dum armatus iam hostis omnium nostrûm iugulis imminet? Quid hortatorem accersimus nouum, periculo plusquam satis admoniti aut dandum, aut hauriendum sanguinem esse? Num præstolandum est, dum pecudum ritu vincti, constrictique Lutetiam tanquam hostilis furoris victimæ abripiamur, Regiorum oculos sanguine nostro toties ab ijs expetito conspersuri. Quot externi Galliam inundarunt milites, tot adsunt in capita nostra comparati sicarij, crudeli Heluetiorum manu, si viri non erimus, certò cadendum est nobis. Expostulandum apud Regem; querelas ad eum deferendas suggeret aliquis? At sæpiùs apud Regem & de Rege conquesti, ecquid magnopere præter procrastinationes & frustrationes retulimus. Patribus nostris veram religionem ante annos aliquot in occulto profitentibus, eam omni ope tueri pulcherrimum visum est, vnde nec suppliciorum acerbitatibus, nec morti etiam, quanquā ludibrio fœdatæ cesserunt. Nunc cùm singulari Dei beneficio nouella hæc Ecclesia, in ciuitates & Prouincias tanto cum laborum fructu pe-*

Hæreticorū parænesis ad proceres suos.

vtramir, an non desertores eiusdem iure censendi sumus, si cunctatione semper adhibitâ, præposteráque ducti modestiâ inchoatum à Maioribus nostris opus per socordiam deseramus, aut potiùs corrumpamus. Parcimus vitæ (dicet aliquis) si arma non sumimus, At non parcimus reclamanti conscientiæ; quanquam, nec vitæ etiam ipsi parcimus quæ longè turpiùs inerti eripitur, quàm generosè pugnanti. Quare cùm & Religio & omnium nostrum salus tutelæ vestræ commissa sit (Proceres nobilissimi) oramus etiam atque etiam, ne in communi tuenda re segnem & inutilem operam collocetis. Hæc oratio fluctuantes procerum mentes in diuersa trahebat; nam si in obsequio totius expediendæ salutis suæ spem figerent, cladem inde formidabant: contrà verò si ad arma redirent, bellumque ciuile instaurarent, quantis tandem oblocutionibus materiam daturi erant, quantum in se, ac reliquos omnes sectæ cultores odium concitaturi? sinistra satis fama laborare sectam apud plerosque omnes, quòd contra Regem grassata sit ferro, imminuendam ergo potiùs quàm augendam huiusce rei inuidiam.

Andeloti Oratio. At verò Andelotus magnæ apud perduelles autoritatis assurrexit, cuius hæc oratio extat. *Equidem si dubia saltem è pace speraretur salus, consonerem ego studiosissimè pacis consilia, & turbidis belli motibus anteferrem: quamuis præsens è bello firmandæ salutis præsidium peti possit: sed perire certis, si quietiores erimus, arma necessariò corripienda sunt. Aliis sæpiùs patrocinata est innocentia, quæ infesta est nobis; ideò premimur, quia culpâ vocamus: horrescit animus dum calamitosæ, quæ mansura nos est, sortis imaginem attentiùs reputat, nisi maturè rebus nostris prospexerimus: aut enim è Prouinciis & Ciuitatibus, è laribus liberorumque conspectu exterres in externas regiones amandabimur, syluas inter ferarum more latibula quæsituri, aut furentis populi sibilis crudelitatique barbarum in modum excarnificandi trademur. Ex obduratâ deuorandis tot inflictis hactenus malis constantiâ, & fatigatâ iamdiu patientia nostrâ, quàm porrò exilis nobis extitit fructus? durauimus complures iam annos sub innumeris illatarum nobis calamitatum procellis, frustráque serenum expectauimus, quod nondum illuxit: amentes erimus: si inani spe deinceps illudi nos patiemur. Superest ergo, vt arma confestim induamus, ad quæ nos tametsi reluctantes necessitas cogit, demúsque operam vt quàm paratissimi ab exercitu simus. Huc iam cuncta reciderunt, vt perire nobis integrum non sit, quin vnà nobiscum religio intereat, cuius vt conseruatores simus, capitis nostri accuranda est salus.*

Concordibus omnium animis excepta est Andeloti paræncsis, ve-

rùm super ea belli, quod suadebat, gerendi ratione nonnullorum discreparunt sententiæ. Erant enim qui moderatiùs agendum initio arbitrarentur, & cum armis aduersus Regem suscipiendis iungendam, quæ Majestati tantæ debetur, reuerentiam; occupandam primò citra vim Aureliam, excusandumque supplicibus apud Regem literis factum, quibus significarent nihil se contra fas, Regemque molitos, si locum delegissent, ab hostium insultibus tutum, accersitam contra reformatorum capita Heluetiorum esse legionem; ius cuique suum tueri licitum, quantò sollicitiùs vitam, si in discrimen aliquod venerit; à tumultibus excitandis abhorrere se quàm maximè, quippe iis comprimendis omni studio intentos; pacata omnino cuncta experturum Regem, si Heluetiorum cohortes dimiserit. Sed reiectũ est illud à secùs opinantibus. *Nam si*, (quemadmodum disserebant.) *Aureliâ potiti fuerimus, ecquid tandem è captâ hac vrbe rebus nostris accedet? quibus tandem viribus Regios ab arce, quam insederunt, eijciemus? aut militem per arcem in vrbem immittendum arcebimus? aut iusta stationarijs stipendia persoluemus? Parum tuta est propugnaculorum fiducia, nisi valido milite roboretur; militibus autem commeatu destitutis excidunt facilè cum animis arma.*

Refellitur ab Admiralio.

Post crebras arbitrantium altercationes sancitum est illud, vt occultis, quasi aliud agentes insultibus in præcipuas regni ciuitates irrumperent, Helvetios aggrederentur, eodemque tempore de nimia Cardinalis Lotharingi potentia expostularent, quæ in reformatæ religionis ruinam verteret. Huic quoque reclamatum est sententiæ; ostensum quippe est coniuratorum aduersus Regem infamiam à Cõdæanis hoc pacto vitari non posse, quod continuò Andelotus reiecit, addiditque, frustra ab ea potissimum factione timeri conjurationis inuidiam, quæ sub Regij sanguinis Duce pro Deo, pro religione, imo pro Rege ipso pugnaret. Interea Lugdunum, Tolosam, & Augustam Tricassium tanquam munitissimas vrbes delegerant, sed irritus fuit his in Vrbibus intercipiendis conatus, vt & pleraque alia incassum ab ijsdem tentata, siue irato, impiorumque consilia disturbante Numine, siue milite segniores operas conferente. Corrupta itaque sunt & dissipata omnia, quæ feliciores exitus habitura sperabant non Hugonoti tantùm Galli, sed & Protestantes Germani, apud quos dato etiam pignore asstuebatur Regem in factiosorum Principum manus & potestatem redigendum, Cardinalem verò Lotharingum Admiralii subiiciendum arbitrio; idque priùs eventurum, quàm sacer Diuo Michaëli illucesceret dies: quasi verò qui præcipuus est Galliæ patronus & tutelaris Archangelus tantum in Galliæ Regnoque passurus esset opprobrium.

Cassa hæreticorum spes.

Qq 15

Atque hæc omnia in Germania etiam nota, omnium sermonibus celebrabantur, dissimulabantur autem in Regia Francorum aula, tametsi Monlucius coniurationem ex Aquitania ipsa odoraretur, & festinatis, iteratisque in aulam nuntijs, literisque Reginæ oculos auresque penè fatigaret, non coniurationis tantùm seriem, sed & abstrusiora quæque coniuratorum consilia euoluens: sed non ei credebatur refellebatque eius literas Regina perinde atque depontani, meticulosique hominis, præ senio iam mente dimoti, aut breui dimouendi. At in effœto Monlucij corpore quam vegeta mens foret aut ignorabat Regina, aut quod vero propius est, ignorare se fingebat, ab Aulicis ne Monlucio crederet persuasa; tum quòd detectæ coniurationis decus præreptum ei vellent, tum quòd nondum aperta Condæanorum cōsilia silentio premenda esse iudicarent. Certè Hospitalius super hac re sententiam à Regina rogatus, nihil à Condæo, Condæanisque terroris imminere responderat, addideratque rumusculos eundo crescere auctioresque fieri, veriores non item, horum porrò qui falsa pro certis in vulgus spargunt in manitatis huius pœnam candenti forcipe dilaniandos. Qua in re non diffitentur aliqui lapsam Cancellarij fuisse prudentiam; nam pro asserenda Principis salute, timenda tuta sunt omnia, & metuenda etiam in plano offendicula; quin vel capitis sui periculo secura omnia à Condæo esse eiusque factione iactabat, quonam autem id consilio tam affirmatè pronuntiarit, viderint illi, quibus noti sunt hominis mores in Francicis Annalibus expressi. Constantiorem eum si natura genuerat, timidiorem ratio præstare hac in re debuit, in qua trepidare etiam fortibus in laude ponitur. Hæc Hospitalij asseueratio Reginæ confidentiam alebat Titi Mauuisserij, & Vespasiani eius fratris denuntiatione nihil perterritam, hostem in armis esse moxque adfuturum affirmantium qui quia Hospitalio ingrata renuntiabant, in tribuni capitalis manus ambo traditi sunt; sed vndique affluentibus, eademque portantibus nuntijs experrecta tandem Regina non vanum id esse intellexit, in quod tam multi varijs è partibus conuenirent, Hanc autem non in Regem aut Reginam, sed in Cardinalem tantùm Lotharingum Regis continuum, sectæ infestum displodendam fuisse coniurationis machinam asseruerunt sectarii nōnulli, sed quibus credatur, indigni; quippe in causa sua patroni. Nam Monlucius qui temporis illius historias prosequutus est, certâ, minimeque dubiâ fide relatum sibi affirmat eò coniuratorum spectasse consilia, vt à rebellibus caperetur Rex, & peius aliquid statueretur in Reginam.

Monlucio coniurationē detegenti nō creditur.

Incauta Hospitalij fiducia.

Expergiscitur tandem & persuadetur Regina.

Immania sectariorum contra Regē consilia.

Eruperat iam in lucem factiosorum coniuratio, nec iam à Regina

certum ac

certúmne id esset quærebatur, quod asserebant tam multi; arcendi potius periculi tanti prompta quædam indagabatur via. Et certè durum id Reginæ fuit coniurationis totius corpori è tam diuersis membris compacto tam illustre caput delectum, Condæum enim in primarium Ducem optauerat factio, an informis huius monstri caput esse voluerit, incompertum est mihi; certum tamen, Admiralium totius coniurationis promotorem fuisse præcipuum, cuius cùm attentiùs per fidum quemdam exploratorem rimari consilia niteretur Regina, id ille odoratus, vt mirus erat dissimulandi artifex, Reginæ solertiam solertiore sanè fraude sed planè ridenda elusit, ab speculatore namque, quem in hortum venturum nouerat, cum insitiua repertus est falcula frondatoris aut putatoris munus impleturus, Quintius alter Dictator agro nouando, iterandoque, aut Diocletianus hortulo repurgando intentus, adeò abiectâ bellandi curâ ferrum ab hostibus in resecandam pomarii luxuriem aut conuerterat, aut conuertisse videbatur; post paulo tamen prætermissis his rusticanorum muniis arma repetiit, condictumque adiit factiosis locum symbolam pariter cum iis suam collaturus. Interea Condæo per Mommorancium Regis amicitiam pollicita est Medicæa, si à turbidis hisce coniurationis consiliis animum auocaret. Ille ad hæc nihil obiicere, sed ad solemnes dilabi querimonias, edictorum omniũ vim labefactari; abiicise infra Principis dignitatem; obsecrare itaque, vt expostulationes reformatæ religionis libello comprehensas ad Regem deferre ne grauaretur; quæ cùm perlatæ essent. En (inquit Regina) egregium sanè querendi, petendique ab Rege modum; alterâ quidem manu Condæus benignè sibi fieri ab Rege postulat, alterâ verò petitionibus per vim extorquendis gladium præfert; oppidò ridiculæ sunt armatæ preces, cum supplices venire debeant. Hoccine rogare appellauero? nonne verius imperare quis dicet? His perculsa Regina Meldas quasi securum ab hostium insidiis locum Regem deduxit. Heluetii eodem ferè tempore appulsi sunt nequicquam in contrarium vigilantibus frendentibusque factiosis. In eo dum res essent consultarunt Catholici Proceres, quid ad regis regnique incolumitatem vtile foret. Annas Mommorancius Comestabilis dignitatis prærogatiuâ, rerũ vsu, fide erga Regem, & caritate in patriam magnum nomen assequutus sic orsus est dicere. *Reputanti mihi intricatum rerum statum, exaggeratas perduellium vires & maiorem adhuc viribus audaciam, tutiores conseruandæ Regis saluti indagandæ visæ sunt viæ. Rege saluo, expedita sunt reliqua; porro Regem Meldis tutò iam esse censeo, enim verò firmo satis naturâ & propugnaculis, loco, ampliorem adhuc securitatẽ*

Coniurationis Dux.

Eluditur Regina ab Admiralio hortum repurgante.

Armatæ preces repellendæ.

Comestabilis Oratio pro Rege Meldis retinendo.

addũt Heluetij, & cum Heluetiis auxiliares quæ in dies expectãtur cohortes. Erit hic locus supra vim hostiũ, tametsi non supra inuidiã. Quorsũ hinc aliò Regẽ traducemus, cùm hîc stare sine periculo liceat, quod in via arceri vix poterit; Nam si se hostes ostentent, & ad congrediendum inducant; Regis inertiæ dabitur, horum si detrectet certamen; Quod si æquo se se campo crediderit, aut vinci Regem pudendum erit: aut luctuosum si vicerit, haud aliud inde relaturus quàm spolia subditorum suorum sanguine cruentata. Quin ipse Regis discessus hostibus pro fuga erit: crescentque sectariorum animi, dum à Rege formidari se sentiant.

Refellitur à Cardinale Lotharingo.

Huic orationi assensa propemodum erat Medicæa tum viri autoritate permota, tum quòd è re videbatur quod dixerat. Verùm Cardinalis Lotharingi sententia vicit, vt & Nemorosii Ducis ex arthritide tum decumbentis, à quo patefactum est in viris consilio sapientiaque abundantioribus pedes laborare posse, non caput. Nam cùm metus non leuis esset, ne Rex in ignobili oppido licet tot armatis septo obsideretur, Lutetiam necessariò petendam esse iudicarunt, quanquam reclamante Hospitalio Cancellario, siue malâ non id fide ageret, præcaueretque, ne quid è Regis discessu crearetur periculi, siue quod (vt ab aliis proditum est) nimio sectæ studio implicatus contrà sentiret, & vsque eò contumaciter, vt qui damna huiuscemodi Regi à perduellibus instare denunciarent, eos securi feriendos esse palam diceret; sed magno stetit ei obfirmatior hæc mens in tuenda sententia; tantam enim in se concitauit inuidiam, vt ei ferendæ impar amplissimâ se dignitate abdicare, ac postremò ex aula secedere coactus sit, quod serius nonnullis visum est Hospitalii gesta non ferentibus, aut non probantibus satis. Regina itaque abeundi certa ad iter se comparat, Heluetii circa mediam noctem in armis esse iubentur, atque ipso noctis silentio 27. Septembris dat se in viam Rex cum Regina, aulicoque comitatu, (nobiles octingentos fuisse memorant) qui cùm ferè inermes essent, tota spes in Heluetiorum præsidio erat ad Regis latus explicatis signis gradientium, & præter indolem bellicis ausis innatam, ardorem non minimum dabat vini copia diffractis ad vrbis portas doliis largiter à militibus epoti. Incedebant itaque læti ac alacres, dum quaternas vix leucas emensis, albescente die cum quadringentis equitibus Condæus adfuit; ordinata confestim acies est, leuibusque præliis res vtrinque tentata. Heluetii iustam in pugnam prurientes quadrato agmine constiterunt scutis ad terram oppressis, quin & libarũt de more terræ osculum quasi matrem oraturi, vt hoc in certamine interimendis sinum aperiret, reducesque filios benignè confoueret, Condæanis autem significari gestiebant eos se esse qui nunquam è tam

Cardinali repugnat Hospitalius

Aula exire cogitur.

Leuis Regiorũ & sectar. pugna.

Heluetii terram osculantur.

remotis locis ad Regum auxilium frustra vocarentur, Comestabilis quanquam insitum bellatori huic populo pugnandi ardorem collaudaret, intempestiuos tamen consopiebat igniculos, veritusque ne iustum in prælium res euaderet, Regi auror fuit, vt diuersis itineribus cum comitatu suo Lutetiam tenderet, quò tandem sub vesperam diei 28. peruenit incolumis sed ieiunus; itaque ob longam inediam viribus exhausto ad ipsam Sancti Victoris portam allatæ sunt dapes & cætera reficiendo corpori procurata fomenta. Mansit altâ mente repositum dedecus è fugæ necessitate cōtractum, subsequutum autem odium implacabile, nec nisi cum rebellium clade finiendum. Dissimulabat tamen Rex, altoque dolorem corde premebat, odia siquidem cognita vindictæ locum amittunt, & vindicare destinabat Rex, quod deinde opportuniore tempore præstitit; id enim tunc attentare pretiū operæ non erat, vixque, vt voluisset, poterat. Hospitalium itaque aliosque nonnullos mitigandis rebellibus præfecit, at expugnari minimè potuit collecta ex longo audacia, illi enimverò vt indagatas pacis vias omnes intercluderent, non impetranda postulárunt à Rege, quia praua erant quæ poscebant, & postulabant non benè. Petebant autem, vt Heluetios hoc est præcipuum copiarum suarum robur Rex ab se dimitteret, vt Reformatorum calumniatores coerceret, edictorum vim in sectę gratiam constabiliret, integrum alterutrius profitendæ religionis arbitrium relinqueret, magistratus & dignitates sectariis iuxtà ac Regiis nullo discrimine impertiret; populum tributis nonnullorū in aulâ pollentium suasu imperatis leuaret. Tum ad demerendam populi gratiam & æquitatis speciem turbinibus à se concitatis obtendendam, inscripta Condæi nomine affixaque publicè patuere programmata, quibus arma idcirco ab se sumpta contestabantur rebelles; vt tributis huiusmodi modus aliquis fieret, proculque ex aula facesserent externi quidam miri, vti querebantur, deglubendorum populorum artifices.

Rex Lutetiā venit.

Dissimulat Rex suum in in hæreticos odium.

Iniqua hæreticorum postulata.

Carpuntur externi

Hoc se programmate inuidiosè peti Regina interpretata, exarsit illico vix ipsam se ferens, impotentiùs autem Hæreticorum audaciam sustinens, quos audentiores ipsa per indulgentiam fecerat, quam de reliquo prudenter obserare constituit, ne quid ex ea in immerentes efflueret gratiæ; creuitque eiusdem indignatio dum Condæus regni comitia postularet indici, quibus quæ in hac Gallici status perturbatione diffluxerant, restaurari commodè possent; enimverò argui se palàm à Condæo quasi administrato segniter regno exclamauit; velle Condæum nouam gubernandi formam inducere, quam ipse commentus sit solus; hactenus mitiùs à Rege factum esse Principi, ideò

Reginæ offensæ causa multiplex.

Regis gratia indigno quam non satis agnoscat; offerri à potente, totiesque Victore Rege Principi toties debellato pacem, quam compositis contra Regem querelis auersetur, quasi verò victoribus, ab iis qui expugnati sunt, accipienda lex sit, Regemque subditis parere sit æquum. His commota Medicæa Regi persuasit, vt nullum sectariorum libellis responsum daret, exutáque ad tempus communis parentis personâ seueriorem indueret; fecialem item ad Condæum & Condæanos mitteret, qui liliato sagulo, seu paludamento armatus ad Sandionysianum oppidum venit, ac ritu solenni regio nomine obtestatus est, quandoquidem ad solum Regem regni gubernatio pertineret, delectus item militum, ac vectigalium pecuniarumque impositio, contra Regis eos autoritatem fecisse, qui hæc sibi iura tribuerint. Quorsum enim Condæus, Colinij fratres, & alij plerique Regis iniussu arma sumpserunt? cur delectus habiti? cur Regij hostilem in modum accepti? cur versæ in Regem factiosorum machinæ? Iubetur itaque qui simile quid attentarant coram Rege inermes sistere se, obsequium profiteri, ne perduellionis crimen incurrant. Turbauit nonnihil factiosos adhibita hæc rariùs legationis pompa, & terror Maiestatis incussus, quare submissiùs agendum cum Rege sanxerunt ac primò rescindendam petitionum partem aliquã, quibus per supplices libellos regias identidem aures fatigabant; in vno verò, quod de religione conceptum fuerat capite, mordicus hærendum, nempe vt religionis libertatem peterent, sed verè liberam, nullo aut locorum, aut personarum discrimine circunscriptã: ad quos missus Comestabilis Regem nunquam in id consensurum affirmauit, ostẽditque edicta Sectariis Regum indulgentiâ concessa certo tẽporum spatio definiri, quo euoluto vi planè sua excidant; nunquam passurum esse Regem in regno Gallico duplicis religionis permanere dissidia, interesse Majestatis extrema quæque tentare remedia, grande vt hoc malum auertat; non impleri posse ab Rege Christianissimi Principis nomen, si hæresim, quæ tantum hoc decus obterat, per regni prouincias impune propagari permittat. Atqui (subijcit Cõdæus) ab omni errore & superstitionibus purgata religio, sacrorũque codicũ auctoritate subnixa, hæreseos nomine infamari quî potest? satis (inquit Mõmorãcius) sua se nouitate infamat, Borboniorũ autẽ nemo pestifera hac lue corruptus fuit præter vnum te, qui Condæus es Princeps, vno regiorũ odio inductus in hoc immersisti te barathrũ, è quo emersurũ te aliquãdo cõfido. Hæc cũ indignatione præfatus, equũ festinus inscẽdit subdiditque nihil vnquã satis hæreticis fieri posse, nihil eos pẽdere veniã criminibus suis ab Rege cõcessã, nisi mercedem pro ijsdem adieceris.

Fecialis ad Condæum mittitur.

Turbantur Sectarij.

Religionis libertatem petunt.

Negat Comestabilis.

Libera Comestabilis ad Condæum Oratio.

Haud facilè assentior iis qui memoriæ prodiderunt Condæū apud Sandionysianū fanum à Sectariis coronatum inRegem, monetamque auream hac inscriptione excusā *Ludouicus X I I I. Dei gratia Francorum Rex primus Christianus*, nam commentitium id esse probat satis verecundiaPrincipis turbulentis illis tēporibus perpetuū Regi obsequium deferentis; idque si vero affine esset, haud prætermisissēt nostrates historici insolentē hanc, ac penè mōnstrosā insectari audaciā, cuius tamen eorū nullus meminit; præterea vindicatum in Condæo fuisset ingens hoc Maiestati probrum inustum. Quantò verius quod de singulari Regis pietate narratur, qui edicto sanxit, capitali etiam aduersus contumaces indictā pœnā, vt precatoriæ coronæ variis crucibus distinctæ palam gestarentur ab omnibus, quò à falsis fratribus internoscerentur veri germanique Dei cultores. Et sanè perpulchrū erat sacra hæc Marianæ seu Angelicæ salutationis monumēta, crucibus variis interstincta hominū matronarūque collo affixa contueri. Non deerant tanto è numero, qui collo tenus duntaxat Catholici essēt dedignante capite quod collū admisisset, verùm Marianū hoc vinculum minùs aggrauabat, quàm cruciaturus fuisset Carnificis laqueus, si detrectassent imperium. Sic extemporales fiebāt, & fungorū more nascebantur Catholici, huius nominis obtentu destinatam sibi pœnam eludentes: adeò nēpe verū est rebelles formidine pœnæ vehementiùs quàm pietatis stimulis concitari. Fecialis cū regiis insignibus conspectus sectariorū audaciæ, vt antè dixi, modum aliquē attulerat, at ijdem iustā postulati alicuius passi repulsam, ad arma iterum proruunt, Metas ad partes trahere tentant, sed eò vsque eniti non licuit: si conatus ex voto cessisset, Germanorum stationibus transcribendam vrbem sanxerant, illinc Alemannicas facilè petituri vires, vbi non sufficerent Gallicæ. Lugdunum item frustra ambierunt sectarii per cuniculos in arcem intromittendi. Lectoracum iisdem à Fontralio Armeniaci Senescallo tradendum commodùm occupauit pro Rege Monlucius. Rupella turbidis Caluinianorum præconum concionibus excita, exuto Regis sacramento in Condæi Principis fidem concessit, eorundem vocibus ad cædem, ad sanguinem, ad prædas, ad cudendam in vrbe reip. formam incitata est. Cessit pariter Aurelia nullum Dominum nacta, cùm pluribus regendam se dederet, sed maius aliquid rebelles moliti sunt, quod paucis expediam.

Fabula de Condæo refellitur.

Regis edictū de Marianis coronis.

Collo tenus Catholici.

Metas ambiunt hæretici.

Et Lugdunū

Rupella Condæo paret.

Aurelia pariter.

Tētata fame Princeps Vrbiū Lutetia penè ad hostes defecerat, audiebatur indignātis populi murmur, & in Comestabilē querimoniæ ver-

Fame tentatur Lutetia.

sæ, ob cōtractā ab illo cū Condæo & Coliniis propinquitatē diuturnā premi Parisiēses inediā, quæ vt acriùs vrbē vrgeret, intercludēdi causa commeatus, Montem Rigolii, propè Matronam Perduelles occuparant, alares moletrinas ad Sancti Honorati, & Templariorū portas igne vastarant. Clausa annonæ subsidia ingens consequuta erat inopia, & inopiam fames: deficiebat præcisis quasi neruis elanguescens amplissimæ ciuitatis corpus, & cum accisis viribus concidebant pariter animi; honesta mors, quæ strenuè dimicantibus ab hoste consciscitur potior tum visa Parisiensibus, quàm quæ per rerum egestatem infertur. Alternabantur semper dissoni aduersus Comestabilem importunique clamores, Ille testimonio conscientiæ tutus, principio quidem prætervolantes has calumniarum & calumniantium muscas despicere; tum importuniùs nomini suo obstrepentes abigere; postremò ne quid sibi aduersi pararent, Lutetiā digredi, cùm autem exiret, Stationarijs ad Sandionysianam portam excubantibus dixisse fertur, hæc ipsa dies inustas mihi calumnias omnes diluet, quam aut postremam hac in vita mihi decurrendam, aut illustris victoriæ testem futuram denuntio, auspice Deo, Deique Genitrice Maria de hostibus reportandæ quod tandem contigit. Interea Lutetiam fames, & Sandionysianum oppidum insignibus regni nobile rebelles insederant. infesti quidem obsessis hostes, sed infestior, longe fames erat, cui vt maturè subueniretur, copiæ properè Lutetiam missæ sunt, à quibus rei frumentariæ in vrbem inducendæ via fieret, castella annonam obstruentia capta vel excisa, hinc paratior longè miles ad obeunda belli munera redijt; sublati, quibus Mommorancius concerpebatur sermones. Refecto corpore validiores excrescebant animi, hosteque vno depulso, alterius profligandi spem certam conceperant Regij. Iamque arma sumebant, eaque auro insignita, perinde ac certari debeat auro non ferro, & non amentur ab hostibus veriùs, quàm timeantur huiusmodi arma. Comestabilis copijs vndique ad Regem affluentibus auctus pugnæ locum, patens camporum æquor deligit, vrbem inter & Sanctum Dionysium; iamque regio in exercitu censebantur peditum XVI. millia, Equitum cataphractorum tria, Condæo bis mille ac quingenti equites, tria peditum millia præsto aderāt, sic impar Regijs copijs Condæi acies perrumpenda delendaque penitus esse videbatur, nisi vnus multorum instar ad fuisset Condæus, qui labantes suorum animos paucitatem suam obtendentiū erexit, dimicandumque putauit, vt famæ consuleret. Post explicatas vtrinque acies, pugna committitur; anceps principio fortuna fuit, tum in re-

Cōmestabilis falsò incusatur.

Lutetiā exit, Eius præsagitio vera.

Cōmeatus in vrbem infertur.

Recreantur ciues.

Regiorum & Condæanorum certamen.

belles pronior, postremò in Regiorum parte herere conspecta; splendidior multò furura, nisi nox trahi diutiùs pugnam vetuisset, sicque obscurasset victoriam, quæ procreatrix est gloriæ.

Mirabilis tum extitit Annæ Mommoranciì Comestabilis, ideoque non prætereunda virtus. Hic octoginta ferè natus annos alter Priamus pro patria, pro religione ferrum adhuc tractare sustinens, iuuenilem in prælio mentis ardorem cum senili maturitate coniunxit, sed desertus à suis, & à Condæo violenter inuasus, non despondit animum senex, neque acceptâ in ore plagâ, dum efflueret cruor, Mommorancianam vnquam virtutem deseruit, tametsi paucos post dies deserendus à vita; nam cùm à Roberto Stuarto, vt se victori dederet, rogaretur, à quo amica cuncta sperare iubebatur; exarsit enim verò Mommorancius, collectisque, vt vt potuit viribus, ensis capulum in eius maxillam intorsit, ternosque dentes excussit, quasi castigaturus importunum illud os, vnde tam fœdum consilium erupetat. Stuartus inhonesti vulneris impatiens, aut quispiam alius è turba eius probrum vindicaturus, Mommorancium plumbea glãde per tenuem loricam in tergum adacta humi afflixit. Curriculò aduolant laborantibus suis suppetias allaturi Cossæus, Aumalius & Danuilla, & redintegrato certamine procul hostem abigunt. Condæo fortiter dimicanti suffossus est equus; periclitanti adfuit repens suorum auxilium, ad Sandionysianum fanum Comestabilis vehitur insequente Mommorancio filio hostium cædibus cruoreque conspersо, sic Mommorancianum amplificaturo nomen, quod Comestabilis eius Pater auxerat; qui tandem prægrauante senio, acceprisque, vti supra dixi, vulneribus viuere desijt, ingenti sui desiderio bonis omnibus relicto, Vir enim fuit, cuius gloria cum virtute certauit ex æquo. Hunc Mommoranciana stirps nobilem fecit, nobiliorem Pietas, ardorque religionis Romanæ vbique tuendæ, ne degener altæ Majorum virtutis existeret, in quos prima Catholicæ fidei per Apostolicos viros in Galliam missos iacta sunt semina, atque hinc primi Christiani Barones appellari cœperunt. Amor eiusdem in patriam, fides in Regem, Animi fortitudo, & in aduersis constantia magnis eum qui hoc seculo floruerunt Heroibus æquant; Solennia funeris regiâ penè pompâ processerunt, ferales honores huiusmodi procurante Reginâ à qua (vt aiunt) plus luxus in exequijs, quàm lacrymarum allatum, gaudium tamen ex hac morte conceptum ne foras erumperet, simulati mœroris integumento contexit: deducta est in funere Mommorancii effigies, qui honos Regibus vnis Regumque filiis decernitur, dum interea gestiret animo Regina, quòd Nauarræo

Heroica Comestabilis vis.

Lethaliter sauciatur.

Condæo suffoditur equus.

Comestabilis obitus.

Virtutes.

Mommorãcy primi Barones Christiani.

Regiâ pompâ funus ei accuratur.

Portatur eius effigies.

Rege, Guisio ac Mommorancio morte sublatis, quorum potentiam & fastigium in sui diminutionem accipiebat, certa nunc rerum potituram se solam, dum competitores abessent; atque vt aulicis omnibus spem imperandi deinceps omnem adimeret, summum armorum imperium in Henricum filium Andium Ducem, quem ardentiùs complectebatur, adhuc puerum transtulit, sic bellicis in rebus imperatura, quia imperatura filio.

Regina Henrico Andiū Duci armorum imperiū tradit.

Dum iusta Comestabili fierent, nulla propterea ab armis quies erat, Andelotus enim & Mongomerius primâ post peractum prœliū luce ad suburbia vsque progressi, ægrè sibi admodùm esse contestati sunt, quòd in præteritum Martis ludum nihil operæ contulissent, se se itaque armati Parisiensibus ostentant, tum ad restaurandum certamen prouocant; sed gloriosorum militum in paucis incendendis moletrinis omnis consumptus est labor, quin & restitit vna è solido saxo constructa, defensore Guerrerio paucorū militum duce, atque hæc meta binorum, quos iam retuli, bellatorum fuit. Catholicis ab hoste lacessitis Martis aleam iterum experiri non licuit, occupatis quippe in efferendis Christiano ritu suorum, qui in acie ceciderant, cadaueribus; aut in prædâ post partam victoriam viritim diuidendâ. Ex ijs pauci hoc in prælio desiderati, sed nobiles, hostium longè plures occisi, indeque factum vt perduelles collabentibus paulatim rebus suis, veriti ne ab Andium duce in oppido Sandionysiano inuaderentur, Monterigolium cum Germanicis copiis iungendi profecti fuerint, quæ Casimiro Duce Septemviri Palatini filio in Lotharingiam vsque peruenerant, quo pariter ab Rege missus Aumalus fuerat, vt tria inde Equitum millia Regno suppetias allatura deduceret. Parte alia regiæ mirum in modum augebantur copiæ tum ob insignem Pij V. Romani Pontificis liberalitatem, tum ob peruigiles Ludouici Gôzagæ Niuernēsis Ducis curas, qui magnū armatorū numerū ære Pontificio in Subalpina prouincia conduxit; hic dū iter ageret Matisconem vrbem à Sectariis occupatam intercepit, Niuernium inde flexit, vxorem puerperio tum laborantem aditurus, sed ecce Donzio non procul, ditionis suæ oppido in hostium incidit agmen, quos post acrem velitationem fudit fugauitque, altero genu sauciatus claudicauit reliquo vitæ tempore, nec ægrè tulit illam tibiarum imparilitatem, cùm ad singulos gradus victoriarum suarum admoneretur, & lentiùs sic incedendo, velociùs bellicæ laudis festinaret ad culmen.

Andelotus & Mongomerius pugnam renouant.

Vilis horum conatus.

Copiæ Regi adducuntur

Matisconem occupant Catholici.

Niuernensis Dux vulneratur.

Alia etiam è Belgio per Albanum Caroli Regis postulatu missa subsidia, properèque in Galliam aduenerunt præter morem cunctabundæ

Missa ad Regem è Belgio auxilia.

bundæ nationis; nec expectatus id vt fieret Catholici Regis nutus, quod Margaritam Parmensem Belgij Gubernatricem non parum torquebat; sed ardens propugnandæ religionis studium morarum impatiens, & nota Albani prudentia omnem ei scrupulum euellebat; quare viro tanto recens in Belgium cum amplissima potestate misso permissa tota res est, ageret ipse aut ex mente sua quod in rem fore videretur, aut potiùs è Catholici Regis nutu, quem è continuo aulæ vsu exploratum satis habebat. Hic ergo Baionensis colloquii memor, reputansque quæ inibi de mutuis inter se præstandis auxiliis agitata fuerant, Galli Oratoris postulatum & Hispano Regi perhonorificum, & alendis Belgas inter & Gallos Hæreticos inimicitiis opportunum esse censuit, itaque delectum militum Oratori de Senatus sententia pollicetur, additque tempori adfuturas copias, nec spem datam fefellit; si quidem re cum Margarita communicata, duo peditum Hispanorum millia, mille præterea ac ducentos equites plerosque ex Hannoniæ & Artesiæ nobilitate Ioanni Lignio Comiti Arembergio committit. Quin & memoriæ proditum est Albanum ipsum & operam suam & ducatum ad hanc expeditionem obtulisse, siue quòd pro tuenda Maiorum religione ancipitem hanc aleam à se tentari pulchrum putaret, siue quod, cùm vastissimo foret animo, incitatiore raperetur studio gloriæ nouis semper incrementis amplificandæ. At quia suspecta sunt quæ à suspectis vltro solent offerri Magnatibus, Grates ab Oratore Gallo Albano Duci persolutæ sunt, reiectumque comiter beneficium est, quod quia spe maius & postulatis amplius spondebatur, meritò pro nullo, aut nocituro habitum fuit. Igitur inclinato in finem Nouembri an. 1567. Cameraco discedens Arembergius post triduanas pro eius expeditione peractas ritè supplicationes cum Marchione Villerio consociatis apud Ambianum copiis ad Regia profectus est castra, obitisque cum laude certaminibus aliquot Albani accitu remigrauit in Belgium. Delectus item per Aquitaniam habebantur pro Rege Monlucii operâ, dum ex eadem prouincia quatuordecim equitum turmæ, septem supra viginti peditum centuriæ ad Condæum properarent Campagnaco Duce, qui exuto Monachi habitu Auratum in Lemouicibus vi cepit, & quia minimè sibi temperare norunt qui nuntium Deo, pietatique remiserunt, quem occupauerat locum sine mora diripuit, Pictauium tentauit, sed frustra; mox sectarii Pontē, oppidū ad Igonnam situm intercipiunt, vbi cædibus ac rapinis fœdè grassantur. Oppidanorum nonnulli fugâ Senonas euasere; vitam pacti dedidere se hosti, qui in arcem perfugerant, aliis atque aliis

Albanus Dux operam suam Gallis Catholicis offert.

Luculentiora beneficia pro nullis habenda.

Varii delectus in Aquitania.

Pro Rege.

Pro Condæo.

Cāpagnacus excucullatus Auratum capit.

Hæreticorū immanitas.

potiti rebelles oppidis multa vbique feritatis impressere vestigia. Mors Sacerdotibus illata gratiæ loco habita, quippe suppliciorum acerbissimorum finis. Narrat autor aliquis intra annum 1567. in Gallico regno diruta ab hæreticis 600. cœnobia, cæsa ab ijsdem quina Sacerdotum millia.

Henricus Guisius Colinium terret.

Erectus his successibus Colinius distrahendi hostis causa, dũ Caluiniani Sequanam transmitterent, Senonas ducit, cui potiundæ vrbis adempta spes est, præsidiariis cohortibus communitæ, quibus ab Rege præfectus erat Henricus Guisius ad excelsa iuuenis natus, cuius indole ingentibusque ausis Colinius perterrefactus abscessit, Braiamque ad Sequanam flexit minora aut aggressurus, aut occupaturus loca; atque ita minore longè bolo collectam ex longo famem depulsurus, quam tum in se, tum in milite cladibus etiam suis ferebat acerbiùs; dicere sæpe solitus, vbi saginatum probè armatorum abdomen fuerit, reliqua in expedito fore: curandum & saturandum hoc monstrum, sic exercitus ventrem, quasi monstrosum quid esset, appellabat; cùmque à re cibariâ auspicanda omnia duceret, in eo connitebatur, ne commeatus vnquam deficeret, vnde suos singulis cohortibus pistores cum equis farinâ onustis præfixit. Non damnarem sollicitiores in hoc hominis curas, nisi versæ in rapinam forent, dum continuas militi grassationes permitteret; hinc soluta confestim militaris disciplina, vbi prædas agere & latrocinari licuit, id autem permittebatur, quòd æra in Germanorum stipendia non suppeterēt; qua gente inquietius nihil, dum quæ persoluta statim oporteat, diuturniores trahuntur in moras, quos vt recessum identidem minitantes in castris cohiberet, centena ijs librarum millia Condæus partitus est, ad quam pecuniarum summam tum ipse, tum Duces, tum milites, quin & sarcinarii serui, lixæ, seu calones etiam symbolam vltro suam contulerunt. Repræsentato militari stipendio compressæ sunt Alemannicæ querelæ, obstrictæque noua mercede cohortes in Condæi verba iurarunt. Et Parisiensis quidem ciuitas vt Regni totius opulentissima & clarissima vrbs est, ita & Regii principis conatibus dignissima esse videbatur, magnos quippe magna & illustria decent; prætermissa tamen est à Condæo Lutetia, seu quòd peruigili noctu interdiuque communita custodiâ foret, seu ne re improsperè gestâ, quidquid aut miles, aut copiarum præfecti deliquissent, in supremi totius exercitus Ductoris verteretur opprobrium, ignobilioribus ergo subigendis locis operam dedit, missis qui in Allobrogibus, Ruthenis, Cadurcis, Prouinciáque Septimania delectus agerent, quod per Cursolium, Acierium, Mombrunium & Mouentium im-

Colinius in abdomen semper intentus.

Furta militibus permittit.

Germanicæ copiæ lucro ducuntur.

Copiæ varijs in locis ab Hæret colliguntur.

pigrè factum. In Boiis, Aruernis, Segusiano, Matisconensi, ac Belliiocensi agro à Ponçenaco Condæi iussu tria peditum millia, equites quadringenti conscripti. Commeatus tantæ multitudini par Cluniacensi cœnobio religione sacro per summam iniuriam extortus, indigniùs habiti cœnobitæ, Sancti Ioannis oppidũ cum multa ciuiũ cæde direptum, Exin crebris certaminibus alternante sæpius victoria dimicatum est. De pace agitatum aliquid; cuius consilia interuertit pertinax rebellium postulatum, cui si annuisset Rex, pessimè ipsi futurum erat; quippe in ordinem redigendo, errorique prostratâ verâ religione litandum.

Post triduanas inducias solitæ sunt Marti laxatæ habenæ, & è modica illa quiete turbulentiores motus exorti, perinde quasi non bello quies, sed quiete bellum quæreretur. Condæus desperatâ Lutetiâ Parisiorum, Carnutum obsessurus aduenit. Inter Galliæ principes ciuitates ea meritò censetur vrbs soli amœnitate vbertateque paucis admodũ inferior, ideoque Parisiensium nutricula appellatur, quorũ in vrbem fruges suas exportat; ad hæc, munita situ & opere valida, quam cùm maximè conseruatam esse vellet Rex, eò Antonium Lignerium ingentem animi virum cum duabus equitum alis & quinque peditum signis, Burdelium verò cum denis Vasconum centuriis misit. Principio leuibus hostes à Lignerio dimicationibus pulsi, sed dũ Condæus totam belli molem in vrbem immitteret, Lignerius vrbanis se septis munimentisque cohibuit. Inchoata verberatio sexdecim passuum ruinam muro impressit, quæ ne continuatâ glandium emissione latiùs pateret, Lignerius aggerem, cryptasque inter Droensem portam & Dominicanorum ædem extruxit, machinamque imposuit, quæ aditum hostibus per hiantem murorum labem adimeret; atque hinc erectior factus aliquot de fatigato crebris eruptionibus hoste signa reportauit. Non inertiùs tamen vrgebant obsessos sectarii, & quia famæ Regis intererat, in huiusce vrbis tuitione à reliquarum præcauere periculis, hostes verò ab oppugnatione & expugnatione arcere difficile admodum videbatur, pacem vltrò Medicæa proponit, expeditum desperatis ferè persanandis rebus præsidium; in pacem autem hoc propensior ferebatur, quò citiùs demulcendos sibi rebelles esse ducebat, ne capitis sui hostes pateretur; & moliri contra se aliquid certum habebat è minacibus literis, quas, dum è cubiculo in sacellum mane de more pergeret, solo sparsas collegerat, iisque resignatis parem sibi cum Guisio sortem, cædemque imminere haud absque stupore legerat, ni beniginiorem in perduelles indue-

Carnutum à Condæo obsidetur.

Coepta Verberatio.

Pacem Medicæa proponit, & curꝰ

Minaces in eam Literæ.

Maynardus occiditur. ret animum, & religionis libertatem edicto sanciret. Timorem auxerat inopina Maynardi Parisiensis mors catapultæ glande traiecti, cuius ignoratur hactenus parricida, è nouatoribus fuisse vnum aliquem haud debilis erat coniectura sic vlturum crudeliter æquam
Pax inita. Præsidis in sectam, eiusque sequaces indignationem, & iustas in eandem pronuntiatas sententias. His igitur absterrita Medicæa, quos frangere vix poterat, placare satagebat, promulgata itaque pax est,
Sectariis cõmoda. per quam Religionis concessum arbitrium, sectarii ex exilio reuocati, ac sibi suis, patriæque redditi, quibus bellorum diuturnitate fessis acceptissima quies, vt & Casimiro Principi fuit, seu quòd in præstitutis fœderis legibus plurimùm acquiesceret, seu quòd continuatis Germanorum laboribus paria non reponerentur stipendia, adeò raró impenditur opera sine emolumento.

Admiralio nõ probatur. Hæreticorum Proceribus simulata visa pax est, nulliusque roboris, vnde sic orsum Admiralium ferunt, *Aduersariorum fraudem hãc esse cui non compertum est, prætento pacis nomine atrocius longè bellum*
Eius oratio. *integrare molientium? Non tam pacem appetunt quàm tempus petunt, & tempus ipsum omnia vincit & expugnat: vt armis exuamur postulant, quid ita? vt quos armis tectos nequeunt, inermes crudelem in modum contrucident. In eos res nunc sunt, vt paucorum duntaxat dierum exhauriendus nobis labor sit, & deuoranda molestia, si cum Regiis dimicandum sit, ea nobis vires sunt, quæ terrorem illis incutiant, quasque corroboratura est æterni Numinis dextera, pro cuius religione pugnatur. Si Carnutum, quod in manibus est, deseruerimus, hinc inertiæ nobis contrahenda est macula, quòdque enicerit in nobis debita erga Regem obseruantia, necessitati aut imbecillitati tribuetur. An non experiendo didicimus sublestam Regiis fidem inesse; aut potius nullam; promissis nos alunt quæ nusquam expleturi sunt; sed nec pati possunt sanctum id esse quod spoponderit Rex; nam continuò tum à Guisijs, tum à Reginâ ipsâ optima quaque Regis studia corrũpuntur. Igitur paci si assensi fueritis, bellũ in vos crudele cõparabitis, Non excidit Regis, Regiorũq; animis accepta Meldensis iniuria; acriores hæc morsus infigit, quàm vt sine vindicta tolli cõmodè possit.* Admiralii Oratio nobili-
Confutatur. bus sectæ viris haud omnino placuit, his enim post diutinã armorum tractationẽ, quodq; hinc sequitur, errabundæ vitæ fastidiũ, iucundissima visa pax est, quæ dissipatos palatosque omnes in familiarũ suarũ societatẽ reuocaret, id circo enim (vt aiebãt) arma à nobilibus sumpta vt quæreretur pax, qui vnus bellorũ est fructus; hæc cũ vltrò, amplisque adeò conditionibus offeratur, satisne sani erimus, eam si obuiã

repellamus, an non satis ciuili sanguine conspersum est solum? Præter insomnes in tot bellis excubias, hiantia in pectoribus vulnera, exhaustas continuatis laboribus vires, superant adhuc longè grauiora quæ ad pacis fœdus extimulent, nam dum ardent bella, hostium prædæ omnia nostra exposita sunt, Parentum iam effœtorum senecta; mollis liberorum infantia solito Patrum præsidio destituta est, collabascit denique familia tota dum procul sunt aliudque agũt, qui ceruicem ruituræ supponere queant. Contrà verò differebant Caluinianorum errorum præcones, intempestiuas aulæ Condæo exprobrantes delicias, quibus vt frueretur, periculosam sectæ pacem componebat, quæ pax aut clauda aut malè sita militari ioco nuncupata fuit, quod à Birone tibiarum vitio claudicante & Malassisio supplicum libellorum magistro fuisset proposita, quanquam iure appellari sic poterat, nam quia parum firmiter & in contractiores temporis moras coaluerat, proximum erat vt titubaret identidem, priusquam funditus interiret.

Bellorum damna.

Pax hac clauda appellata.

Pace vtcũque stabilitâ restitutæ cõfestim vrbes bello captæ, Augusta Suessionum, Autissiodorum, Aurelianum, Blæsæ, Chatitæum oppidum, soluta Carnutensis obsidio, quam vt concludam, quæ diutiùs morata est stylum, in Christi Genitricis commendationem prodigium hoc afferam quod eo tempore accidit, hodieque non sine stupore conspicitur. Extat supra Drocensem portam Beatissimæ Virginis Mariæ imago quasi supra vrbem excubans, quam charissimam habet quippe ab ea in patronam ascita. In augustissimam illam speciem, vt peccarent illustriùs, catapultas suas tanquam in scopum per ludibrium sæpius disploserunt Antimariani perduelles irrito semper iactu, tametsi non multùm aberrarint; hodièque sparsa hinc inde visuntur pilarum vestigia integro omnino & illæso simulacro; non illibata tamen sclopetariorum manus aut mens potius fuit, coram Numine rea, apud quod, vt in magnis pijsque, ita & in pessimis voluisse ad pœnam sufficit aut ad coronam. Ab armis ergo quies aliqua fuit, non à mutuis tamen inter aduersantes sibi partes conspirationibus, siue exploratis, siue non satis compertis. Et Condæus quidem queri primùm occœpit, quòd è firmato recens cum Rege fœdere, nulla sibi parta foret securitas, imò periculosior longè sibi quàm aliàs immineret clades *Tutius (inquit) fuit inter belli discrimina quàm cum fucatâ hac pace futurum est mihi, lapsandũ mihi nunc restat in facili, cùm in lubrico semper hæserim nunquam fallente vestigio, quorsum in Nuceriarum castello, dum otiosus è fenestra spectarem, hac in*

Restituitur Vrbes captæ

B. Virginis statua illæsa.

Queritur Condæus nihil sibi tutũ.

Ceruum appellari se, more ferarũ necandum.

equo & cum venatorio cornu prætervectus aliquis mihi nusquam antè conspectus, vociferatus est. Magnus ceruus latibulis extractus Nuceriam compulsus est tandem; ferali hac vnum me voce peti mens omnium fuit. Ergo ferarum more manent me vincula, quibus, vt maximè coner, extricare me nequeam, igitur deserendus properè est insidiarum hic locus; nec mora, simulato morbo adhibitoque ad firmandos gressus nobilium hinc inde fulcientium pari, noctis silentio è castello cum vxore, prosequentibus domesticis exit, traiectoque Sequanæ vado ante lucis appulsum Nucetum in Heduis aduenit, nec illic Condæo tutiùs esse licuit, nam Tauanius Aumalij Prouinciæ Præsidis Legatus eidem per missos ab se speculatores molitur insidias, quorum è numero comprehensus vnus, dum fossæ altitudinem exploraret, cœptam in eum coniurationem aperuit, secretiores in eius perniciem cœtus habitos; iustum etiam in Regios Principes timorem cadere posse admonens, ac proinde salutem suam contra occultas proditorum artes communiret, nullum tam firmum esse, cui periculum non sit etiam ab inualido, addidit conscientiæ tot edictis stabilitæ libertatem omnino sublatam, vim sectæ professoribus paucos post dies adhibendam, ni actutum religionem demutent.

Nucetum venit.

Insidias vitat.

Hæc omnia per Telignium & Hospitalium questus apud Regem Condæus, eum ad mitiora inflexerat, ni Medicæa intempestiuæ Regis indulgentiæ obstitisset, Condæum cum Admiralio capiendum esse dictitans; & postremum hunc oderat quippe turbarum istarum conscium, Euangelium (vt aiebat) verbo tenus profitentem, Euangelij verò perfringentem canones, cùm rebellionis virus religiosi cuiusdam officij melle conditum clam in omnes sectæ cultores diffunderet. Austeriorem eius indolem non vsquequaque improbabat Rex, quòd in seuero illo supercilio non vulgarem incubare prudentiam & continendis in obsequio factiosis peridoneam hanc naturæ morositatem existimaret, crebrius enim Admiralii in ore nihil erat quàm effatum istud Christiano Philosopho dignum, Regis in fidem & obsequium reuocandas subditorum omnium mentes esse, asserendam firmiùs Regi auctoritatem, cùm tamen & suorum animos à Rege distraheret, & Rupellanam rebellionem prouehere nunquam absisteret. Hospitalium etiam Reginæ suspectum exosumque reddiderant iuges, vt aiebant, pro sectarijs curæ & proniora pro mitiganda Regis in eos Iudicumque seueritate studia; Hunc quidem commendabat satis apud Regem Reginamque magna in rebus agendis solertia, sed nihil tamen lucis ab eo turbidis in rebus expectandum esse affirmabat

Austera Admiraly indoles cur non improbetur?

Eius simulatio.

Reginaquippe flagrantioribus sectariorum studiis obcæcato, cæcum autem vasto regni totius corpori ducatum præbere minimè posse; quare vt inutile ad regimen caput ex aula semouere decreuit, personatum hunc Lutheranum appellans, cuius consiliis plura longè, quàm hostium armis damna in Galliam importata fuissent, atque hunc ideò magistratu abire iussit. Et hunc quidem Catholicam semper fidem professum esse scio, tametsi cognatos, famulosque Hæreticos habuerit. Si nihil contra Orthodoxam fidem sensit, quod asserere, quàm negare consultius est, prodigii certè instar fuit inter tot affinitate sibi coniunctos alterius religionis viros vnum hunc in Romanæ Petræ, hoc est Ecclesiæ soliditate tenuisse constantiam. Labem sanè grauem nomini suo inussit ob susceptum frequentiùs sectæ patrocinium, atque eò grauiorem, quò in editiore peccatum hoc admisit fastigio.

Hospitalius Regis aula expellitur.

Persistit Catholicus, inter cognatos hæreticos.

Nec Condæi tantùm ad Regem, sed & quotidianæ sectariorum procerum perferebantur querelæ, infestum se sibi Romanum pati Pontificem, qui Concilii Tridentini promulgationem in Gallia annuente Reginâ adurgeret; coalescere item nouam apud Catholicos societatem, cui sacri fœderis nomen sit; in eam cum aulicis omnibus propediem ascribendum esse Regem, atque id è Baionensi cum Hispanis colloquio planum fieri; à supremis etiam Curiis pro confirmandis pacificationis edictis diuturniores necti moras, & in reformatos tanquam perduellionis reos inquiri. Nam quorsum Rapinus vir manu strenuus, à Condæo Tolosam missus, vt edicti denunciationem postularet, Senatus autoritate capite imminutus est. Erat hic è Condæi domesticis vnus, & hoc nomine gratiâ aliquâ meritò impertiendus, quæ Regiorum Principum familiæ negari non debet. At non vnius tantùm profusus est sanguis, grassatum quippe est variis in locis in Reformatorum vitam, Ambiani, Rotomagi, Antissiodori, Aureliæ, Blæsis, Bituricis cumulatæ amplissimis in Vrbibus innocentium cædes aut conniuentibus magistratibus, aut approbantibus factum. Contrà verò obijciebat Rex à sectariis sancitæ pacis violari leges, dum Rupellam, Montalbanum, Sancerram, & plerasque vrbes alias non modò non redderent, sed vallo etiam & propugnaculis aduersus se legitimum harum Dominum cōmunirent; exturbatos illinc contra fas Catholicos; descriptum in familias tributum, à sectariis interuersum; adijciebat haud exprobrandum sibi esse Regi Christianissimo, si cum Catholico Rege sacrum iceret fœdus, cùm sacrilegum ipsi cum Orangio Principe & Gheusijs Belgicis percussissent, quorum vires auxiliaribus vltro copiis auxerant,

Queruntur hæretici de Concil. Trid.

Et instituta Sacri fœderis Societate.

Tum ob cæsos sectæ cultores.

Contrà Rex queritur indigna à Sectariis & hostilia fieri.

idem sicubi opus haberent subsidium accepturi; dilatam autem à Curiis edicti pacem sancientis promulgationem excusabat, quòd perduellibus nihil satis vnquam factum esse d cerent, qui malesicia passim sererent, beneficia inde collecturi. Præterea contra Rapinum nihil iniquè à Magistratibus factū, hunc flagitiorū pœnam, quæ immania per Occitaniam ediderat, abscisso capite reportasse, Ambiani Rotomagi, aliisque memoratis suprà locis in sicarios tantùm sæuitum & furciferos aliquot, qui in dilaniandis Catholicis, Sacerdotibus præsertim agrestem Turcorum feritatem deuicerant; oppositos, vt mos est, cognitores fuisse qui excusis diligenter causis, in sceleris compertos condignis suppliciis animaduerterent. Nihil ergo esse, postremùm addidit, quod magnopere queri sectarij possent, infinita verò suppetere, de quibus expostulare posset Rex, si de subditis conqueri, in eius majestatem cadere posset.

Rapinum iure damnatum ostēdit, vt & alios iure cæsos.

Bellum magis desierat, quàm cœperat pax, nam perbreue illud pacis seu induciarum spatium in querelis & exprobrationibus consumptum est totum. Hæc autem belli aduersus Hæreticos tertii fundamenta iecere, quod Cōdæo, vt videbimus, fatale fuit, qui vt Coniuratorum deuitaret insidias, Rupellam cum vxore, liberis, Admiralio, famulisque mentito nautici operarij cultu profectus est, missis ex itinere ad Regem & Monlucium nuntijs per quos hostile nihil se machinari doceret, sed cum vxore partui iam vicinâ, liberis paucisque alijs comitantibus iter prosequi, fidum se hactenus Regi fuisse, futurūque sēper, cuius respōsa ad eos quos cōcinnarat libellos, præstolabatur. Rupellam pariter concessit cum Henrico filio Ioanna Nauarræ Regina, quam Monlucius attinere decreuerat, sed anteuerterat illa Duranio festinanter transmisso. Soubizius, Veracus, aliique Reginam postmodum subsequuti sunt, ac peramanter à Rupellensibus accepti, exclusis inde Catholicis, quò rebellibus vnis pateret vrbs maritima, & si quid discriminis ingrueret, tutos in portus immitteret. In vrbanum Rupellensium Senatum intromissus cum Nauarræa Condæus, orationem habuit, astantium omnium conciliatricem, adeò molliter horum in animos irrepsit, omnibus se se totum impertiens, quidquid opis in se foret largiter identidem spondens, admonensque haud absque maturo consilio factum id esse, vt suam, coniugis, suorumque omnium vitam Rupellensibus concrediderit, enim verò eos esse quibus omnia tutò committi possint, notam sibi perspectamque eorum fidem, ac beneuolentiam; idem contestata est Nauarræa, ac post blandas amicasque colloquutiones finitus est cœtus.

Condæus Rupellam proficiscitur mentito habitu.

Et pariter Nauarræ Regina,

Cum Rupellensibus fidenter & amicè agit Condæus.

Excanduit

Excanduit solito vehementiùs Carolus Rex, quòd in hoc rerum statu Condæanis partibus vires adderet Nauarræa; indignationem mirum quantum augebat, repetita nouæ gratiæ recordatio, qua Reginam hanc impertierat, dum eam iustæ Romani Pontificis iracundiæ subduxisset; An id assiduis Caluinianorum Præconum precibus, tribuendum sit, an mutabili varioque fœminæ ingenio, an ardentiori tuendæ nouæ religionis studio, haud promptum est satis definire. Rex Benearniam illico armatos Ductore Terrida misit angustam hanc asserturus sibi prouinciam, qui à Mongomerio cùm ingenti clade repulsi sunt omnes. Hinc Nauarræa erectior ciuile hoc inchoatum bellum ardentiùs prouehit; certa quidquid opum & autoritatis sibi reliquum esset, ad id omne conferre, quin nec eximium id habere quod longè sibi carissimum impertita esset natura; Henricum filium intelligebat, exemplo institutioneque maternâ hæreticum; eadem per Salignaeum sordidam (vt aiebat) Cardinalis Borbonij seruitutem carpere instituit, quòd erga Guisium Cardinalem, vilissimum asseclæ ministerium impleret. Non poterat non commoueri Carolus Rex; compressurus itaque Reginæ audaciam ternis in eam edictis detonuit, ac primùm Reginæ obnoxios suam in fidem & clientelam accepit, tum Religionis cuiuscunque præterquam Romanæ, cultum omnem seuerè prohibuit, Caluinianis Oratoribus intra quintum decimum ab edicti promulgatione diem regno excedere iussis; Postremò Caluinianam fidem à primoribus hæreticis eiurari voluit, id si abnuerent, magistratus ijs omnes abrogari præcepit. Dum hæc Parisiensis Senatus recognosceret, aditum nemini ad publica capessenda munera apertum iri adiunxit nisi Religione Catholico, quique in hac profitenda ad obitum vsque perseueraturum se iurejurando sponderet.

Nauarræa irascitur Rex.

Armatos in Benearniam mittit. repelluntur.

Nauarræ studium ardens.

In eam Rex edictis detonat.

Religionis nouæ incrementa non vni prouehebant sectarij; apud Catholicos etiam, proh religionis dedecus! inuenti sunt, qui ad idem adurgendum opus studia sua conferre non dubitarent, hos autem, quod religionis res omnes politicis posthaberent negotijs, Politicos appellarunt, pestiferum omninò hominum genus, quorum vita ab ea, quam præ se ferunt, religione, dissentit, qui quod dictis asserunt, factis expugnant. Id nominis contra Magnates aliquot hæreticorum fautores vsurpatum ægrè tulit Condæus, tametsi, nisi Procerum illorum dignitati consultum fuisset, acerbiùs longè appellari debuissent amphibij illi pugnantium religionum professores; sed plenus querelarum Condæus aut nouas ingerebat, aut veteres retractabat, in Lotharingum Cardinalem, & Lotharingorum fami-

Politici qui?

liam totam asperiùs inuehi solitus, ambitionis eos non ferendæ insimulans, qui quos experiretur secta patronos tametsi Catholicos, quotidianis contumeliis arroderent; quare intestinorum bellorum causam in eos rejiciebat, in Cardinalem præsertim, quem contemptim Sacerdotem impurum, tigridem ac tyrannum appellitabat; malè itaque de noua politicorum nomenclatura querebatur Condæus, cùm ipse atrocioribus dictis Romanam in Lotharingo Cardinale purpuram laceraret. Non multò pòst tempore belli longè flagrantioris posita sunt initia, quod, si moram spectaueris acerbissimum fuit, biennium quippe tenuit, longè tamen infestius mutuæ reddiderunt editæ vtrinque strages. Auxiliares tum Nauarreæ & Condæo aduenerunt è Germania copiæ, missis incassum qui aditus hostibus obstruerēt Aumalio & Nemorosio Ducibus, illi siquidem iustam detrectantes pugnam, dolo potiùs quàm armis in Galliā irrepserunt. Rex à Pio V. Pontifice, Florentiæque Duce instructissimo equitatu peditatuque auctus est; addidit & id gratiæ Pontifex quia verè Pius ad firmandos totius exercitus neruos, vt Regi ex immobilibus Cleri bonis ingentem pecuniarum vim misso ad id diplomate accipere liceret, quinquaginta nummorum millia concessa scriptores referunt. Tantis his belli apparatibus in florentissimi Galliæ regni viscera aduersantes inter se partes concurrebant, cui, quocunque sese fortuna verteret, dolendum supererat; nam tametsi Rex vinceret, ij certè vincebantur hostes, quos quanquam degeneres, aluerat tamen Gallia, & imbui eorum se cruore indignè ferebat, quos olim materno eduxisset è sinu. Iam præsto aderant Hugonotis Germanicæ copiæ, quibus additæ Britannicæ vires ab Elizabetha Regina Odeti Castilionæi Pseudocardinalis rogatu submissæ, qui cùm Bellouaci ageret, & obseptum sibi ad Condæum iter accepisset, præ iræ correptus formidine sibi propter hæresim infligendæ, transmisit in Angliam; vbi in Reginæ gratiam officiosus adrepens, magnum profectò suis pecuniarum adiumentum obtinuit, legationem autem suam cùm alijs plerisque tum præsertim infamis pellicis ductu inquinauit, quæ fœditas apud corruptæ religionis professores necessitatis velo obtenditur.

Condæus in Lotharingos inuehitur.

Bellum reliquis atrocius

Germani sectariis auxiliantur.

Aumalij & Nemorosij vires eludūt

Regem Pius V. & Florētiæ Dux adiuuant.

Sectarijs opem afert Elizabetha.

Odeti Castilionæi sordes

Referunt Gallicarum rerum scriptores implorata id temporis ab Hæreticis Gallis Turcorum auxilia, quò scilicet à variarum gentium arbitris Gallica internosceretur calamitas. Destinata itaque est ad Turcorum Imperatorem legatio; cui inter alia impetrandi subsidii argumenta, expositum est Caluinianam Religionem haud multum discrepare à Turcica, quare rem suam acturos auxiliares

SectarijTurcica implorant auxilia.

Turcos, dum Reformatorum res in Gallia promouerent, ab iisdem legatis additum ferunt, quia ad turbas & discordias serendas pessimo etiam cuique magna vis est, habere se quod ipsis in grati animi testimonium polliceri queant, in eo nempe se pro virili elaboraturos, vt per factionis suæ principes viros turbetur in Germania, eaque conserantur discordiarum semina, quarum occasione latiùs per omnes amplissimæ regionis prouincias Othomannicum proferri possit imperium, quin & Hispanum se Regem armis fatigaturos appromittunt, quoties in eum mouere Imperator idem decreuerit; addunt aliqui de tributo Turcis pensitando seriò ab iisdem Hugonotis agitatum. Turcus vsque adeò vile & abiectum Hugonotorum in Gallia genus esse respondit, vt cum huiusmodi hominibus pacisci aliquid, inglorium omnino sibi futurum existimet, nam quid inter hasce quisquilias & potentissimum Orientis Imperatorem fœderis iniri magnopere potest. Ad hæc induci se minimè posse ostendit, vt eos qui aduersus Regem rebellionem instituunt, & armorum & armatorum præsidio iuuet, Turcos cum Principibus ac Regibus vnis de maximis rebus agere solitos, non cum Regum subditis, quantò difficiliùs cum perduellibus, qui Principum excusserint iugum. Et profuisset aliquid hæreticis Turcorum opes & auxilia implorasse, si vel à Turcis ipsis obsequium erga Principes didicissent, & perduellionis odium, apud infidum etiam Deo populum execrandæ. Portam quam ingenti cum spe secta per Legatos adierat, occlusam sibi fuisse indignè admodum tulit; verùm ferenda hæc illi repulsa fuit absque vllo vindictæ condimento, quid enim magnopere in Principe tanto vindicare poterat? Non despondit tamen animum, verùm se suaque parum æqua lance dimetiens, cum Carolo multarum palmarum Rege Martis alcam experiri se tutò posse præsumpsit, non satis intelligens defectæ viribus virtuti, & sola necessitate, vt moliri quid audeat, impulsæ; raro comitem se se dare victoriam.

Caluinianā religionem Turcicæ affinem ostēdunt.

Viles & abiecti apud Turcos hæretici.

Turci Regē colunt.

Perduellionem oderunt

Virtus attrita infelix.



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB EODEM CAROLO IX. REGE.

LIBER SEXTVS.

***Ab Anno Christi* 1568 *ad Annum* 1574.**



VM in eo res sunt, Medicæa subditorum sibi Regique mẽtes arctiùs deuinctura conceptam iurisiurandi formulam ad Prouincias imprimis fides misit; ea autem huiusmodi erat, vt coram Deo testarentur omnes ac per augustissimum ipsius nomen sanctè iurarent, Regem se Carolum IX. in summum legitimumque Regem agnoscere, ac propterea debitum ei obsequium ac venerationem offerre; item arma se nusquam nisi de ipsius mandato sumpturos; aut *Iurisiurandi formula subditos Regi deuinciẽs.*

ijs qui aduersus eum arma corriperêt, nec cõsilio nec submissâ pecu-niarum vi, nec aliâ quapiam re opitulaturos, nec secreta consilia, arcanosue cœtus agitaturos, aut fœderibus contra Regem conflatis illigaturos se vnquam, & si quos criminum huiusmodi affines deprehenderent, ad eos, quorum hæc nosse interfuerit, verâ sinceráque fide perlaturos, supplicaturos item se Numini, vnde optima quæque dimanant consilia, vt vnctum suum Carolum Regem, Reginam, Regiamque familiam totam pro ea, qua Principes præcipuo nomine suos, confouere solet gratia, incolumem præstet; omni autem se suppliciorum acerbitati subijcere profitebantur, si qui hac in vrbe (vrbis hic nomen exprimebant) turbarum motus orirentur, quibus initium ipsi aut occasionem dedissent. Non poterant sanè strictiùs colligari mentes, quàm sacramenti religione, quæ in iureiurando consistit. Hæc omnia in sectæ suamque ipsius perniciem comparari suspicatus Condæus, vt moris est ab iis, qui à recto decrrarunt, omnia tametsi tuta timeri; sibi suisque diligentiùs cauit. Dum autem iusiurandum hoc exprimeret Rex, vt hanc religionis formam aut æmulari se, aut ludificari Condæus & Admiralius ostenderent, diuersum omninò Rupellæ concipiebant iusjurandum, & cum iis nobilissimi quique sectæ primores: coalitã scilicet inter se societatẽ abrupturos se nunquam, Religionem quam iam hauserant Romanæ aduersam ad obitum vsque constanter propugnaturos, neque in vllas oblatæ pacis leges consensuros vnquam absque militiæ præpositorum assensu, & assertâ vitæ libertatisque circa religionem tutelâ; atque vt splendidum hunc reformatæ religionis titulum emereri iustiùs possent, collapsi disciplinæ militaris decus restaurare quoquo modo potuerunt, adnixi sunt; modum facturi videlicet auaritiæ, aut rapacitati aliquem, vt & crudelitati, libidini, cæterisque bella ferè comitantibus monstris. Latæ itaque cohibendo militi à Ducibus leges, quæ sæpius, ne quis non commonitum se satis obtenderet, à publico præcone recitabantur in castris; Ridicula planè res hæc erat, & nullius compendii futura. Nam qui ciuile tot huiusmodi monstris poterat expurgari bellum, quod totum ex his aliisque importunioribus etiam portentis sæpius coalescit? quænam satis coli pietas, in alterna cognatorũ strage? quæ tuta satis fides, dum vel inter fratres ipsos corrumpitur, quos arctiùs natura coniunxit, quænam castrẽsis efflorescere disciplina, vbi perpetua ferè morũ corruptela infamem in militibus dominatum exercet? Et tamen aliquod iustitiæ simulacrum in Condæano exercitu principio viguit, strictius quippe aliquid obseruatum in milite; compressa ad tempus omnis latroci-

Parem æmulantur hæretici.

Leges pro disciplina militari.

Ciuile bellũ vitiorum monstris abundat.

nandi cupiditas, sed priore qui refrixerat reuocato sectæ genio fucata hæc omnis motum disciplina momento diffluxit, maximè cùm iusta militi tardarentur stipendia, & ad prædas conniuerent, qui speciosas has continentiæ & temperantiæ conscripserant leges. *Citò corrumpitur quod in hæreticis rectum est.*

Vtrinque igitur apparatus armorum ingens, sed præstantiores ad audendum conspiciebantur animi. A Cocauilla pro Condæanis prolusum est primò, sed improspero, vt patuit, exitu, hic ternis bellatorum millibus è Normanniæ, Picardiæ, Flandriæ, & Artesiæ finibus collectis, cùm agros etiam Hispaniensi dominationi obnoxios infestos haberet, Albanus Dux apud Regem expostulat, nec mora Cossæus Marescallus contra Cocauillam eiusque asseclas latrocinia passim exercentes immittitur, quos vagos palatosque adoritur & ad Sancti Valerii fanum præcipiti fuga dilapsos expugnat; Gallos omnes qui in Cocauillæ censebantur exercitu benignè & indulgenter habuit; dempto vno Cocauilla nec non Ducibus aliquot, quorum capita carnificis gladio abscissa Lutetiam misit, excitandis pro asserta religione trophæis positurus initium, extraneos autem omnes obtrúcari iussit, coruorum in prædam tradendos pro ea laudis adorea quā in Gallia hoc est solo non suo venabantur. Interea Andelotus, Rupifocaldius, Lauardinus, Mongomerius, Lanoius & alii plerique è primaria nobilitate supplementum vndique Condæanis copiis conquirebant. Hi cùm in loco ab insidiis tuto castra posuissent; nam Meridie, Ligeri; ab occasu Dagueneria fluuio; ab ortu Sancti Martini oppido cingebantur, Boscouiridis castrorum præfectus hostem imminere nuntiat sub Martigio Duce leuibus aliquot præliis auspicatò congresso; iamque ab eodem Minqueterium victum vinctumque attineri docet, fusos, fugatosque reliquos. Andelotus tam tristi nuntio territus in equum repente insilit, ac duodenis fretus equitibus cum Lurchio, qui quinos supra vicenos equites ad S. Martini fanum traxerat, manum conserit. Lurchius non tam occidendi, quod in promptu erat, quam intercipiendi Andeloti desiderio flagrans, cùm deditionem imperaret, plumbea glande configitur, Boscoviridis pariter à Regio necatur milite; Andelotus vt cadentibus superstes ageret, ad suos incredibili celeritate transuolat; Martigius ab hostibus vndique circumsessus, ne qua pateret effugio via, securus fortunæ, quæ generosis plerumque adest consiliis, ab audacia præsidium petit, ac via per aggerem quem Lanoius insederat, factâ, obuios quoscunque perrumpit, editaque hostium strage, suos periculo exemptos in tuto collocat, ipse verò adunatis sibi Richelii copiis Salmurium versus iter intendit.

Cocauilla à Cossæo debellatur.

Capite plectitur.

Obtruncantur eius socii.

Leuis pugna cōmittitur.

Lurchius à Sectariis occiditur.

Boscouiridis à Regiis.

Andelotus fugit.

Martigii fortitudo.

Partheneum à sectariis capitur.

Andelotus recenti periculo defunctus metum in audaciam vertit, & oppidis nonnullis per vim aut deditionem acquisitis potitur. Parthenæum ducit, captoque oppido cùm Malo loci præses obfirmato animo arcem propugnaret, eâ tandem ab hoste deuictâ heroicæ fortitudinis pœnas quàm atrocissimas dedit, temeritatis falsò damnatus; quòd in exili & debili loco ingentis exercitus impetum victoriæque cursum inhibere tentasset; huic in infelicem arborem rapto fracta est gula, cui iure lauros palmasque parturire Gallia debuit, si iusta robustæ virtuti præmia rependantur. Mox consociatis cum Colinio fratre viribus Andelotus Niortium aggreditur munitum satis oppidum, nundinisque toto regno perecelebre; huic impositus à Dallonio Ludii Comite Pictonum Præfecto Marcussius cum selecta nobilitate, Peditumque legione rem gerebat intrepidè, ad hostiles impetus retundendos animum sedulo comparans, cùm curules machinæ tres Rupella exportantur, quibus in oppidum versis Marcussius vitam suam, omniaque salua pactus factâ loci deditione imminentem cladem auertit. Melæum quasi quodam oppidorum fato in hostium etiam potestatem venit; quo in loco mutua inter partes internecione grassatum nequicquã autoritatem suam Andeloto interponente; calentibus quippe ad promiscuas cædes animis frustra ingeruntur præcepta, quæ audire non patitur furor. Fontenæum pariter cessit. Altacombius loci præses, qui vitam sibi ac suis pactus abscesserat, Rupellam perductus capite imminutus est, documento in eo relicto quàm fluxa Hæreticorum fides sit. In Inculismensem dein agrum exercitum ducunt, ipsam verò Inculismam obsidione circumeunt, quò iam Mongomerium Comitem cum octonis equitum vexillis præmiserant, priusquam auxiliis vrbs à Monlucio submissis firmaretur. Vrbem propugnabat cum quadringentis peditibus Nicolaus Andegauensis Meseriæ Marchio, cumque eo aderant Viuonus Castanetus, Argentius & Rufecus nothus, aliique cõplures è flore vicinæ nobilitatis delecti. Primus impetus à Mongomerio factus, validè cum obsidentium damno & Petrobuserii aliorumque strage repulsus, quâ exterriti reliqui & diuturniorem in vrbe longè munitissimâ moram præsagientes, militares aliò curas conuertebant, nisi secretioribus præmoniti nuntiis, eorum qui præsides vrbis essent, nutare constantiam, & si prior repeteretur impetus, vrbem dedituros, castrenses aliam in partem transportassent machinas. Cœptâ verberatione disiecta sunt mœnia, & cum mœnibus defendendæ diutiùs vrbis dilapsa spes est. Argentius à Marchione ad hostium castra missus de conditionibus egit, præsertim cùm expe-

Loci præses suspendio necatur.

Niortium inuadunt Colinius & Andelotus.

Melæũ etiã capitur.

Fontenæo capto Altacombius capite plectitur.

Inculismensis Obsidio.

Capitur vrbs

ctatæ

ctatæ toties, seriùs mittendæ viderentur à Rege suppetiæ; & arctissimè teneretur cincta iam vndique vrbs. In has autem leges conuenerunt, vt proceres liberi cum armis & impedimentis, cum equis nobiles, cum gladio milites vrbe exirent, quod & optimâ fide seruatum. Sic vrbs & situ ipso, & arte munitissima, nunquam per vim capta, præfestinata (vt tradunt aliqui) deditione in Hæreticorum manus & potestatem venit, cui à Condæo Hospitalius Sanmemmius præpositus fuit, quo autem die tradita vrbs est, Nauarrus & Admiralius eius in arce pransi sunt, qui posterior Franciscano ex iis quos Cordigeros vocant candida veste, ne agnosceretur, induto, latebrasque circunspectanti, patibulari reste gulam frangi iussit, quod furcæ opprobrium in Religiosam laudem vertit pius hic cœnobita, niueis ideò præfulgens in vestibus, vt transfiguraretur in gloriam.

Franciscanus suspendio necatus.

Pontium deinde à Pilio vi captum, arx verò dedita. Mediolanum Santonum, & S. Ioannis fanum iam inuaserat secta, Blauia in æstuario Garumnæ arx munitissima dolo intercepta, eique præsidiarii impositi. Vbique ferè velificata erat sectariis fortuna, donec occurrente Mouentii fato laureatum iter insistere desiit, nam in Santonibus, Inculismensi agro, & Pictonibus victorias latè, remorante ferè nullo, explicuerant, iamque sibi in Petrocorios obsessis densato milite viis aditum aperuerant, cùm eòdem Mompenserius valido fultus exercitu venit, Martigius, Guisius, Brissacus in prioris agminis ductores electi; proximè cum acie sequebatur Mompenserius ipse Vigennæ oram properè legens; & ne quid ab armis otii esset, Brissacus, quasi vias nouis insternere triumphis ambiret, in ipso itinere hostiũ turmas aliquot profligauit, ac Pluuialtũ terga vertere compulit. Vbi verò Mompenserius Vesunam Petrocoriorum attigit, certior factus Mouentium seorsum ab aliis ad Mensignacum vicum cum Petrogurdio diuertisse, eius intercipiendi rationem hanc iniit, quæ prudentioribus visa est optima, Nam cùm procul Acierius cum cohortibus esset, cum statim aggredi occupauit leuibus aut ludicris potiùs prælis quàm serijs congressus, fatigandi potiùs hominis causâ quàm cædendi, dum interea equitatus regius in Mouentium elato animo virum irrumperet. Expeditioni huic non arduæ minùs quàm periculosæ destinatus Brissacus, datumque negotium, vt mille ducentos cataphractos equites, totidemque pedites in hostilem aciem immitteret, quod dum properantiùs exequitur, & appetente die proximè Mensignacũ aduolat, ardore militari inæstuans, eò demũ prouectus est, vt rei, quam moliebatur, conficiendæ

Blauia intercepta.

Fugantur à Brissaco Haeretici.

occasionem penè amiserit. Mouentius prudentiùs longè, quanquam non feliciùs intra sua se castra cohibuit, præstolaturus inibi dum vehementiores frangerent se se Regiorum impetus, ratus eos diurnis laboribus fractos sub serum diei discessuros. Brissacus hostes mœnium ambitu septos expugnari posse diffidens, quod nimia celeritate peccauerat, aut, vt verbi leniam inuidiam, quod heroum more violentiùs pertentarat, dolo emendare constituit; vix quippe medium sol excesserat diem, cùm quasi regressurus, receptui cani iubet, flexoque ad dexteram itinere armatos post obiectum opportunè collem in insidiis locat. Mouentius animi fidens & nomini suo par, regios abiisse ratus, conclamatis vasis signa protinus explicari iubet, & Riberacum iter intendit reclamante frustra Petrogurdio, qui dum nox aduentaret, ibidem considendum esse monebat, sed non audiebatur à Mouentio, qui in prima iam fronte procedebat, Petrogurdio extremum agmen claudere iusso. Sylua non procul erat, qui tutissimus Mouentianis receptus est visus, in hanc ergo dum per patentem latè planitiem vaderent, regiis inopini occursant, ac primam quidem impressionem etiam cum irruentium damno strenuè propulsauit Mouentius, sed turbatis mox ordinibus Mouentiani cedere, & post ingentem suorum stragem in proximam dilabi syluam coacti sunt. Mouentius & Petrogurdius post impleta fortiter Ducum, militumque munia honesto sanè fato intereunt, honestiore functuri, si pro Deo Regeque dimicassent. E sectariorum parte bis mille pedites interfecti, ex equitum turma quadringenti. Numerum omnium qui cæsi sunt, Perduelles ad quingentos, aut sexcentos contrahunt, quasi turpe, probrosumque sit plures forti Catholicorum heroum manu cecidisse. XVII. signa de hostibus reportata, tantam tamque insignem victoriam vni præ cæteris Brissaco scriptores adscribunt, eidemque partum hoc decus gratulatus est Monpenserius.

Pugnatur.

Mouentius cadit cum Petrogurdio

Ingens cæsorum numerus.

Brissacus Victor.

Acierius funesto hoc suorum casu perterritus ad Principes festinatis itineribus contendit acceptæ stragis nuntium relaturus. Ad eum conuenere qui sparsi hac illac fuerant è Mouentianis complures, & consociatis corporibus creuerunt animi maiorem è suorum cladibus audaciam collecturi. Sed perculsit eos grauiùs aduentantis Andium Ducis rumor, & cum eo Regiæ inambulantis fortunæ. Sanè quidem in Regio hoc adolescente non exigua posita erat spes Galliæ pristinis è cladibus suis pristinum in splendorem erigendæ; inerant quippe eius in vultu, gestu, incessu, totaque corporis conformatione, quod perpulchrum erat à natura sortitus, haud obscura virtutum in Galliæ decus proferendarum indicia, nec in eo quippe Henrici II.

Acierius tristem nuntiũ Principibus refert.

Sectariis metũ incutit Andium Dux.

Regis filio, Caroli verò fratre corporis vires adeò infregerat mollis educatio, vt tolerandis Martis laboribus impar existeret, duraturus quippe sub pellibus & caloris frigorisque patientiâ, si procul adblâdiretur victoria, quæque victoriæ comes est, gloria inter homines tametsi mortales nunquam interitura. Hic ergo senili quadam iudicii maturitate iuueniles antegressus annos, quodque ætati deerat, ab heroica mutuatus indole, sub fratris Regis, Reginæque matris auspiciis belli aleam pertentare felicibus satis rudimentis occœpit, & quaternis equitum, duodenis vero peditum millibus cinctus præter Heluetios curulibus transportandis machinis intentos, cum Monpensério vires coniunxit; cum quo experiri Condæus peditatu auctior, inferior equitatu non detrectauit, euenitque vt vno eodemque tempore præmissi ex vtraque parte castrorum metandorum præfecti eundem sibi locum in hospitium deposcerent: cumque præcursores regii Pamprolium, decimo infra Pictauium lapide priores occupassent, leuioribus inibi dimicatum est prælijs, donec Colinio & Andeloto aduentantibus Martigius, qui sub Monpensério primam ducebat aciem loco cedere coactus est, & in æquata planitie aciem totam explicuit collocatis per adiacentem saltum sclopetariis, qui hostium latera euerberarent; quos vt loco sectarii truderent, quadringentos volones è Mongomeriana legione extractos immittunt, ac redintegratâ pertinaciùs pugnâ, qui vincere debuerant, debellati sunt regii, è quibus quinquaginta circiter cæsi, vulnerati plerique; ac ne numerosior strages foret, nox commodùm interuenit, cuius silentio tenebrisque tectus Martigius, de receptu cogitare tum primùm occœpit; quod vt minore cum periculo præstaret, ac excubantis hostis vigilias festiuè eluderet, tympana omnia Heluecticorum frequentamentorum in morem pulsari iussit, quasi Heluetiorum præsto adesset legio atrociter vltura, si hostile quid appropinquaret: per sparsas etiam arbores funes accendi curauit oculorum ludibrium, dolumque priscis illis heroibus familiarem, quo ementitâ bellatorum multitudine hostes ludificarent. Martigius post hæc ludicra Iasenolium ad Andium Ducem cum superstitibus venit, quos ferociter Condæus insequutus est, certus hæc belli primordia, quia læta se Perduellibus dederant, intempestiuâ cunctatione non corrumpere; quare curatis properè militum corporibus iter aggreditur, quod biuio sectum, accedente hyemalis nubis caligine Condæo aberrandi à proposita sibi meta occasionem attulit; cùm enim Sanzæum cogitaret, Iasenolianam tenuit viam; nec agnitus error donec insperatum hunc terminum attigit. Illuc ergo præter expectationem delatus, vt ante hostium,

Viriles in iuuene dotes.

Leue prælium.

Cedere cogitur Martigius.

Cæduntur Regii.

Ludicrum Martigii stratagema.

Condæana fortitudo.

ora, oculosque pedem referre, inglotium ita & manus conserere periculosissimum duxit; stetit tamen, famæ quàm periculi sollicitior; ac peditatum omnem quem numerosum habebat apto in loco constituit, missis extemplo qui Colinium ad se maturare iuberent nobilibus aliquot, eùmque quantum in mora periculum foret, pleniùs edocerent.

At verò Andium Dux primis his congressibus, & ætatis, præferuidæ indolis impetu raptus regiam sic instruxerat aciem, vt obuersis in hostes muralibus machinis quàm latissimè stragem editurus esset, ni maturè præcauissent hæretici; atque earum altera vt primùm ingenti fragore pertonuit, Colinius victoriam de Sanzæi copiis quam in manibus ferè habebat, omisit, rectàque ad Condæum perrexit, Gaisius verò cum delectis equitum turmis progressus, hoste aut nullibi comparente, aut certè pugnam detrectante, nullo operæ pretio regredi cogitur. Totus hic dies exiguis inter aciem vtramque velitationibus consumptus est, discurrentibus vepreta inter & dumeta sclopetariis, nunc perenni, nunc lentâ, & interruptâ displosione fulminantibus. Aequato partis vtriusque damno nulla constitit certa victoria, dum victus haberetur qui vicerat. Hoc dum armati ludo inter alternantes cædes colluderent, amœniore sanè ludicro brumalis noctis asperitatem temperabat calonum grex, Syluâ enim insessâ complures excitarant ignes, præstolaturi ante focum Dominos, eorumque fortunam siue prosperam, siue fatalem. Condæus ad hæc exploranda loca continuò speculatores destinat; hi conspectis procul ignibus, regios inibi stationarios agere rati, paulisper hæserunt; Regij contrà, inimicum ignem interpretati, hostesque eò castra promouisse renuntiantes, intentiores aliquantò egerunt excubias, dum medij Regios inter sectariosque caculæ, vnde panicus in vtramque aciem spargebatur timor, calices inter patinasque festam hanc noctem agitarent, qui gratus admodum error calonibus erat, dum procul ab herorum metu, meracum perpotarent hilariter, quo tempore mutuum exercitus vterque sanguinem daret, hauriretque, sed inspectis propiùs ignibus, agnitisque ex incondito clamore iocantibus & pergræcantibus lixis inania hæc terriculamenta in militare cessere ludibrium. Inde mouens Andium Dux Pictauium venit deductis secum sauciis, quorum magna pars ex vulneribus curationem respuentibus interiit, ferunt quippe glandes veneno illitas à sectariis immissas. Condæus interim Campiniacum præcipuam Monpenserii arcem vi expugnat; in qua Babelotus Franciscanæ familiæ sodalis in furcam agitur, quòd præsidiarios à deditione facienda absterruisset,

Lenia certamina.

Ludicrum vtriusque exercitus terriculamentum.

Glandes veneno illitæ.

Campiniacū expugnatur.

id cùm ægrè admodú ferret Monpenserius, innocẽtis viri necem fontium multorum cæde vindicauit. Inde Salmurium versus cum exercitu flexit Condæus; hunc vt ab annonæ subuectione Andinus prohiberet, Lodunum à sectariis insessum progreditur, ac deditionem imperat, missis interim Ludensi ac Brissaco Comitibus, vt Mirabellũ in potestatem redigerent. Oppido nec muris nec fossa valido præerat Bordius, quadringenti circiter aderant propugnatores ex Allobrogicis, & Septimanicis copiis lecti. Arci situ ipso & idoneo præsidio firmatæ Petrus Chupius impositus erat. De restituendo Regi loco Andini Principis nomine monitus Bordius cùm pertinaciùs obsisteret, protinus admouentur muris machinæ, quibus magna ex parte labefactatis, cæsisque compluribus, ex oppidanis CXX. in arcem confugiunt, sed intutæ ab ijs quæsitæ latebræ, arx enim cùm horrẽda iaculatione quateretur, Chupius honestis conditionibus pactus arcem restituit. Regij conspecto Bordio, flebilem Maleacensis carnificinæ, cui ipse interfuerat, speciem replicantes; in dedititios illico quasi stragem strage repensuri irrumpunt, sed atrociùs in Bordium animaduertunt, quem postero die exquisitis tormentis enecant, & quasi victimam publico furori deuotam, nudum discerptumque nocturnorum canum in prædam foras abijciunt.

Franciscanus necatur

Mirabellum à Regiis capitur.

Bordii supplicium.

Ea tum erat species perfurentis nullo discrimine in vtramque partem Martis; nulla tum nisi in armis salus, nulla ferè nisi ab armis pernicies; quanquam, si vana non sunt quæ prodiderunt annales, maior aliquanto fuit ab hyemis asperitate, commeatusque tenuitate calamitas. Prodigio non absimile est, vixdum euoluto mense octona atque eo amplius hominum millia qua frigore, quà inediâ, qua varijs morborum generibus absumpta mortalitatem exuisse, quasi indignante Cælo diutius eos superstites agere, qui ferrum ad inferendas sibi promiscuè cædes exacuissent, aut miserante potiùs, dum mitiora longè fata indulgeret, quàm ab hoste hausissent; infesta tum vbique viatoribus itinera, glacie concreta, lubrica omnia, hinc lapsantium equitum peditumque casus assidui, & ex casibus plagæ, torpentes milites, rigentes ductores, obdurata quidem omnium visebatur ad insuetam frigoris asperitatem patientia, sed durantibus animis non semper obsecũdãt corpora, quæ plerũque deficiũt; animis autẽ nõ magis pugnatur, quàm corporibus. Dux Andium Chinonẽ ad hyberna se recepit, Condæus Pictonas adiit, quies à ferro concessa, dum hyemaliũ ventorũ imbriũque rixæ desæuirẽt. Interim Ioanna Nauarræ Regina, ne qua penuria rebellantiũ aciem diuexaret, ab Elizabetha Angliæ regina pecuniarum subsidium expressit.

Etiam ab ipsis tempestatibus clades.

Induciæ.

Elizabetha secta auxiliatur.

submissa quippe ex Anglia centena angelotorum millia, aurei nummi genus est solido Romano par; addita quoque sena quatiendis mœnibus tormenta egregiè instructa cum omni apparatu bellico, quin & licet ob vetera nationis vtriusque odia Francos inter & Anglos non satis conueniret, profugos tamen è Neustria aliisque citra Ligerim prouinciis, qui nouæ religionis obtentu in Angliæ fines cõfugerant, omni ope per se suosque subleuauit Regina, è collecticia etiam pecuniâ confecta ab Rupellanis 26. aureorum millia; tum Principum auctoritate (sic Protestantium duces appellitabant) Ecclesiastica distracta sunt bona, emptoresque haud magno labore reperti; sic quæ Numinis, aut Catholicorum res erant, perduellibus in prædam datæ sunt, aut turpi nundinatione venditæ.

Princeps Orangius hæreticos fouet.

Tot & tantis instructos auxiliis Hæreticos Gallos acriùs ad rem strenuè pro noua religione gerendam inflammabat Guillelmus Nassauius Arausiensis Princeps, ad miscenda turbandaque omnia nõ tam doctus à natura quàm factus; Eadem hunc in Belgio aduersus Philippum secundum causa incendebat, quæ Condæum in Gallia contra Carolum Regem, idem tuendæ propagandæque nouatæ religionis libertatisque studium, conatus in vtroque iidem, dispares longè mores Nam Arausiensi siue Orangio subdolum erat ingenium, iis etiam quos propiùs sibi admouebat inaccessum; vix arcanos eius sensus rimatus est quisquam; grauitatem ei conciliabat morosa quædam, cui iuuenis insuerat, taciturnitas. Porrò aucupandæ eorum, quibuscum ageret, gratiæ, mirus sanè artifex, dubius ferè apud eum in quem collimaret scopus, vt & ambigua eius fides; verus enim religionum Proteus quam opportuniorem sibi suisque religionem prænosceret, hanc induebat exuebatque ad arbitrium; nunc subitaneus Catholicus, nunc extemporalis hæreticus; religionem ineptè attemperans tempori, non verò tempus religioni Inerat Condæo indoles longè excelsior, Galla fides, & facundia Gallis quidem omnibus ferè, sed principibus præsertim innata; turpe ducebat grassari fraudibus, nisi forte ijs, quæ speciem aliquam fortitudinis & prudẽtiæ præ se ferrent; ad hæc constantior in eodem religio, quanquam Orangius non tam cum Caluinianis senserit quàm sentire se simularit, quò promptiora ab iis auxilia extorqueret. Arausiensis ergo Gheusiorum in Belgio signifer post satas per Brabantiam & Hannoniam populares de religione discordias, à desertoribus Gallis, qui cum ipso erant inductus, Galliam adierat sociandarum cum Condæo virium causâ, verùm admonitus sollicitari per Gasparem Schombergium Germanos duces, retrocessit illico, frustratus ea spe, quam

Eius mores à Condæanis auersi.

iam antè conceperat subsidii è Belgio ad Hæreticos Gallos submittendi, quod à Rupellanis paulò post auxilium abundè præstitum est, qui instructa classe, occupatisque Santonicis insulis, crebris Oceanum latrociniis infestum habuerunt.

Exin ad Diui Michaëlis fanum ad Pictones progressi rebelles, horrendâ sanè vastatione locum antiquâ religione sacrum disiecerunt, in illustria pietatis auitæ monumenta ferro flammáque grassati. Cœnobium erat vni sanctitati dicatum, ne frustra tanti quem adoptarat patroni titulo gloriari videretur; eò votorum exoluendorum causa procedebant è vicinia innumeri hominum greges, quos cælesti quodam robore aduersus Cacodæmonum vires communiebat Archangelus, neutiquam in hoc pugnæ genere peregrinus & hospes. Eminebat domus in quadrum extructa, turriculis ad angulos assurgentibus; altissimâ hinc inde fossâ vallabatur, ideoque primis obsidentium impressionibus repellendis idonea, quamobrem Castropersius è cœnobii sodalitio vir manu consilioque strenuus irruentes hostes non sine strage repulit, tantaque eorum qui superfuerant trepidatione, vt obsidionem mox soluerint. Paucis interiectis diebus obsidionem restaurant Campagnaco excucullato Cœnobita Duce, qui deinde cæsus fuit à monacho; sed nec secundò processit obsidio, donec integrata rursus eiusdem loci oppugnatio fuit, ac per ruinam muro impressam tanta confestim hostiũ multitudo subijt, vt cœnobio vi capto cuncta latè cruore stagnarint, stratis aggestisque promiscuè iuuenum, senúque cadaueribus, debacchãte in omnes indiscriminatim laniená; Porticus, cellæ, conclauia denique cuncta sanguine cædibusque complebantur. Ferunt quemdam nomine Forteum eò vsque feritatis progressum vt oculos lugubri hac interfectorum specie pasceret, ac brachia cubito tenus in sanguinem immergeret ferali hoc supra modum balneo delectatus. Annibalem pariter olim, cùm fossam humano sanguine oppletam vidisset exclamasse referunt, formosum spectaculum! plerosque Forteus in crastinũ aut perendinũ asseruari iubebat, quos post remissum certaminis æstum sua ipse manu configeret, in lentis innocentium mortibus barbarè gestiens, præsentique fruens carnificinæ, quam gladio punctim cæsimque exprimebat, imagine. Illi inaudita rabie in Catholicos debacchanti, templi cœnobijque destruendi negotium est datum, quod vnius duntaxat mensis spatio in planum deiecit; sed infestum inuisumque Cælestibus iuxtà ac mortalibus caput non diu pœna distulit; miserabili namque fato concidit; Deo Iustorum sanguinem in barbari hominis Scythisque ipsis crudelioris pœnâ vindicante. Sic illustre tandem euersum

Hæretici S. Michaëlis fanum diripiunt.

Cœnobium religionis antiquitate cõmendatur.

repelluntur hostes.

Cedunt obsessi.

Ingens eorũ strages.

Immanis Fortei crudelitas.

cœnobium est, vsque adeò validum, vt Angl | Normanniâ potiti idẽtidem affirmarent, sub Angelorum Principis tutela hoc esse domicilium, neminemque ædem hanc aggredi ausum, quem temeritatis non aliquando pœnituerit suæ.

Crebræ velitationes.

Monlucii filius in hostes à Patre mittitur.

Per hæc ferè tempora Sancerra incassum à Regiis tentata, Pilius in Petrocorios, alij aliò copias sparsis vbique hostilibus traducebant. Borniquetus, Monclarius, Paulinus & Gordonius Vicecomites propter Montalbanum, Castrum, Millauium, quæ optata his erant suffugia, cum senis peditum millibus, equitumque turmis agebant, Tolosanum illinc tractum totumque circum iacentem agrum iteratis populationibus diuexantes, contra quos Blasius Monlucius Fabianum filium, Leberonem, & Santorrentium cum cohortibus misit. Exin variis certatum velitationibus ancipiti sæpius pugnâ, alternante victoriâ; capta enim interdum oppida ac quasi postliminio reddita; Qui deuicti fuerant variante postmodum Martis aleâ, victores conspecti; parem oppidorum, arcium vrbiumque ludum exhibente fortuna, ducibus non velociùs ad ciuitatum interitum festinantibus, quàm ad suum, quod in Condæo videbimus à nobis in exemplum proponendo fluxæ Principum gloriæ, hos nisi cohonestet, æternetq; vera veri Numinis fides, & iustũ erga Regẽ obsequium. Postremum itaque Condæi conatum, vitæque ab eo per varios casus decursæ scenam vltimam paucis expediam, ac ne quid morer.

Anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono, cum mitigata nonnihil foret hyemis sæuitia, Regios inter & sectarios atrociùs longè bella recruduerunt, vt qui brumæ asperitati tot funerum origini superfuerant, intentato per ciuiles discordias gladio interirent, & Andinus quidem iuuentutis flori senilem maturitatem consocians, accelerandis rebellium necibus instabat acriter; Fauebat regio iuueni cùm indoles ad optima quæque operæ pretia erecta, tum maximè causæ, pro qua dimicabat, æquitas, & singularis Caroli fratris amor, cuius pugnabat auspiciis, atque hinc certam victoriæ præsumebat spem, quæ adolescentem non fefellit. Igitur in auspicatioris omen victoriæ Melæo in Pictonibus, & Rufeco in potestatem redactis, cæsisque præsidiariis, Castrum-nouum versus iter arripit à Pilio iam antè captum, firmatumque præsidio. Arx est ad Carantoni ripam posita, hinc & inde Iarnacum & Inculismam respiciens, quæ Scoto loci præside impunè abire permisso, Regi confestim patuit, paruitque; verùm Andini copias vltra flumen transportandas morabatur abruptus ab hostibus pons, quare Guntaldi Biroui castrorum præfecti operâ aptata & commissa sunt inter se nauigia, quæ tutum

Castrum nouum à regiis capitur.

Iarnacensis pugna.

exercitui

exercitui transitum darent. Flumen ergo transgressus Andinus hoc in mandatis dedit, vt in montis fastigio octingenti starent ad sarcinas pedites, equitesque quadringenti quasi confidentis inibi & præstolantis exercitus præbituri speciem, qui dolus (norunt enim honestè prudenterque fallere Principes.) Regiis traijciendi tutiùs fluminis occasionem attulit; hosque rebelles inter copias securiores effecit præsens excubantis Numinis vis; tradunt enim instituta ritè exhomologesi hac ipsa die sacræ mensæ accubuisse, cibumque fortium Andinum sumpsisse, Procerumque nobilissimos; vnde nil mirum, si præter heroicas vires, opportuna Regijs consilia sapiens hic consilij magni Angelus subministrarit.

Catholici cù Andino ante pugnam Cælesti fortium pane vescuntur.

Colinius interea copias ad Bassacum medio inter Iarnacum & Andium Ducem itinere per diuersa hospitia sparsas colligit, quas Guisio primùm eiusque comitibus opponit, Brissaco, Martigio, Malicornio, Pompadorio Lansaco, Fontenæo & aliis, qui armis animisque valentiores in Bassacum & Triacum oppida magno conatu proruperant, vbi ingens edita est carnificina, peditatusque magna parte absumptus; Lanouius tunc cedit & capitur, Andelotus ad frænandum irrumpentium impetum se suosque comparat. Colinius, Subisius, Anguillarius, Pluuialtus, Clauæus, aliique è Pictonica nobilitate complures eandem cum Andeloto belli aleam tentant; magna vtrinque vi certatur cum perduellium iactura non leui. Subisius captus mox è custodum manibus dilabitur, Anguillarius, Mesancherius & Brandonerius in ipso flagrantis certaminis æstu necantur; restabat agger quem Condæani insederant, at impressionem faciente Germanorum Equitum cuneo, perturbatis ordinibus fusi fugatique sunt hostes. Rem tam improsperè à suis geri dolentiùs sanè tulit, vehementiùsque exprobrauit hac oratione Condæus, qui cum cataphractis eò aduenerat. *En vobis (inquit) Commilitones oblata vltrò necessitas, & occasio repens, virine sitis? hostibus indicandi. Quod à plerisque ante nos bello praeclaris quæsitum est, imò & quæsitum oportuit, felix hæc attulit non opinantibus dies, vobisque aut palmarum viriditatem, aut neces non pudendas ostentat. Ducum vestrorum perspecta vobis hactenus satis superque solertia est, nunquam ante hoc tempus desiderata, quod autem minùs illa iam poterit, operæ pretium est vt suppleat militum ardor, vt ducum & militum commune sit decus, cùm ab vtrisque communis frangendus sit hostis; & frangemus haud dubie stante pro nobis, & à nobis Deo, pro ipsius cultu, veraque religione pugnantibus. Exercituum Dux est, quos porrò ducatu suo dignabitur, nisi eos, quibus æquior inest dimicandi occasio. Ingentem hostium exerci-*

Peditum cædes.

Condæi hortatio ad suos.

tum cum exigua manu sternemus, si freti erimus Deo; qui vel tubarum clangore hostiles muros decutere potest, quantò promptiùs hostium corpora profligabit, quæ saxeus non durauerit rigor. Audendum est itaque, nec pluribus vt agam, res in arcto posita sinunt. Vos quidquid peroraui altè in pectora vestra mittite, & animos erigite dum exemplo praeo, & commilitonis nomen, vt & labores ambio.

Hæc ingenti animi ardore proloquutus, signum extemplo inferri iubet, tantaque vi impressionem fecit, vt obuios quoscunque frangeret, ordines perturbaret, sed ab Andium Duce & numerosiore circunfusus exercitu, dum suis omnibus vt dignitate, ita & fortitudine excellior certamen init aut renouat, & nullum quà hortando quà pugnando, quà ordines circumeundo Ducis & militis officium prætermittit, desertus à suis, equi multis vulneribus confossi & superincumbentis pondere oppressus est, sub quo immotus exhaustisque penè viribus iacens, defixis in Argentium, & Sanianium oculis, & se, quis esset, reductâ paulisper galeâ, ostentans, eorum se fidei permittit oblatis in capitis tutelam centum aureorum millibus, quam illi fidem integram præstitere. At Montesquius Andini stipatorum tribunus superueniens, pessimè id quidem, nec facinus excusare potest nimius pugnæ æstus, Condæum à tergo adoritur, & plumbea glande binos inter nobiles medium transverberatum occidit. Sic cecidit Generosus hic Princeps fato meliore dignissimus, vtinam pro Rege, pro patria, pro Catholica fulcienda religione pugnasset, Animi dotibus supra heroas ferè sui temporis omnes conspicuus vbique eluxit, atque id lugendum maximè est tanta in eo laudum decora pestifero hæresis vnius afflatu penitus contaabuisse, quam quidem hæresim professum hunc esse scriptores asserunt, non quod sectæ studio, & amore teneretur, sed vt ex ea, quod aliàs monui, opes & auxilia depromeret aduersus aulicos aliquot, Guisios præsertim, in quos diutino flagrabat exitialique odio, contra quos hæretica conciuit arma, à quibus certè temperare debuisset; nec auerti à Numine, vt in hostiũ vltionem proruceret. Horas omnino denas tenuit atrocissimum prælium, breue, si magnitudo stragis spectetur, temporis spatium fuit. Funestiorem cladem fecit cæsorum nobilitas, quasi Condæi Manes comitatura, è sectariorum enim parte ceciderunt Rupichuartius, Chandenerius Bellomontius, Besso maior natu, aliique magnates non pauci, capti quoque sunt Rupifocaldius Comes, Fontrallius, Corboso Mongomerij frater &c. è Regijs longè pauciores occisi, præcipui desiderati sunt Monsalesius, Pruneus, Ingrandius, paucique alij haud magni nominis viri, Condæi cadauer asellæ impo-

Condæus occiditur.

Eius dotes.

Atrox prælium.

Cæsi saptiq; sectarij nobiles.

E Catholicis pauci necati.

situm non tam ludibrio quàm documento fuit, quàm fluxa sit humana potentia, quæ tam lugubres prolabatur in casus, & quantulum post commune hoc fatum de magnis illis heroibus, quibus angustus erat terrarum orbis, supersit; quod nec vilissimi animalis dorsum incuruet; edocti sunt pariter, qui exiguam hanc funeris pompam inspexerunt non sapientes facere qui ambitiosiùs ad excelsa quæque nituntur, cùm tam exilis ijs post ingentes illos conatus adornetur triũphus.

Condæi caduuer Aselæ imponitur

Humanæ gloriæ vapor.

Hic ergo finis Altissimi Principis; non sectæ tamen, quam cum propugnatore suo interituram certa spes erat; sed quia nulla tam pestifera res est, cuius patronus non assurgat aliquis, tantùm non concidit secta, vt peior etiam inualuerit; Colinij namque solertiâ protestantium stabilitæ sunt res, Nauarræa præsertim sublato hoc religionis suæ fulcro lapsantes errantium animos ad spes longè maiores erexit, dum filium suum Benearniæ principem, & Condæi filium generosissimos iuuenes propugnandæ sectæ duces obtulit; ita tamen, vt bellica iuuenum rudimenta translatâ in se autoritate regeret Admiralius, cuius appetentissimus antè fuerat; idcirco non magnum ex Condæi obitu mœrorem hausit, à quo, si quid ambitiosiùs appeteret, frænari solebat. Hic ergo quasi dempto sibi riuali bellicæ rei cum summa potestate præpositus, procerum nonnullorum, qui competitores aderant, odium & inuidiam incurrit, qui cùm & nobilitate & rerum vsu superiores illo forent, præteriti tamen fuerant; cùm cæca plerumque sint in demandandis honoribus suffragantium studia, verùm ambitionis suæ fautores & amplificatores dignitatis nactus est eos, quos aut sanguis aut necessitudo sibi deuinxerat; quibus etiam communi fati necessitate sublatis, non concidit tamen animo, nam circa id tempus Andelotus eius frater extinctus est an corporis morbo, an ægritudine mentis, quòd in Deum, in legem, in Regem tam scelerate per intestinas belli ciuilis procellas deliquisset, incertum. Hunc proximè excepit ijsdem agitatus furijs Iacobus Boucardus, qui ad amplificandam Admiralij dignitatem curas suas omnes intenderat; nihilo tamen segnius, etsi fautorum suorum studia deficerent, belli summam poposcit Admiralius, at ne competitores infestos sibi deinceps haberet, dignitatis onus prensauit vnicum, eiusdem verò titulum & honorem Principibus binis integrum esse voluit, qui Principes Henricus scilicet Nauarreæ filius, & Henricus alter Ludouico Condæo natus in ipsius Nauarreæ sinu adolescebant, ab altrice hæretica lac haurientes pestilentis doctrinæ. Nauarreæ itaque significauit Admiralius venisse iam tempus, quo filium suum ad illud

Sectæ Duces Bearnensis Princeps & Condæi filius.

Ab Admiralio reguntur.

Diem obit Andelotus.

Principes ab hæretica Regina educantur.

honorum culmen promoueri par esset, quò eum sua vocabat indoles cum natalium felicitate conjuncta. Illa charius nihil habituram se respondit, quàm si quem genuerat Benearniæ principem, Francicorum armorum moderatorem videret, quamobrem nihil admodum cunctata Cognacum Principes duxit, confirmatisque rebellium nutantium animis spem fecit eos id præsidii nacturos in fœmina, quod in Condæo è viuis sublato amisissent.

In medium igitur statuit principes geminos quasi Castores binos prosperæ de cætero nauigationis auspices futuros, dum in orientia hæc sydera respectarent identidem sectarii, quasi fortunæ melioris prænuncia. Tantorum Principum delectum communi gratulatione prosequuti sunt omnes, tum in Borbonii verba iurarunt, visaque in Iuuenibus reuiuiscere secta, cum iisdem crescentibus par quoque incrementum acceptura. Erat tum Henricus Borbonius Nauarræ Rex annorum non amplius quindecim, sed animi vigore, fortitudine, bellandique peritia tenerioris ætatis annos prætereuectus, Is tum ad Procerum militumque coronam armorum imperium deferentiū, opes insuper vitamque ipsi deuouentium breuem orationem habuit, qua cordi sibi sectam fore, quæque ad religionem spectarent abundè pollicitus est, communesque se res perseueranter accuraturum, dum aut mors, aut victoria, quam certiorem ipsis sponderet æquitas causæ, præsenti omnes seruitute eximeret, quibus verbis gestu potiùs, quàm lingua assensus est Condæus, nec enim penè infās consentanea loqui poterat, quare tum ætatis, tum primarii Regiæ stirpis principis prærogatiuâ Condæo præpollebat Nauarrus, & in hunc potissimum factionis totius adgubernandæ onus incubuit; cuius rei vt extaret ad posteros monumentum aliquod, aureos cudi nūmos iussit Nauarræa quibus inscripta ipsius erat & filii Regis effigies cum hac epigraphe *Pax certa, Victoria integra, Mors honesta*. Quæ quidem effata refellebat saltem ex parte eadem Nauarræa, dum pacem respueret; quæ sæpiùs ei proponebatur à Rege; dum hæc morti citatis gressibus acceleranti veram honestatem adimeret, non decoram satis oppetitura, nec enim honesta omninò mors obtingit contra Deum, Regem, ac religionem pugnanti. Delectis in belli præsides Principibus senatus habitus est, actumque de commodandis labenti religioni subsidiis, ac de sarciendis tum publicis, tum priuatis iacturis, Decretumque penes Admiralium bellicarum rerum curam autoritatemque fore, dum regiorum Principum crescerent anni. In Andeloti vicem Gallico peditatui, Aciceriusq; in Bucardi verò locum Iynlisius rei tormentariæ præpositi

Grati sectariis Principes.

Nummi in Nauarrææ & Principis filii gratiam cusi.

Lecti in Occisorum locū

ſunt. Exin de exercitu Rupellam, aut in finitima Rupellæ loca transportando conſultatum eſt diu, haud enim eò cum copiis venturum Andium Ducem aſſerebant, cùm paludibus obſeptum iter foret, adeſſentque magno numero bellatores qui obſiſterent. Verùm reiectum id eſt ab Admiralio aliiſque Proceribus quaſi conſilium iners, prudentiùs & generoſiùs facturos ſe affirmātibus ſi exercitum varias ſectum in turmas in nobiliſſimas quaſque fluminibus adiacentes vrbes tranſmitterent, hoc enim conſecuturos ſe, vt tutiora ab Regiorum inſultibus loca poſſiderent.

His atque aliis in ſenatu bellico ſtabilitis Nauarræa Rupellam rediit noua inde belli ſubſidia commeatuſque properatura. Principes & Admiralius fanum S. Ioanni Engeriaci adeunt, Mongomerius Inculiſmam cum 14. equitum turmis, quæ à Briſſaco magna ex parte profligantur. Acerius Cognaci cum cohortibus ſubſtitit, quod primum oppidum aggreſſus eſt Andinus Martigio miſſo expugnatu ſanè difficile, ſeptenis quippe peditum millibus, ſexcentis equitibus inſeſſum, aliiſque primariæ nobilitatis viris, qui ſpontaneas Acerio loci Præfecto vires detulerant. Vix in conſpectum Regii venerant, cùm præſidiarii crebris in eos eruptionibus inſilire, adeòque infeſti premere perrexerunt vt muralibus machinis optatum in ſuggeſtum admouendis facultatem adimerent; tum leuioribus, tum acrioribus præliis flagrabant omnia, qui aggrediebantur regii, propiores vim repellentibus, quàm prouocantibus erant, cædebantur eorum complures, quamobrem ſoluta obſidio eſt, intellectumque plus animorum in Martigio & Briſſacò viguiſſe quàm viriū; qui nuperam reputantes victoriam, ſuæ nihil inuiū virtuti fore cenſebant, quaſi verò eadē ſemper dimicantibus ſors arrideat, parq; comitetur fecilitas, & victoria, quā ſibi quiſque peperit, alterius certò aſſequendæ pignus, aut gradus exiſtat. Andinus illinc digreſſus Tifaugiū, quod eſt Carnutū Vicedomini oppidum Landerei operâ deditione recepit, præerat loco Moterius Caſalius iunior, cum præſidiariis quadraginta; deditionem accelerarunt exortæ inter oppidi præfectum, & Griphonem arcis curatorem diſcordiæ, milites præterea, cùm non procederent æra, alii aliò dilapſi ſunt. Foreſta, munitiſſimum ad Suram amnem propugnaculum per Creſſonerium vi capta, Montacutum poſt crebram verberationem fulminante Pigallario in poteſtatem redactum; qui in arcem perfugerant, deditionem facere iuſſi, cùm id cunctarentur exequi, intentatus tardantibus Baſſæcenſis exitij metus, audentibus adhuc, interuenere confeſtim imbellis, &

Cognacum obſidetur.

Pleraque loca ab Regijs capta.

inutilis turbæ eiulatus, quibus euictus Brossius, loci præses vitam, libertatem & res saluas pactus, loco excessit, Albaterra insuper Andini victorias adauxit, vt & pleraque alia loca lauros eidem accumularunt.

Andinus prosperis his successibus auctus, in Petrocorios dum moueret, Mucidanum à Monlucio diu obsessum Brissaco expugnandum commisit. Stationarij qui diu oppidum tenuerant primò quidem obniti viriliter, tum sublata spe, incenso priùs oppido in arcem tanquam in portum perfugere, in qua post frequentes pilarum emissiones, ruinamque idoneam factam, regiorum impetus incredibili mentis robore septi repulere non semel, interfecto etiam Pompadoreo illustris apud Lemouicenses nobilitatis viro, cuius cùm lugubrem casum Brissacus ægerrimè ferret, grauioremque vindictam animo destinaret, altitudinis fossæ, impressæque muro labis explorandæ gratiâ extra vallum progressus, dum audaciùs, aut imprudentiùs fortè clypeum, quo tegebatur reducit, emissæ ab hostibus pilæ locum dedit, & sclopeti glande in capite ictus miserabiliter concidit iuuenis vigesimum sextum ætatis annum vixdum prætergressus, supra ætatẽ sagax, bellicarumque rerum scientissimus, atque ita longiore dignus æuo, nisi heroes se suaque omnia, virtutum famæque æternitate, non ætatis spatiis metirentur. Et senem iam impleuerat maturitate consilii, fortitudine virum; vnde tam breui tempore omnes ætatum gradus gloriosè dimensus, immortalitati debebatur, quam animi magnitudine emeruerat. Luxit omnis militantium ordo florem hunc immaturo fato decussum, simulque in vltionem, aut furorem potiùs versus est dolor; nam cùm arx primùm dedita fuit, continuò in obsessos pacatè viuere iussos furibundus irruit miles, eosque funditus deleuit non ipse tantùm, sed Brissacus etiam post feralem hunc casum bellatorum in animis viuens. Eius in pedites præfectura Strozzio à Rege concessa sanguinis communione cum Medicæa conjuncto. Dum mutuis hostium stragibus Aquitania compleretur, non propterea periculoso hoc martis ludo reliquæ vacabant prouinciæ, si modò in has dimanasset sectæ contagio, ciuilium motuum concitatricis. Oscellarum arx ad Cottiarum Alpium radices arte manuque munitissima paulò supra Susionem à sectarijs intercepta Columbetto duce Gratianopolitano, flagitiis omnibus contaminatissimo viro, cuius prædandi cupiditas in expilandis maximè sacris patuit, & in piis comminuendis imaginibus consceleratissima mens. Russellus & Caseta, qui Brigantionem arcem non procul insederant, eandemque tuebantur, auditis impij huius raptoris conatibus, collectâ con-

Mucidanum tentatur.

Pōpadoreus & Brissacus necantur.

Brissaci laudes.

Mucidanenses plectuntur.

Oscellarum arx à sectar. capta.

Columbetti sacrilegia.

festim armatorum manu aduersus sacrilegum prouolant, locum vndique cingunt. Obsessi duplici hoste diuexati, & regio, qui ferrum ignemque minabatur, & fame, quam diu iam tolerauerant, intercClusoque omni ex parte commeatu diutiùs toleraturi videbãtur; colloquente Columbetto, ac vitam sibi suisque, saluaque omnia pacto, arcis deditionem fecerunt, sed dolosis verborum præstigiis elusa est quæ obsessis data erat gratia, omnes siquidem cæsi, Columbetto vni, quem, vti æquum videbatur, quippe rebellionis principem, interfectum oportuit, habita impune scelera sunt, & infido Superis, Regi, Reginæque homini seruata est fides.

Arx recuperata.

Occiduntur præsidiarii omnes præter Columbettum.

Atque vt fidem Regi debitam violare nunquam intermitterent hugonotti, postularunt à Germanis auxiliares copias, fecitque religionis paritas, quam omni conatu promouebant, vt magnus armatorum numerus in Galliam irrumperet, Volfango Baioaro Bipontino duce, quem summæ belli præfecerat Fridericus Septemvir eius gentilis. Hic autem equites secum duxit ad 7600. totidemque ferè pedites. Socia iungebant arma tum Galli, tum è Belgio lecti hæretici cum Arausionensi duce, quibus ab Galliæ finibus arcendis missus ab Rege Aumalus sed frustra, licet ab exercitu paratissimus esset, Campaniæ siquidem Burgundiæque legiones cum Heluetijs secum adduxerat, Protestantium Germanorum fines latè populatus, vt hostium vires hostili contineret in solo, cogerentur que hi potius parta quoquo modo tueri, quàm de nouorum accessione, ambiguâ iuxtà ac periculosâ concertatione pugnare. Sed non mediocrem Aumali solertiam vicit Germanorum Galliam inundantium numerus ingens, variis è gentibus conflatus, qui Burgundiam primò continuatis direptionibus peruastarunt, cædes accumularunt, hostilia vbique cuncta moliti. Aumalus efferenti se quàm latissimè aduersariorum ferociæ Gallicorum armorum obicem opponebat, vixque vna aut altera præteribat dies, quæ non mutuo cædentium cæsarumque partiũ sanguine fœdaretur. Infestiores etiam Gallico regno Germanorum cohortes fuissent, si maiores quatiendis muris machinas deportassent, vnde prætermissis amplioribus vrbibus mœnium suorum ambitu satis superque securis, in ignobiliora duntaxat loca bellica omnis effundebatur tempestas, præsertim vbi prædæ locupletioris affulgeret spes aliqua, cuius potiundæ libido Germanos in Gallicũ solum prædaturos veriùs quàm militari more congressuros pellexerat.. Horum licet in minimis labor foret, incessit tamen deinde animum ad maiora aggrediendi cogitatio, quare vadato Ligeri Charitæum oppidum inuadunt, campestribus ad id euerberandum ijsque

Ingentes copiæ Germanicæ Volfango Duce Bipontino.

Aumalus ad eas arcendas missus.

Galliam inundant.

Ignobilia ferè loca inuadunt.

Charitæum aggrediuntur.

minoribus & propemodum cassis machinis vsi cum exigua librato- rum spe. Castris eò promotis loci præses, quonam consilio, an initâ cum hostibus conspiratione, an metu fractus, haud satis constat, occulto ex vrbis septis effugio dilabitur, Ducem sequuntur continenti agmine milites; Oppidani præsidiariis nusquam comparentibus exterriti, dum segnius in rem suam aduigilant, hostes scalas muris admouent, ascensumque tentant. Trepidare intus omnes, ac de vrbe dedenda palam colloqui. Briemotius, qui sclopetarios octingentos secum duxerat primus ingressus est vrbem, tum exercitus vniuersus, cuius exsaturandæ cupiditati tradita in prædam vrbs est, dum interim Regina in Lemouicibus ageret, quam direpti huius oppidi nũcius incredibili mœrore affecit, verùm non diuturniorẽ ob partam hanc de Gallis victoriam Bipontinus egit triumphum, quem acutissima febris aut ex nocturnis diurnisque laboribus, aut ex epoto intemperantiùs mero contracta è bellatorum simul ac viuentium societate dimouit. Hactenus hic bellicæ felicitatis compos grandẽ exercitum per tot rerum discrimina in Galliam traiecerat, quæ autẽ prosperè gessit, sũt qui ei⁹ potiùs ascribãt fortunæ, quàm fortitudini, neutri ego, sed elãguescẽtibus veriùs in eo repellẽdo regiorũ armis animisque. Obijt tertio Idus Iunii an 1569. sexto à Ratiasto Lemouicum lapide, summo armorum imperio in Volradum Mansfeldium, qui legatus eius fuerat, deuoluto. Demortui cadauer Inculismam primò, tum Rupellam, inde nauiculâ in patrium solum translatum est. Et præclarum hunc auxilii contra orthodoxam religionem allati fructum Bipontinus accepit, longissimum iter ingressus, quò citiùs interiret.

Diripiunt.

Bipontini mors.

Post paulò dissipatus coaluit Protestantium exercitus, & post mutuas regiorum inter se gratulationes, renouatum arctius fœdus, animique ad maiora audenda excitati, maximè vbi à Pio V. Romano Pontifice acerrimo religionis vindice submissas esse copias pertulit rumor; pedites ferunt ad quatuor millia & quingentos, equites nongentos in auxilium lectos, quibus Dux impositus Sfortia sanctæ Floræ Comes, vir manu strenuus, consilio bonus. His accessere pedites mille, Equites verò ducenti à Cosmo Florentiæ Duce eodem Pontifice autore conducti. Verùm Admiralius seu nimiâ sui, suorumque præfidentiâ erectus; seu vt metum quem corde premebat, cautiùs dissimularet, coactas in Italia legiones, eiusque qui submiserat auspicia, sanctitatemque contemnens Proceribus Regis, quin & Regi ipsi ferociùs insultat, quasi vno voraturus bolo, aut vno diffiaturus spiritu tot Italos, ni protestantium voluntati Rex pareat per libellum

Pius V. Copias mittit Sfortia Duce.

Mittit etiã Florentiæ Dux.

libellum supplicem significatæ, quo recantatas toties ineptias sectæ concedi petebat, integrâ scilicet profitendæ novæ religionis libertatem, tum ne in bonorum, dignitatumque fruitione turbarentur quicunque secus quàm Romani sentirent, sed hæc haud absque conuitiis in Guisios intemperantiùs iactis dari sibi poscebat Admiralius, quorum vt vires sectæ infestas Hugonoti frangerent eò adactos se contestabantur, vt, quæ nolebant ipsi, arma tractarent. Proinde si ea mens Regi foret, iis, quæ tam iustè postularent, annuere, ab armis se confestim discessuros spondebant. Sed arrogantes audiuntur quidem, non exaudiuntur tamen à Regibus preces. Responsum itaque est indignè eos facere, qui non tam Regis emollire voluntatem adniterentur, quàm eius labefactare constantiam, minaces ad Regem literas, non supplices mitti, emendarent itaque obsequio, quod perduellione peccarant, Regem ea maximè parte adorirentur qua flecti potest, eius implorarent clementiam, non inflammarent iracundiam. Supplicabatur ex vna parte Regi, ex altera intendebatur perduellio; nam dum feriaretur ab armis post longam fatigationem regius miles, & indulta per dies aliquot corporis curatione, vires reficeret; sectarii, quia in prauè etiam susceptis festinatione opus est aliqua, in Petrocorios statim arma transmittunt, pagos aliquot & castella, & quod cupidiùs ambiunt cœnobia, sacrasque Numinis ædes direpturi. Id autem haud magno negotio assequuti, in Benearniam à Ioanne Lomagno Terridæ Domino Regiis armis & auspiciis in potestatem redactam, cohortes traducunt. Cesserant iam præcipuæ Lomagno victori vrbes, Palum, Oleronum, Lascurra, Orthæ; cunctabatur Nauarrinum, obsidentibus Regiis mox dedendum, cùm suppetiarum nulla spes reliqua foret. Hunc Ioanna Nauarræ Regina præripi sibi bolum indignata, Admiralium quà precibus quà promissis eò impulit, vt Mõgomeriũ ad recuperandas quas perdiderat vrbes, totamque subigendam Benearniam cum delecto exercitu mitteret. Hic Terridam, qui nominis sui terrorem per Septimaniam & Benearniam latè sparserat trepidare primùm, ac Nauarrino excedere compulit; Tarbensem amplam satis ciuitatem diripuit, Orthas inuasit, ipso denique Lomagno potitus est. Mongomerium tantæ victoriæ compotem non tam bellandi fecit peritia, quàm orta Regios inter discordia, cùm occultis inter se odiis grassarentur Danuilla & Monlucius, dum coniunctis armis animisque in communem patriæ hostem irrumpendum foret, & opprimere ex facili poterant haud satis ab copiis paratum hominem, si stetisset cõcordia, sine qua maxima quæque regna dilabuntur.

Libelli ab Admiralio oblati.

Postulantur indigna.

Benearnia à Sectariis inuaditur.

Vrbes occupant duce Mongomerio

Regiorum discordia sectariis vtilis

Mongomery perfidia. Mongomerio ob rem impigrè gestam decreta laus est, quam continuò infami crudelitate corrupit, dum eos, quibus vitam, resque omnes saluas ex pactione spoponderat, finito certamine interfici iussit, quos inter adnumerantur Barones de Gerderest, de Pordiac; Toparchæ Goasius, Abidosius, aliique non pauci, dum Monlucius in Monte-Marsano ad Atyrum fluuium obsidione cincto regiæ ditioni restituendo vires collocaret, quo in oppido tametsi victoris ira in rebelles morte deletos se se effuderit, nulla tamen impietatis exempla in Cælites edita, quod facinus in Mongomerio præter expromptam in Barones crudelitatem animaduersum est, qui Superis etiam ipsis, quorum aras diruit, funestum bellum indixit. Sanè lugubris Condomi Episcopalis vrbis visa tum facies ob euersa tot templa religione inclyta, magnificētiâ visenda, quasi tantâ religiosarū ædiū clade, quam ipse non sine stupore vidi, ipsa quoque labefactanda videretur religio. Tantam certè seu sacrarum, seu Clericalium domorum ruinam editam ferunt vt huic resarciendæ, haud satis esse videantur accumulatæ totius tametsi latè patentis Aquitaniæ opes. His aucti successibus perduelles ad S. Aredii fanum, vbi castra collocarat Andinus, ex improuiso aduolant, & tota belli mole in eum versa, Colinio duce regios pene omnes opprimunt: Pugnam cùm inchoaret Pilius audaciâ promptus, à Regiis loco pellitur, Colinius suos ad maiora incendit, nec incassum hortatur, celeres enim animorum in omnibus motus effecti, & audentia militum maior regios pene omnes perculit, quibus inclinatis Strozzius, vt fortitudinis specimen ederet aliquod, Brissacique desiderium leniret, quem non occultis sed apertis votis superstitem optabat exercitus, cum trecentis ex omni numero delectis eo animi ardore certamen restituit, vt Pilianos propemodum omnes obtriuerit, & Pilius ipse à suis desertus vitæ periculum adierit; quod vbi primùm Admiralio patuit, fessis trepidisque militibus recentes suppleuit, qui collectâ è suorum inclinatione audaciâ, impetu in Strozzianos facto, eos loco dimotos ingenti clade affecerunt. Strozzius ipse, cùm Brissaci, cuius vices adimplebat, fortitudinem æmularetur, nihilque non ageret, & prudentissimo Duce, & generosissimo milite dignum; in hostium tamen potestatem venit, moxque ad Colinium tanquam victorem perductus, è regiis desiderati complures, è perduellibus pauci, qui terga vertentes regios ferociùs insequuti fuissent, ni sclopi repentino imbre corrupti, atque ob id emissionibus parum idonei destinatos ictus repressissent.

Condomi clades.

Sacræ diruūtur ædes.

Regii cadūtur.

Strozzius capitur.

Aurillacum ab hæret occupatur. In superiores Aruernos translata belli vis per id temporis fuit. Auriliacum, quæ vrbs est præsidiali curia nobilis, nocturnis fraudi-

bus à Rupio Hæretico interceptum ; fuso ciuium sanguine fœdata vrbs est, in religionis quoque monumenta sæuitum protestantium more vrbium clades cum Numinis iniuria miscentium. Ab Auriliacensibus Catholicis sumpta de sectariis ob prosperos successus efferatis vindicta. Hi ergo vt in latibula feræ, sic & in carcerem acti, sed cùm vinculis compediti pestifera etiam captarent consilia, in exitialem actum eruptura, Catholici perrupto carcere subditisque facibus incenso quotquot ibi attinebantur perduellium greges occiderunt. Ignobiliora exin oppida variante fortunâ capta redditaq; tātaq; iis in capiendis reddendisque celeritas fuit, vt quorū in partes transirent, dominos vix internoscere possent. Ad maiora sic ab vtraque parte prolusum. Colinium, quanquam multa quæ ab Auriliaco pertulerat rumor, sollicitum haberent, angebatur tamen præcipuè, quòd tam arctè sectæ spatia definiri videret, vastosque hugonotorum animos tam exiguis oppidorum septis circunscribi, Parisios, Pictauium, Tolosam, Lugdunum, has scilicet ciuitates esse, quæ solis paterent hominibus, quos Romana superstitio irretitos haberet, quantò maiori cum decore ciuiumque fructu Caluiniana illic vulgarentur dogmata; censuit itaque cultiori, defæcatiorique doctrinæ amplissimas quasque ciuitates aperiendas. Mox Pictauiū præ cæteris vrbibus eligit, quod oppugnet; ad quod sparsis hac illac occupatis oppidis commodiorem sibi sternit viam, obsidionemque exornat. Est hæc vrbs amœnissimo sita loco, cliuoso tamen, quà montis dorso insidet; cæterà longam in planitiem extenditur, latissimi, si quæ per Galliam vrbs, ambitus, sed habitatoribus ex parte vacua, pratis, vinetis, pomariisque ad oculorum gustusque illicia conuestitur, Clanio fluuio alluitur, aquâ satis copiosâ, fertilique manante, qui & insulas aliquot efficit, Amphiteatri ruderibus memorabilis vrbs concameratis aquæductuum fornicibus saxeisque aliis imperii Romani monumentis exornata, Extra mœnia prærupte cautes eminent, è quibus facilis est in vrbem despectus, quo murales machinæ certum in eius exilium transferri possunt; ex eo enim maximè loco pilarum emissionibus patet: habet etiam vrbs quibus facilè vim propulsare possit, turres, aggeres, propugnacula, quin & à stagno & Clanio à quibus tota ferè ambitur, tanquam à vallo robur accipit. Hæc ciuitas in furentis Martis theatrum à Colinio deligitur, haud ignara mali, cùm graues olim clades ab Anglis ferociter insultantibus illatas pertulerit. Causa, quamobrem huic sectarii tam cupidè inhiarint, nimia felicitas fuit, situs amœnitas, agrorum vbertas, opes denique non vltima malorum irritamenta,

Sumpta de illis vindicta.

Admiralius Pictauium oppugnat.

Pictauii situs.

hanc tamen multis auitæ religionis monumentis inclytam, & cæle-stium patronorum tutela defensam incassum adorti sunt sacrilegi: & prospexerat aliunde vrbis securitati Andium Dux, missis qui eam regerent selectissimis viris, qui domesticis paternæ fortitudinis prudentiæque documentis abundantes haud degeneres animos ad tantam sibi demandatam prouinciam afferebant. Hi fuere Henricus Guisius, & Carolus Meduanæ Marchio, quos Monpezacus, Mottemarius, Clarouallius, Rupibaritonus, & alii plerique è selecta nobilitate prosequuti sunt, aut egregias pro Rege & religione mortes, aut ingẽtia operæ pretia obituri.

Vrbis securitati prospicitur ab Andium Duce.

Ab Henrico Guisio & aliis.

Vrbem propugnabant equites mille ducenti, Ludensis arcem nouo propugnaculo firmarat ad subitas occasiones necessario: ad pontem item Achardi vulgò nuncupatum, præsidium positum erat, & in Santhilariano templo munimentum extructum, quæ omnia aduersus obsidentes comparata subsidia ciuium animos ingenti antea terrore consternatos ad meliorum deinceps rerum expectationem incenderant. Nec ardoris minus hostibus inerat, dum propiùs ad vrbem accederent. Primæ ad suburbia velitationes habitæ æquato ferè vtriusque partis damno, biduum concertatio tenuit, è Regiis ad Sancti Lazari suburbium à Pilio & Lafinio malè accepti nonnulli, sed versa postmodum in hugonotos sors eadem, imo & longè deterior, simul ac tormentorum maiorum displosione obsessorum ira detonuit. Atque hæc quanquam infesta sæuientis Martis primordia longè majores insultus obsidentiumque clades exceperunt prælucentibus ad omne fortitudinis exemplum Lotharingis Principibus ferrumque aduersus hostes viriliter quanquam iuuenili manu tractare aggressis. Prima eruptio duce Cossaco Guisij Legato, qui cum delectâ equitum manu Marnam vsque vicum processit, vt inopina sectarijs; ita & eorum plerisque fatalis memoratur; In reditu quasi partas iam lauros succrescentibus nouis cumulaturus post obuios sibi Ioannis Buchij legatos in fugam versos Mandolfum occidit. Colinius, ne quid hostile deinceps erumpens incautos opprimeret, fossæ ab ea parte ductæ Blaconum defensorem imposuit. His aucti victoriis obsessi pares fore sibi successus fore præsagiebant, & eorum confirmabat animos tum bellatorum ingens numerus, qui ad sena millia peruenerat, tum firmitas omnium atque constantia omni numero potior; aderant quoque tormenta maiora sex, minora duo, præter alia, quæ paulùlum attriuerat vsus ad præsentẽ necessitatem non prorsus inutilia. His omnibus neutiquam exterrebatur hostilis exercitus longè numerosior, sed hac vna tantùm in re Pictauiensibus obsessis potior, qui tum ab æquiore, quam propugnabant causa, tum

Varia certamina, Variantes quoque vices.

ab indole Martia, tum à propria cuique indita virtute incredibile robur trahebant in dies, quæ virtus hoc se fortiùs in periculis excerebar, quo infestiùs lacessebatur ab hoste.

Igitur Calēdis Quintilibus Perduelles, quasi ritè mensē auspicaturi, locatis in colle qui Ioberti pontē respicit tormētis muralibus octo; triduanâ ferrearum glandium emissione turrim hortendo quidem fragore sed irrito iactu impetunt. Paucis pòst diebus, iisdē acriter irrumpentibus instauratur pugna, acriùs verò repellentibus oppidanis, quorū tamen è numero Vacerius extinctus est strenuus admodū Dux, & in rebus agēdis sagacissimus. Is re hactenus prosperè gestâ habuit quò belli sortem, incusaret, nullibi, nullique satis cōstantē, dum enim validâ stipatus cohorte inter Rocheroliū & arcem hostes insequitur, sclopeti glande in caput illisa miserè concidit. Fortē virū & incredibili animi robore septum luxerunt cùm proceres omnes, tum Guisius præsertim lugendæ tanti viri iacturæ indoluit; sed, vt apud Comicum est, nec pretiosæ Principum lacrymæ, nec minæ etiam argenteæ hominē redimunt, quem semel sibi ascripserit necessitas fati. Mœrorem ex parte lenijt Onuxius rem plane arduam & difficilem ausus; temerariam appellarem, nisi culpam, si qua tamen fuit, inexpectatus excusasset euentus, sexcentis enim è Maxentianis cohortibus bellatoribus lectis, Pictauii à periculo vindicandi salutare consilium inijt, hic ergo senatum horatum spatio nouenas emensus leucas inter hostiles copias viā sibi tanta celeritate aperuit, vt quem procul abesse crediderant hostes, transisse negassent, nisi fidem fecissent, quas ipsorū turmæ inflixerat, plagæ. Atque postremū hunc conatū Heroē Catholico dignū inopina subsequuta mors est, quasi periculoso hoc facinore quod vltimū edidit, Regi, Religioni, Galliæque quā amātissimam habuit, abūdè litasset; paucos enim intra dies cum ex vrbe vnà cùm obsessis erūperet, occisus est, non obruta tamē eius fama, victura diutissimè. Perduellioni lætissima obtingebant paucula hæc Catholicorum dāna; & quia nō successerat satis prior tormentorū displosio, hæc in portæ turrim ad Diui Benedicti fanū obuertūt; cuius proruto culmine, quod in imo superetat cōtra cōtinuas pilarū emissiones ita cōmunitū est, vt omnis in eo eminus quatiēdo sectariorū labor irritus fuerit; nec defuit tamē obsidētibus animus, totā enim fulminādi vim in murū, qui Abbatissæ prato subest sine mora cōuertūt, fortunatiùs hîc aliquid quàm reliquis in vrbis partibus moliturì, ni vrbs & saxeis & æreis Spartæ in modū circūsepta mœnibus, hostiles impetus repressisset.

Vacerius occiditur.

Eius laudes.

Mortis imperium.

Onuxij audax & generosum facinus.

Machinarū postremā hāc in partē traductatū displosio haud irrita fuit, vastior siquidē aperta est ruina, atq; eò periculosior, quò qui eam farciebāt, hostilibus telis excipiendis patētiora corpora obiectabant.

Hæretici mœnia quatiunt.

Atque hinc subituro hosti fiducia maior, ciuiumque trepidatio, ac propè desperatio exorta; quibus perire, quàm hosti parere consultius esse ducentibus perplacuit à communi, quod timebatur exitio, Guisium cum fratre seponere, quorsum enim optimi, generosissimique Principis, Gallicanæ libertatis religionisque vindicis filios decretoriæ huic pugnæ permittere iuuenes adhuc, & ad excelsiora innutritos. Sed cauebatur Principum capiti, non existimationi, vt interpretabantur ipsi, cuius retinentissimi erant, quamque omni, quod intentabatur periculo, potiorem esse ducebant probaturi hoc pacto magni illius Guisij prolem se esse non degenerem, qui Metensem olim vrbem contra potentissimum Imperatorem, ac coadunatas Germaniæ quas secum aduexerat vires, egregiè, nec sine parta Guisiorum nomini immortilitate propugnasset. Honestiora ergo consilia tutioribus, quæ identidem suggerebantur, vterque præhabuit. Nempe militaris gloria nemini vnquam gratis indulgetur, inter inhorrescentes aculeis vepres enascitur & adolescit hæc laurus. Igitur die Diuo Laurentio sacrâ, quò tempore æstus intensissima vis est; Guisius non tam alienis quàm bellicis, hoc est ignibus suis incalescens, naturâ quippe præferuidus erat, sed moderatrix prudentia temperabat hanc flammam; destinatis, qui labefactatos ruinâ muros omni ope defenderent, instructáque post vallum interius ductum acie, in hostium conspectu forti excelsoque animo constitit, qui in tumultuario ex asseribus ponte supra Clanium flumen extructo sclopetarios suos, loricatos, hastatosque collocare statuerant, non satis intelligentes nihil vsque adeò capax fraudum & insidiarum esse, quàm aquam, nam sequenti proximè nocte submissi sunt vrinatores aliquot Itali, qui pontis tabulata commissurasque dissuerent, dum interea vtriusque partis arma continuata velitatione, continuata pariter cæde perstreperent.

Cauetur Guisiorum capiti.

Laborum comes gloria.

Vrinatores hostium opera disturbāt.

Ab aquis hostilem indignantibus pontem ad Carmelitarum cœnobium progressi sunt regij in quo propugnaculum extructum fuerat, supra verò tormentorum suggestus erectus, atque hinc ferreæ catapultæ tam certis librabantur ictibus, vt nunquam non aut discerperent, aut distraherent, aut enecarent, ipsæ etiam hostium labefactabantur machinæ, horum tamen verberationibus aliò atque aliò traductis conquassata plerisque in locis mœnia, ad impetum iam opportuna visa erant, ni Lotharingi Principes ruinæ cum Gregariis resarciendæ manus accommodassent, inclinatos sic obsessorum animos erecturi. Interea ne quid non validum in vrbe resideret, vulgus inutile & ad consumendas tantum fruges exortum, senes etiã, infantes,

Lotharingorum Principum ardor.

vnà cum debili sexu ex vrbe exturbant; quibus omnibus Christiana planè charitate prouisum est satis. Nec mitiùs obsidentes pestis habebat, quàm fames & morbus obsessos; ita enim verò quod ferè periturum erat ex hostibus, absumebat morbus per obuia quæque capita & viliora & nobiliora indiscriminatim proserpẽs. Colini⁹ ipse sanguinis profluuio diuexatus ad extremũ vitæ venerat, efflaturus sic hæreticam animã, nisi destinatum probrosiori fato spoliũ exticisset. Rupifocaldius periculosa tentatus ægritudine cœlum mutauit, non mentem, Acierius eodem præpeditus morbo Niortium adijt, Bricomontius lue periit; inter Germanos complura clara sunt funera in crapulæ & intemperantiæ pœnam. Peruaserat itaque hostium castra Libitina, luctus vbique ingens, & mortis imago nulli non obuia, Nec concidebant tamen animis, qui tot funeribus superstites aderant Hugonoti, adeò potiundi Pictauii spes & desiderium nunquam eo potituros incenderat. Ad Rocherolium Suburbium obuersæ sunt nec sine successu machinæ, sed continuò ruinam reficiebant obsessi. Post paulò in muros validiùs arietant quasi postremum edituri conatum, perque recentem muri labem irrumpunt. Pilius qui murum primus inscenderat, læsâ inde coxendice pellitur: Santandencius, loricatique duces alii ferreâ omnes specie, ferreoque pectore cum gregariis irruentes, retrocedere coacti. Santandencio accelerata ex vulnere mors, Germani aliorum exemplo edocti resiliere pariter, cautiùs sibi suisque prospecturi. Nec incruenta obsessis victoria fuit, nonnullis è primoribus in prælio desideratis, sed copiosior longè obsidentium clades. Cùm hostiles post tot funera concidissent animi, statuit Colinius obsidionem soluere, quod vt minori cum dedecore faceret, occasionem è rumore captauit, qui percrebuerat cum maximis copiis aduentare Andium Ducem, iamque ad Castrum Eraldi suos promouisse, vasa itaque conclamari iubet, cum æmulo tanto belli aleam experiri non ausus, ascribendam prudentiæ ratus obsidionis solutionem, quæ oppugnãtiũ virium tenuitati, & patrocinanti Pictauiensibus Deo tribuenda certiùs erat.

Inutiles bello vrbe pelluntur,

Pestis in hostium castris

Colinii, Rupifocaldii Acierii morbus.

Germani pereunt.

Pictauiensis obsidio soluitur.

Pudenda certè fuga perduellibus fuit, nam quasi potiundæ victoriæ certi, cùm ex S. Maxentii fano Principes Nauarrum & Condæum exciuissent, testes (vti rebantur) deditionis futuros, fruiturosque laurea auspiciis suis debita; aliorsum cecidit res, horum enim oculos strage suâ sectarij contaminarunt, pœnituitque arcessiuisse tantæ dignationis iuuenes in inertiæ suæ arbitros testesque non opitulatæ fortunæ. Porrò quot in obsidione, quæ quinquaginta totos dies tenuit, aut ferri messuerit acies, aut morborum de medio sustulerit vis, cer-

tus iniri numerus minimè potest, ad pauciores longè contrahunt hostes; aut quia mœroris sui partem leuare satagunt, aut quia eorum, qui superiores extiterunt, inuident gloriæ. Duo millia vix excessisse qui in acie occubuerunt, paucosque admodum claritudine generis illustres trucidatos affirmant, cum ad terna atque eo ampliùs millia occubuerint, ac supra centum Nobiles, quorum nihil interest edere nomina quippe in pessima causa interfectorū. E Catholicorum partibus in Pictauii defensione generosas animas profuderunt milites quadringenti, quos inter eminebant Briaçonus Ludii Comitis frater, Onouxius, Calueracus, Prunæus, Essedinus eques, Paffacus, Montalus, Bourryus. Perfuncti tam grandi periculo Pictauienses grates assertori Deo quàm potuere maximas retulerunt; indictæ mox supplicationes publicæ, pulsus obsessorum è cordibus timor; tota ciuitas in insolitam effusa lætitiam, genialem hunc diem habuit, quo propulsatis fortiter hostibus respirare primùm occœpit. Perlatus per Guisium ad Regem Cæsaroduni agentem publicæ iucunditatis nuntius; Guisioque gratulatus est Rex auspicatas prosperi Martis primitias, Aulici omnes Regis iudicio assentientes adolescentis indolem ad excelsa natam certatim laudibus extulerunt; reuixisse Patrem in filio; tutius nunquam religioni fuisse, quæ tam firmo columine niteretur, non depositam omnino Galliæ salutem, cui tam forte præsidium submiserat Deus.

Terna militia ex hæret. læsa.

E Cathol. pauciores. Nobiles recensentur.

Guisio Rex victoriam gratulatur.

Impari longè felicitate ab Andium Duce in Castri Eraldi obsidione pugnatum, in qua nullo edito operæ pretio ducenti circiter & quadraginta occisi, atque ex ijs illustri loco nati complures, Itali præsertim, qui primam aggressionem honori duxerant, obtinuerantque multùm repugnantibus Gallis, querentibusque ab externa gente præripi sibi laureas in natali solo adultas. Hi signis supra mœnia collocatis, quasi de subacta vrbe triumphaturi, seriùs intellexerunt post saxeos per ruinam labefactatos muros, restare militum animos qui difficiliùs euertuntur; vndique enim in latus & à fronte sclopetariorum glandibus appetiti, ac ne retro pedem efferrent prohibiti, illustres animas in Martio campo haud grauatè posuerunt, qui anteacte vitæ gesta, mortem denique ipsam condecorat. Nonnullorum ex his nisi nomina recenserem, horum inuidisse gloriæ reprehenderer. Præcipuum retulit decus Iustinianus Bençius, qui signo, quod gestabat, complicato se inuoluens, En nobili (inquit) sudario corpus meum, cadauer mox futurum contego, quandoquidem cum hoc viuere non licet, in hoc certum est emori, dicto citiùs quasi Decius alter deuotum Manibus caput obtulisset, per mediam sibilantium pilarum

Infelix ad Castrum Eraldi pugna.

Ceduntur Regij

Iustinianus Bencius necatur, postrema eius verba.

larum grandinem irrumpens, multis confossus vulneribus interijt. Desiderati præterea Octauius Montaltus, Callocius Senensis, Fabianus Montanus altissimæ stirpis & cognationis vir, qui lethaliter sauciatus, & desertus à suis, in vrbem à victoribus delatus est, ac post paulo decessit ex vulnere. Colinium ob seruatam hanc vrbem tumidum inanique gestientem lætitiâ grauiter perculit lata recens ab Senatu sententia; in eum enim Aegidio Burdino cognitore regio postulante, tanquam læsæ maiestatis reum, malorumque, quæ Galliam lacerabant autorem, pronuntiatum est; qua Iudicum seueritate, æquitate potiùs abrogatæ illi dignitates sunt omnes, bona fisco addicta, ad vitam denique postremo supplicio terminandam damnatur. Et quia Lupo pellem detrahere haud satis promptum erat, vafro quippe & omnia tuta metuenti, pretio caput eius addictum est; constituta ei aureorum millia quinquaginta, qui viuum attinuisset; & quia viuum sistere periculosum iuxtà ac arduum erat, par eius interfectori summa decreta, siue is externus siue indigena foret. Eadem in Ioannem Ferrerium Carnutum Vicedominum & Gabrielem Mōgomerium sancita est pœna, quorum, vt & Colinii publicè tractæ, traductæque effigies, deinde patibulo affixæ, sic renouatus in Colinio imaginum vsus, quē ipse abrogare tentarat, sed quæ probrosè plecteretur, imago tantùm fuit, erit postmodum cùm in Colinium iusta Regis ira desæuiet, sentietque prototypon, quod simulacrū non sensit. Senatusconsultum in Colinium factum per omnes regni prouincias transmissum est, quod vt extra regni etiam fines transferretur, curantibus Lotharingis Latinâ, Germanicâ, Italicâ, Hispanicâ, & Anglicâ linguâ euulgatum est, vt coram Deo reus, vbicunque nocens perageretur, variisque plecteretur linguis, qui per mendaces Caluinianorum prædicantium linguas purissimum Ecclesiæ Gallicanæ nitorem corrumpere adnitebatur. Sed aspernabatur imaginariam hanc pœnam Colinius, diligentiores in præcauendo sibi curas intendens, atque hinc factum est, vt Dominicum Albium cubicularium suum venenato puluere instructum attineri iusserit, qui de more interrogatus, quorsum & quorum consilio, ac quibus præmiis illectus hero suo venenum destinasset, obmutuit primò, verbum abrupente conscientiâ facti; tum à criminis confessione ad furcam perductus, pudendā proditionis pœnam pendere cogitur.

Colinius reus maiestatis pronūtiatur.

Eius caput pretio addicitur, vt & Ferrerii & Mongomerii

Variis linguis vulgata capitalis in Colinium sententia.

Proditoris supplicium.

Sequitur Bellum Monconturium sectariis inauspicatum, quod (vt aiunt) inuitus aggressus est Admiralius; & quanquam id audere prohiberetur fessus ex longo miles, vltima tamen experiri maluit, quàm cum fame, aut morte luctari diutiùs, cùm nusquam

Bellum Monconturium.

militare compareret stipendium. Germanis post longam inediæ tolerantiam, patriam repetere certum erat, aliorum etiam passim audiebantur querimoniæ, quos vt omnes consopiret Admiralius, bellum hoc suscepit in commeatus deficientis supplementum, prædam, si modò, quod expectabat, victor euaderet, partiturus in omnes. In Andium ergo ducem prælium iam poscentem Protestantium immittuntur copiæ, pridie Calen. Octob. ad vicum S. Clari in Pictonibus congressuræ. Colinii componebant exercitum sex Equitum millia, Sclopetariorum octo, hastatorum peditum Germanorum quatuor, variæque peditum Gallorum cohortes, terna maiora tormenta, minora duo; aciem ducebat Ludouicus Nassouius, Colinius primum cornu, Moius vltimum agmen. Regiis ad S. Clarum nondum in armis conspectis, cùm receptui caneret hostis, ac ignauiæ eos insimularet, Monpenserius, cui prima erat acies credita, cómodum adfuit, moxque in Moium equitatum immisit, à quo ex hostibus interfecti sunt multi. Grande id quidem, vt aiunt, certamen fuit, longè tamen maius futurum expectabatur, quod nempe Monconturium in Cannas verteret, ac cum Romanorum strage sectariorum cladem aliqua saltem ex parte coæquaret. Et sanè in extremā hæreticorum stragem instructus apprimè Regius erat exercitus, cuius in prima, vt iam dixi, acie, cui Monpenserius præerat, quaterna Heluetiorum censebantur millia, octona è maioribus tormenta, quinæ Gallorum legiones. Primam equitum turmam ducebat Martigius, quem Franciscus Borbonius Monpenserii filius cum Chauignio proximè subsequebatur. Guisius & Valeta cum Heluetiis stabāt ad subita quæque parati. Secundam aciem ducebat Andium Dux, in qua terna cataphractorum equitum millia numerabantur, Germanorum bina, cum peditum legionibus quatuor.

Hostium numerus Ludouico Nassouio Duce.

Regiorum numerus.

Duces Martigius. Frāc. Borbonius. Chauignius. Guisius, Valeta Andium Dux

Infestā glandium emissione multò iam antè in hostium cuneos fulminabat Bironus, quas stratis humi corporibus deuitare nitebantur Germani, apud quos mos hic etiam inualuerat, vt osculum communi omnium parenti, terræ scilicet apprimerent, cùm strenuè rem gesturos se iure iurando firmarent. At Bironus quò certiùs in vastos Germanorum artus collimaret, decussatam iaculationem instituit, vtrinque hostium latera petiturus, cui cum comes esset Tauanius, vbi primùm è proximo colle hostiles copias introspexit, certam suis hoc est Regiis victoriam auguratus est; nec adfuit oraculo vanitas; cùm enim suspensa priore conflictu nutasse visa esset victoria; ad Regios tandem defluxit, debellatis cæsisque Germanis Protestantibus, idcirco in Galliam profectis, vt Catholicorum triumphos stra-

Bironus. Germanorū mos.

Cæduntur hostes.

tis cadaueribus suis adornarent, quibus gratiæ aliquid fieri sibi enixè petentibus minimè auscultabant Heluetii siue odio nationis inducti, siue consuetâ victoribus iracundiâ incensi, quæ; cùm districtum semel est ferrum, aut nunquam, aut rarò parcere nouit, binis tamen ex eadem natione millibus data est venia, quos iubente Carolo Rege in Germaniam suam tutò remissos esse scriptores tradunt, haud sine iusto regiæ largitatis & bonitatis præconio. Maior tamen ab Andium duce ternis Gallorum millibus gratia facta, longè quàm Germani forent nocentioribus, quippe perduellionis compertis. Hic autem bellatorum numerus gladio exemptus minor longè fuit, quàm quos ferrum absumpsit; ferunt enim eo prælio ad septemdecim millia cecidisse, octingentos tantùm regios non absque ductorum periculo, Andini præsertim equo excussi, & Guisij, qui vulnus accepit in pede, non inde tamen ad ardua quæuis suscipienda tardatus. Præter tot edita hostilibus in castris funera, ne qua sui parte manca foret victoria, captæ murales machinæ cunctæ, vt & peditatus signa pleraque: multi dum fugam capesserent à rusticanis obtriti; Parthenium reliqui, Niortium & Rupellam appulsi sunt insequente semper eos aut equitante cum illis timore carnifice. Nauarri & Condæi saluti prospectum diligenter est; Parthenium quippe deducti Admiralio comite, seu vt illic Iuuenum principum ætati moderaretur, seu quòd acceptum ab eo in facie vulnus curatricem manum exigeret, seu quod maximè formidandum esse ducebat, ne victoris in manus incideret; & prospiciebat sibi religionique suæ, dum interemptis tam multis superesse se cuperet; At quantò cautior Arausiensis Princeps, qui spectatis multò antè his fortunæ bellicæ ludis Germaniam tutum in perfugium delegerat, satius ducens multorum è relatu Protestantiũ clades accipere, lugereque quàm fatalem cum ijs sortem experiri. Iam verò, quia arrogantiùs efferentibus se hostibus quàm tutissimè verbera ingeruntur, quæ, ne damnentur inertiæ, aut extenuant aut omninò dissimulant; ita & sectarii omne à se ignauiæ probrum amoliturі in Angliam, Scotiam, Daniam, & Heluetiam legatos destinant qui acceptam cladem quibuscunque possint rationibus eleuent; sanguinis hanc emissionem esse, quæ vasto sectæ corpori sanitatem portendat; per ipse nonnullos ex fidelibus, superesse innumeros; qui ad eadem arma resumenda pronis conspirent animis; sperandos exitus religioni prosperos, si (quia communis Protestantium res agitur) copias auxiliares submittant, quod in opus vrgendum acriter incubuerunt, in Anglia Odetus Excardinalis, & Ioannes Ferrerius Carnutum Vicedominus, cùm interea tantæ victoriæ fama Hispaniam,

Germanis parcitur.

Et Gallis cũ pluribus.

Cæsorum hostium numerus.

Et Regiorum Periclitati Andinus & Guisius.

Nauarrus & Condæus Parthenium ducuntur.

Arausiensis Germaniam repetit.

Catholicorũ victoriam hostes extenuant.

Italiam, & Catholicum fere Orbem vniuersum cum ingenti omniū gaudio & gratulatione persuaderet.

Pius V. Andium Duci permissa vltra munera gratulatur.

Præcipuam tamen inde voluptatem hausit Pius V. Pontifex, qui coacto Purpuratorum Patrum cœtu Andium Ducem, cuius ductū susceptum, profligatumque prosperè bellum fuerat multis laudibus insigniuit, pontificioque impertiit munere solenni ritu consecrato. Galerum quippe & gladium gemmis vndique radiantem donum per Nuncium Apostolicum misit, cum præclato monitu, vt hoc gladio hostilia Gedeon alter castra dissiparet, victricem inde reportaturus manum; integumento verò capitis tanquam galeâ salutis indueretur, futurum aliquando vt locupletiori longè Cœlites inter coronâ promicaret, quam regiis iam sudoribus irrigabat. Egregio hoc munere lætus Andinus quasi victoriarum multarum prænuncio, quòd à Pio Sanctoque mitteretur Pontifice, ad alias aggerandas palmas exarsit, nec parcendum deinceps ferro censuit quod tam feliciter districtinxisset, Niortium itaque venit, quod Moio, qui vrbi præerat, interfecto deditum illico est, Lusianum, Fontenæum, Eraldicastrum regias concessere in partes. Conclamatæ hæreticorum res erant; hæresis ipsa interitura videbatur, si Rex, vti optimum factu censebat, hostium insequutus fuisset reliquias, sed, quod plerumque fit, imperitorum, dum consultaretur, præpotuit opinio, quam Rex inauspicatò sequutus Sancti Ioannis Engeriaci vulgò Angelici oppidum aggressus est, quod multorum dierum obsidionem pertulit; tandemque à Pilio, cui concredita vrbs erat, vitam & omnia salua pacto deditum est. Hæc mora inibi ab Rege facta protestantium res mirum in modum accelerauit, Nauarrus enim & Condæus per diuersos viarum anfractus Montalbanum attigerunt, actisque per finitima hybernis, ac Mongomerii è Benearnia redeuntis viribus aucti varia vbique bellicæ calamitatis impressere vestigia, hoc enim tēpore ferro flammaque pleraque deuastata sunt loca; inter hæc crudeliùs ab hæreticis accepta Nemausus non tam per hæc tempora amphitheatri sui ruinis, quàm ciuium suorum internecione famosa; obuios enim indiscriminatim Catholicos, aut agrestem in modum contrucidatos, aut semineces, aut superstites adhuc in altissimas puteorum voragines immittebant, Neronianum hoc pacto sæculum restauraturi, quo in supplicii genere contigit id quod posteris transmittendum esse nemo non sentiet, quò planum fiat Catholicos inter, eām inesse charitatis planè Apostolicam vim, quæ omni sui curâ depositâ alienis tantùm bonis inuigilet, quæque sibi fructuosé crudelis fit, vt mitescat in alios, Nam cum Bernardus Delbene Nemau-

Andinus varia loca recuperat.

Nemausus hæreticæ crudelitatis theatrum.

Præsuli in puteum deijciendo subsstituitur Vicarius.

ſenſis Epiſcopus, quia omnes boni Paſtoris partes implebat, cum grege ſuo præceps agendus eſſet in puteum, eius confeſtim morituri vicem ſubiit, qui viuentis eiuſdem vicarias partes agebat, ne Præſulis vicarius vllo temporis puncto eſſe deſineret, in puteum itaque cum aliis coniectus, periit ille quidem, incolumis tamen enatauit eius charitas, aquis, ne obrueretur, fortiter obluctata. Ab ſacris Deo Sacerdotibus ad ſacra ipſa decurſum, à ſacrilegis vrbe totâ direpta, proculcataque, dum interea Carolus Rex poſt receptum S. Ioannis fanum per Pictones in Andes ac Andegauum iter intenderet, qui quidem apud ſe reputans quot & quanta Pio V. Pontifici olim, ne parum gratus videretur, reponenda haberet; à quo bellatores ſtrenuos acceperat, ac impoſitum ipſis fortiſſimum ducem, S. Floræ Comitem, Pontifici primùm, tum Comiti ipſi gratias quàm maximas habuit ob opportuna & proſpera ſibi regnoque ſubmiſſa, deducta & adminiſtrata ſubſidia; qui Comes honorificis inſuper à Rege teſtimoniis inſignitus, ſeptena ſupra vicena hæreticis ablata per ſe ſuoſque ſigna in Italiam tranſtulit, monumentum ære perennius inuictæ Italæ, operatæque generosè virtutis; quæ profligatæ perduellionis vexilla dum Pius idem inſpexit, inſolita quadam voluptate delibutus, inferri iuſsit illico in S. Ioannis Lateranenſis baſilicam programmate hoc addito. *Vexilla hæreticis Gallis erepta.*

PIVS V. PONT. OPT. MAX. Signa de Caroli IX. Chriſtianiſſimi Galliæ Regis perduellibus, iiſdemque Eccleſiæ hoſtibus à Sfortia Comite S. Floræ, Pontificij auxiliarij exercitus Duce capta, relataque, in principe Eccleſiarum Baſilica ſuſpendit, & Omnipotenti Deo tantæ victoriæ auctori dicauit. Anno MD. LXX.

Sed necdum irarum finis, contuſo quippe ab Regiis infami corpore, Hæreticæ adhuc hydræ ſurrigebat ſe caput, quodque Moncōturij ſibi deperierat, aliis in regni partibus reſarcire nitebatur, cladibus ſuis inſolentior. Et ſectariorum etiam vxoribus exaggeratas in repellendis Catholicis minimè defuiſſe vires, aut furias potiùs, mirabitur nemo, ſi aut hiſtorias legerit, aut fabulas potiùs, non imperi-

tas Gorgonum aut furiarum adinuentrices; cùm furere furorem mulieres interdum ipsas commonstrant. Prodiit enim Amazon altera Maria Barbansona Ioannis Barrensis Neouii vidua, quæ Neouium castrum suum à Montareo Regis vicario obsidione vallatum egregiè tutatura, cum turres iam ac mœnia disiecta forent, ad ruinam sarissata prosiliit; eaque edidit fortitudinis ac virilis animi documenta, vt non nisi saluis suis omnibus datis, loco cesserit, cui pactum libertatis pretium condonauit Rex, quòd noua hæc supra pectinem & colum conata Penthesilea fuisset, concurrere viris, iisque bellatoribus ausa. Hæc apud Boios gesta, ne quid in singulis Galliæ partibus turbarum deesset. At crudiora apud Santonas cuncta, vbi bella flagrabant ardentiùs, quasi in deuotâ Marti aut insultanti potius morti areâ. Boteuilla, Alazius, Ozillacus, Mortagnius alijque Regias tuebantur partes, Protestantium verò Montguyonus, Montalzerius, Mirebellus, alijque complures. Bellum è continente vicinas in insulas transtulerant Regii, quas Rupellæ altrices memorant, atque in hoc, succisis quasi nutricum mammis, Rupellanis haud mediocriter incommodaturos se sperabant, defecturum quippe lac, quo secta in auitæ religionis damnum excresceret.

Pugna ad Insulas Rupell.

In his autem insulis alternantis sortis ludus maximè apparuit, dum hæ nunc in Regiorum, modo in protestantium iura transirent, quanquam nec sic alibi ludere desinebat belli fortuna, complures quippe in Biturigibus, alijsque Galliæ prouincijs vrbes & arces vtrinque astu, vi, deditione, ac proditione interceptæ, in quibus subsequutæ de more direptiones, populationes, strages, aliaque variis oppidis illata damna, quæ quia obscurioris sunt nominis huc referenda non duxi, Atque hæc cùm vtrique pugnantium parti grauia forent, asperiora certè protestantibus erant; enimverò crebrioribus longè cladibus atterebantur, quocirca pronioribus animis in pacem tot calamitatum expultricem futuram propendebant; nam qui bella continuare poterant tot exhausti funeribus, fame, siti frigoreque propemodum enecti, militari stipendio defecti, tot fatigati fractique itineribus, non milites, cùm militum iam in illis elanguisset virtus, sed inertes militum vmbræ. Principes ipsi & Admiralius non iam iteratis, quod antè præstiterant, hortatibus fatiscentem militum vim acuebant, cùm conciderent ipsi animis, & inanis spes foret auxilii ab Elizabetha Angliæ Regina obtinendi, deprehendendis auertendisque coniurationum telis intenta. Exploratum quoque omnibus erat Protestantes Germanos absque grandi stipendio haud quaquam militum delectum submissuros, exinanito autem ærario militarem hanc

Sectarii in pacem inclinant.

summam confici minimè posse, Principem item Arausionensem Belgicis rebus occupatum ægrè admodum aliena & à suis tanto intervallo dissita curaturum. Hoc itaque, post accuratam pugnantium inter se rationum dispunctionem, statuebant sectæ proceres, sibi & omni commeatu & opibus & auxilio destitutis non opportunam tantùm, sed & necessariam omnino pacem iam esse, deincepsque futuram.

Pacem igitur annitente Nauarræ Regina postulant, sed parum æquis Victori Regi conditionibus allatis, cùm hanc tamen supplicū more postulare debuissent, vnde meritò repulsi coguntur abscedere. Interea delegatus est ad Principes sectæ patronos Bironius, horum vt mentem de præsenti rerum statu exploraret, cùmque ab iis certi nihil expressisset, ab vtraque parte obstinatioribus animis resumuntur hostilia. Sectarii Rhodani confestim oram legentes finitima omnia fœdâ populatione deuastant; transmissuros tamen fluuium aliquandiu remoratus est Gordius; sed non diu post Mombrunius superueniens, cui explorata locorum erat natura, concinnatis repentè ratibus, quia vadum non erat, prætergressus est, Regiosque fudit ac fugauit, qui obnitendi causa aduenerant; tum tumultuario propugnaculo extructo facilis deinceps patuit copiis, exorsque periculi transitus. Incredibile dictu est quantam tum Segusianis, tum Boijs, tum Niuernensibus vastitatem hostes intulerint; nam cùm stipendia non procederent, vrgeretque collecta è longo fames, latrocinabātur impunè Galli milites, æquiùs omnia, quàm inediam toleraturi, cuius etiam impatientes erant Germani magnum pro vastis corporibus exigentes demensum, maximè cum in Galliam non tam ad exercendam militiam quàm ad prædandum accurrissent. Hæc cùm rebellibus è sententia euenirent, omnia circùm loca occupare moliebantur, vt expugnatis minoribus oppidis, bellū in ipsa regni viscera, atque adeò contra Lutetiam ipsam transportarent, haud ignari nunquam firmam satis inter hostes pro religione pugnantes sanciri posse pacem, nisi illato prius Parisiensibus armorum terrore; quod nisi consilium speratos ad exitus perduceretur, Santonum fines repetituros se planè decreuerant, vbi tutissima sectæ statio erat, maximè cùm illinc Andium Dux cum exercitu decessisset. Augebat animos Lanouius, in quo prudentia & fortitudo ex æquo certabant. Hic Rupellâ digressus sparsas circùm arces in potestatem redegerat, Pigallarium Regiorum ductorem debellarat, & quanquàm è Fontenæi aggressione comminutum hostili glande brachium retulisset, quod ne corpori toti officeret exscindi tandem oportuit; nihilo ta

Pacē petūt, repelluntur.

Oram Rhodani populātur.

Lanouius Cynægirus alter.

men segniùs ducis militisque partes obibat Cynægirus alter vel vno timendus brachio, quod excelsa mentis fortitudo animaret, raraque adgubernaret prudentia.

Monlucius Rabastenium capit.

Nec minore successu pugnabat Monlucius, dum in Benearniam copias duceret, vbi Rabastenium cepit, cùm obsessi vrbe relicta properè in arcem refugissent, in quam ille dum per patentem ruinam irrumpit, malis & naribus sclopeti ictu fœdè traiectis, domum se clam transferri iussit, ne tam inhonesti vulneris intuitu Regius animo concideret miles. Arce captâ cæsi sunt præsidiarii omnes, sicque multorum sanguis pro Monlucii vnius cruore profusus. Hic verò cùm ex vulnere conualuisset, deuexâ iam ætate ad tranquillum otium inuitante domi se continuit, gladioque in calamum verso, vt occupatissum otium illud existeret, res bellicas tum suas, tum aliorum, qui in eodem Martis campo aut secum, aut contra se congressi fuerant, militari quidem stylo, at fraudis experte, mentirique nescio prosequutus est. Parte alia Rex in Andium Ducis locum è graui morbo decumbentis, Cossæum Marescallum sufficit, consilio lapsus, vt euentus ostendit, Cossæus enim nescio quo fato (vt narrant Historici) cunctationem tantam Catholicorum rebus attulit, quanta necessaria fuerat ad augendas magnopere sectariorum res, cladesque ipsorum sarciendas; atque id illi probro versum est, quòd nihil hoc præsertim tempore mouisset in hostes, quo principes viribus penè omnibus exhausti, & muralibus machinis destituti satius manus dare duxissent, quàm suam totiusque exercitus salutem certum in discrimen immittere. Nec abfuit à suspicione Andium Dux quasi in Cossæi conspirasset delectum, quòd imparem huic muneri nosset, idcòque nihil inde sibi præreptum gloriæ, cuius supra modum appetēs erat. Nec de Cossæo solo, sed de aliis etiam praua suspicabantur aliqui, quasi noua clam machinantibus, quod à Medicæa statim deprehensum est; quæ vt emanaturæ inde cladi properè occurreret, inclinauit in pacem, aliunde etiam ad eam constituendam perlecta, tum quia Casimirus Princeps magnos in Germania delectus habebat, quos Catholicis partibus pro sectæ tuitione opponeret, tum quia exhausto ærario militaria stipendia non suppetebant, Italis præsertim Heluetiisque ob toleratos quàm diutissimè militiæ labores diuidenda, tum etiam quod ob sparsas per Galliam vniuersam vtriusque partis cædes, stagnantemque variis in locis cæsorum cruorem parcendum esse ferro ducebat, ne feralis toties intuentium oculos species læderet, externique iactarent Principes Galliam in pegma crudelitatis esse conuersam, lacteos eius defluxisse mores, belluinos & agrestes indutos.

Fœdè vulneratur.

Senex gladiū in calamum vertit.

E Duce Historicus.

Cossæus Andino sufficitur.

Medicæa in pacem propendet.

Decretã itaq; pax est, Reginæq; haud dubiè compertum de Cossæo alijsque nonnulla falsa esse iactata, nam qui segniùs communem rem sibi ab Andino traditam administrasset, qui & experrecti & fortissimi viri nomen retulerat, qui rebelles in Burgundia Principum viribus fultos in castra sua generosè compulit, qui Coquevillam eiusque socios publicæ tranquillitatis hostes è Sanvaleriano propugnaculo extractos ad deditionem coëgit; at inertiùs hunc egisse referunt, aut suspicantur aliqui? at multò plures impigram eius indolem, excelsamque commendant. Stabilitam pacem gratam sibi esse significarunt Rex, Regina, Andium Dux, & Lotharingus Cardinalis, qui omnes dubijs his temporibus Sectariis indulgendum aliquid esse sanxerunt, vt nouis prolectati illecebris, velociùs in paratos sibi casses proruerent saltẽ horũ præcipui, quibus profligatis minores minore periculo subigerentur. Id autem è cõcessa pace cõmodi nasciturum asserebant, vt arma ab externis mutuata procul ablegarentur; occurrereturque optimatum nonnullorum perfidiæ bella ciuilia in priuata commoda trahentium. Nec abhorrebant Principes à constabiliendæ pacis consiliis, dum ipsorum libertati & incolumitati consultum foret; iis enim belli diutiùs tracti fastidium attulerant belli ipsius damna, prorogandique deinceps voluntatem ademerant. Vnus firmandæ paci repugnabat Admiralius, quam tum publicæ rei, tum priuatæ ac suæ intutam esse censebat, inita tamen est, eique leges huiusmodi dictæ, vt preteritorum obliteraretur memoria, Catholica cũctis in vrbibus restauraretur religio, cuicunque pro arbitratu credẽdi copia fieret, sectæ conuentus aulâ Regiâ, ipsaque penitùs Lutetiâ excluderentur, aliis autem in vrbibus liberi forent. Alia concessa pleraque quæ nondum in Gallia sunt abrogata. In Sectæ denique perfugium quaternæ selectæ sunt vrbes Rupella, Montalbanum, Cognacum & Charitæum, quas Navarrus & Condæus post exactum biennium reddituros se adhibita iurisiurandi religione firmarunt. In pace hac vtcunque statuta (diffidentes enim vtrinque partes temporarium tantùm coalescebant in fœdus) inexpectati ab hæreticis belli fundamenta sunt iacta, quorum sanguine non Lutetiâ tantùm, quæ præcipuum fuit funestæ huius expeditionis theatrum, sed & complures aliæ Galliæ ciuitates redundarunt, quod sanè incœptare arduum, perficere verò ingentis laboris & periculi fuit; processit tamen è sententia res, quia clàm habita pressaque semper, quæ semel emissa diffluxisset. Atque hinc arcanorum patientes Gallos esse, seruantesque maximè patuit, Gallamque immeritò leuitatem traduci. Etenim si vulgare hoc dictum vsurpare fas est, quid die Diuo Bartholomæo

Pax decernitur.

Cossæi fortitudo.

Paci repugnat Admiralius.

Pax sancita.

Vrbes Sectæ concessæ.

Galli arcanorum tenaces.

violatores Catholicos seuerissimis pœnis mulctari praeciperet; quo tempore ferri vix poterat Sectariorum audacia Catholicis palam hæc ingerentium, eos esse se, qui pacis cum Rege initæ conditiones non tam accepissent, quàm dedissent, etiam supra vota largiter & abundè sibi factum à Rege, velle ergo se concessis sibi nemine refragante frui priuilegiis, quæ omnia ægrè ferebant Catholici ad id vsque temporis prorogata sibi vitæ spatia dequerentes, quo vt religionem ab Apostolis ipsis transmissam conuellerent, Sectariis licentiùs indulgebatur; quare vltra Regis imperium progressi è Catholicis nonnulli crebros variis in vrbibus tumultus excitabant, irruebant interdum in hæreticos, cędebántque, quę tamen damna iussu Regis in eorum authores recidebant, constat enim suspendio necatos aliquot Rotomagi, trecentosque atque eo amplius varia in loca perfugisse pœnarum timore perterritos, tametsi ciuilium huiusmodi discordiarum ansam dedissent hęretici, dum spretis legibus concionale fanum suum propiùs, quàm licitum foret, Rotomago admouissent, aliáque longè grauiora egissent, ob quæ seuerioribus pœnis subjici debuerant, ni horum saluti consultum fuisset. *Hinc rixæ, & pugnæ.*

Parisienses, quanquam nouatoribus etiam post pacem non vsquequáque pacati forent, mitiùs tamen vt eos haberent, fecit seditionis quod instabat periculum, vti iam referam. Triennium iam pręterierat, ex quo Mercator quidam Parisiensis Gastinęus nomine, sectâ Caluinianus delatus ad Iudices fuerat, quòd ædes suas contra Regis edicta Sectæ conuentibus accommodaret, ac Caluinianæ inibi cœnæ permitteret vsum; quod cùm scelus tū ipse, tum Richardus eius frater capitali pœna luissent, solóque ęquata fuisset sacrilega domus, eius in loco erecta crux fuit pyramidalem in formam assurgens, additâ æreâ laminâ fraterni sceleris exprobratice. Cùm autem coaluisset pax, edictóque cautum fuisset vt monumenta omnia in odium religionis extructa oblitterarentur, instititit confestim Admiralius pro eo, quo Sectam complectebatur, studio; vt Gastinæa hæc tolleretur crux in æternum Gastinęæ familiæ probrum mœrorémque erecta; & annuit quidem Rex, sed nę quid rixarum hinc interdiu existeret, noctis expectatæ sunt tenebræ. Verùm excubantes Catholicorum oculos fallere non potuit clandestina fraus; enim verò infinitus propemodum puerorum grex, tantò impuniùs, quantò innocentiùs peccaturus assurrexit; adfuere cum iis vilia admodum è fæce plebis totius capita, à quibus Faber, qui crucem eruisse *Ciuilis Parisiensium dissensio propter crucem orta.*

dicebatur, extemplo interimitur, eiusque incenditur domus, exin diripiuntur aliæ, quarum Domini de hæresi suspecti forent, iamque faces & saxa volabant, procurrebatque torrentis in morem ciuilis furor latè omnia disiecturus, ni præsto adfuisset vrbis præfectus, qui dictis animos regeret, & inflammatas consopiret iras. Nebulonis vnius supplicium cæteris ad peiora proruentibus obex & terror fuit. Haud mediocrem stuporem id attulit, quod à plerisque obseruatum est cum minimè dubia irati Numinis significatione, quo enim tempore Crux, quæ humanæ salutis est anchora, disturbabatur; Cœlum quasi vlturum tam grande nefas è sereno repente turbidum fœdissimas glomerari in nubes conspectum est, tum emicare in fulgetra, mox reboare in tonitrua. Portentum auxit perfrigida hyems consimilium terrorum non admodum ferax. Verùm Numinis est in territandis hominibus nullum temporis habere delectum.

Irati cœli minæ ob disiectam crucem.

Hanc seditionem paulò antè præcesserat Regis cum Regina vxore Principem in vrbem introitus, in quo exquisitiora nouæ nuptæ oblectamenta curiosiùs arcessita sunt, quòd fœminæ, & extraneæ pararentur, harum quippe mos est triumphalibus huiusmodi pompis impendio delectari. Non huc refero quos Ioannes Auratus & Petrus Ronsardus sublimis Vates nominis, excitaris tum theatris, tum arcubus Latinarum, Græcarum, Gallicarumq; Musarum lepóres, & ornamenta attexuerunt; malo quæ piè fecerit Rex, quàm quod hi eleganter scripserint, commemorare. Ille igitur vbi primùm Lutetiam ingressus est; continuò ad Diuæ Virginis Templum diuertit, immortales Deo gratias, magnæque Numinis Matri relaturus, quod variis calamitatum procellis concussum se, innumeris iactatum periculis ex quo Regni gubernaculo admotus fuerat, paternâ, maternâque planè prouidentiâ tutum in portum perduxissent. Tum coram Senatu eam habuit orationem, quæ tota ad iuris æquabiliter dispensandi rationem pertineret, cuius rei commonitos voluit amplissimos nobilissimæ vrbis illius Magistratus; ac præsertim ne obscœnis auaritiæ sordibus illini se vnquã paterentur; turpem illam Iustitiæ nundinationem arcerent procul à se, in aliis verò insolita tot flagitiorum portenta coercerent, quæ bellorum occasione Galliam ferè totam peruaserant; quod vt faciliùs exequerentur, communicatam cum illis aliqua saltem ex parte Regis potestatem esse dicebat, gladium exscindendis corporis Gallici strumis concessum; gladium itaque cùm ius postularet, exererent fortiter, moresque emendarent iam lapsos; his si parerent monitis, in obsequij pretium, gratiam consequuturos regiam, si secus, Regis pariter indignationem incursuros; ad quæ à Christophoro

Regina Regis vxor Lutetiæ ingreditur.
Auratus & Ronsardus Vates eximij.

Rex in D. Virginis Tẽplo grates Cœlitibus agit.

Hortatur Rex Magistratus ad iustitiam.

Thuano grauiter eruditéque responsum est, collaudatáque Regis in reuehendis priſtinis moribus hoc est candidis tam propensa voluntas.

Non ita multò post Elisabetha Regis vxor in S. Dionysij templo Regina de more inauguranda regali corona insignita est. Par illud regiorum coniugum in Religionis firmamentum copulatum omninò fuisset, si extitisset inde soboles parentibus religionis studio par, verùm in augusto hoc connubio iugum fuit vnicum, fœcunditas nulla. Atque vt agnoscat Lector quæ nobilissima nobis venerunt è Germania, interdum cum aliquo regni damno venisse: illinc, quod iam ostendimus, Francisci I. temporibus in Galliam appulsæ sunt Musæ Lutheri virus olentes. Nunc verò qui Elisabetham è Germania in Galliã comitati sunt Protestantium Principum Legati, inter nuptiales eius festiuitates, hastiludia & alia huiusmodi oblectamenta, postularunt à Rege, vt quam cum Sectariis pacem inierat, inuiolatam tueri satageret, eam porrò strictiùs colligari non posse, quàm si libera cuique relinqueretur alterutrius religionis profitendæ facultas; nec enim à religionis disparitate, animorum voluntatúmque dissidium gigni solere dicebant, inter varias, quæ in Germania permittuntur, Sectas, coli posse, & conseruari amicitias. Legatis Protestantium Principum nomine postulantibus, ne publicam hilaritatem repulsa corrumperet, ab Rege & Medicæa pleráque in speciem concessa sunt. Sed quod ad Hospitalium spectat, cui dignitatẽ restitui petebant, responsum est ineptum hominem esse ad resumendum Cancellarii munus, Gallicarum curarum onus firmis niti debere ceruicibus, quas effœtæ nondum ætatis pondus incuruet. De Guisiis verò aut exauctorandis omninò, aut ex altiore fastigio deturbandis quod enixè rogabant; non pati tempora inclinationem illam Guisianæ fortunæ, quam præcipitantiùs acceleratam non ægrè tantùm laturi sint Guisij, sed & fortsitan acriter vindicaturi, præterea nihil esse iam causæ, cur tam duriter haberi eos oporteat; horum dominationi allaturum tempus modum aliquem, quanquam nihil magnopere metuendum sit moueri quidquam posse ab iis, qui arbitratu alieno in posterum victuri sint non suo; exuisse se vna cum infantia subditorum imperium, Regem se nunc esse, cuius ad nutum omnia fiant; Regis esse dare, non accipere leges, quid mutire tandem audeant Guisii, aut regiæ magnoperè voluntati opponant? Borboniis itaque Principibus nihil ab Guisiis periculi esse; redirent ergo ad amplexus, aulam securi repeterent, experturi Regem regnare, non subditos. Sic Legatos affatus est Rex, quos largis pollicitationibus oneratos in Germaniam remigrare iussit.

Regis vxor coronatur.

Hæreticis nõnulla concessa.

Hospitalius à regimine reiectus.

Legati Protestantes ad Regem. Eluduntur qui parabãt illudere.

Hæc porrò legatio curiosiùs omnia circunspicientibus risum mouit nonnullis, dum qui occultis irrepere Protestantes adnitebantur cuniculis, perplexis quóque ambagibus elusi sunt. Et sanè iuuenili hac ætate politicarum huiusmodi artium gnarus Carolus fuit, quæ ferè ætas, quia minimè suspicax, arcana quæque profundere solet; sed abstrusa mentis consilia propalare vetabat imperandi, Regémque penitus implendi ardens in eo cupiditas, quod munus cum riualibus implere non poterat, quos occupare, priusque perdere satagebat, quàm vt horũ causâ indignè periret; id autem vt assequeretur, conuocandos, congregandósque Sectarios censuit, vt in vnum quasi corpus coëuntes vno duntaxat ictu confici possent.

Matrimoniũ Henrici Nauar. Princ. cum Margarita nõ probatur à Pio V.

Cardinalis Alexand. in Galliã missus.

Porrò ea potior visa est rebelles adunandi ratio, quæ ab aulæ petitur illecebris, quę autẽ potentiores illecebræ, quàm dum Rex Margaritam sororem Henrico Nauarræ Principi desponderet? quod quidem matrimonium vix approbatorem habuit Deum, cùm Dei Vicarium dissuasorem habuerit. Pius enim V. Christianæ tuendæ, propagandæque religionis studiosissimus Cardinalem Alexandrinum ad Carolum misit, qui eum commoneret haud è re Catholica fore nuptiale hoc fœdus inter Principes religione dispares ictum, Nauarræ Principem ab Ecclesia extorrem, hæretica è parente natum, & ab ea in hæresi educatum, quid reliquum est; si huiusmodi contrahantur nuptiæ, nisi vt nouam nuptã nouus sponsus suos in errores inducat, aut si hæc in auitâ Maiorum suorum Religione constantiam teneat, quæ tandem in suscipienda ab eis prole coletur religio, nisi ambigua, Romanâ scilicet veritate, & falsitate Geneuensi conspersa? Ad hæc Carolus Rex, qui iam tot bella pro Catholica defendenda religione, támq; periculosa ab ineunte ætate susceperat, non eum esse se dixit, qui labem ei vel minimam impingere velit, néque quidquam ab eius profitendæ conseruandæque studio alienum moliri eius occasione cõiugij, cui prudẽtissimi ac religionis peramantes viri assensum suum haud repugnanter præbuerint, non incommodare Christianæ religioni contrahendas huiusmodi inter Principes nuptias, cùm ad placandos religionis hostes, & ad meliorẽ frugẽ reuocandos comparatæ sint; spem enim esse eámque maximam, vt maritum vxor in Catholicorum, non verò Maritus vxorem in Caluinianorum castra pelliciat; retecturum tempus noua consilia, quæ vulgare pretiũ iam esse non putet. Hæc cùm disseruisset detractũ è digito suo annulum, cuius palę insertus exquisitissimi pretij adamas erat, Alexandrino Card. Legato instituit in manum intrudere, in datæ fidei pignus, quem ille accipere abnuit, ne summi Pontificis iussa vio-

Rex instat apud Card. Legatum vt matrimonio faueat.

laret, à quo quidquam accipere vetitus fuerat, Regis fidem quovis pignore potiorem sibi fore contestans. Hunc duriùs respondisse referunt aliqui, scilicet pretiosissimum Regis munus pro cœno sordibúsque, Catholicis habendum omnibus, cùm ille omne religionis studium exuisset. Inexpectato hoc verbo violatus Rex, nihil quidquam addidit, prudens huius dissimulator, vt regnare condisceret. Nempe in viliotibus animis altiores radices agit acceptæ iniuriæ sensus quàm in Principibus viris; quos altissima indoles majestásque è cœlo delibata supra reliquos mortales euehit; grauiùs ferunt contemni se, qui contemptu sunt digni. *Reÿcitur cũ annulo in munus dato.*

Sublato è viuis Pio V. Rex Cardinali annulum eundem donum misit, cuius in vmbilico incisum. *Non minùs solida est pietas mea.* Allusum scilicet est ad adamantis duritiem, etiam contra ferrum, à quo tunditur, pertinacem. A nuptiali ergo Henrici & Margaritę nexu auersus erat Pontificis animus, causámque religionis prætendebat, quam eandem obiecit Ioanna Nauarræ Regina Henrici mater, & vt aliàs dixi, hæretica; coniugium illud quantò filio suo honorificentius, tantò periculosius rata, cùm noua, quam à teneris combibisset Henricus, apertum in discrimen vocaretur religio; quam tamen non regno tantùm suo, sed & vitâ ipsâ cariorem haberet; nihil ergo suppetere sibi responsi ostendit, quod ad Regem perferri oporteret, à quo ad tam nobilem cognationem ineundam tam comiter inuitata fuerat, opperiendam tamen priùs Caluinianorũ Ministrorũ esse mentem, quos conscientiæ suæ arbitros delegisset, an citra nouę religionis dispendium his assentiri posset deberétque nuptiis. Hanc sic regios affatam Legatos excepit Admiralius, à querimoniis de more exorsus, toties icta cum Regiis à Reformatis fœdera, toties violata, toties resarcita, totiésque disrupta, vt nonnisi cum periculo deinceps iniri possint; Obsequium tamen Regi Sectariorum nomine obtulit, hac fretus spe, ciuilibus è regno tumultibus exactis, bellum in Hispanos transportatum iri, cui ipse capularis iam homo præficeretur à Rege; martius vsque adeo vigor incalescebat in Admiralio sene, cui fomenta ingerebat ardens dominandi cupiditas, quæ cùm temeraria sit, homines quos irretitos habet ad res nouas & exitiales incendit. *Annuli inscriptio.* *Ioãna Henrici mater ab his nuptijs aliena.* *Admiralij ambitio.* *Armis Gallicis à Rege præficitur, sed malè rem gerit.*

Et præfectus tandem est Admiralius Gallicis armis quanquam sinistro alite; nam quam tot sudoribus, tot periculis, tam copioso suorum, hostiúmque sanguine Galli sibi gloriam compararant, Hispanis Belgicas vrbes oppugnantibus prædam dedit. Conciliatus enim cum Carolo Rege, & in temporariam admissus gratiam, ex ea breui

Montes capit. cum vita dimouendus, lecto statim milite, & hæreticæ nobilitatis flore Montes occupat, fœdúsque cum Regina Angliæ percutit, quibus intumescens, Belgicis inhiabat diuitiis. *Chiapinij fidem tentat.* Belgarum interim nobilium fidem pertentans, ipsúmque Chiapinium Vitellium castrorum in Belgico exercitu præfectum clàm per occultum emissarium aggressus, primos ei in militia Gallica honores fructúsque pollicitus est, si Caroli Regis iam Belgio potituri ductum fortunámque sequeretur; *Repellitur.* At ille fidei integer cum semel iterúmque corruptorem abegisset, nihílque venale in se contestatus esset, vrgeret tamen nihilo secius Colinii Administer, & Admiralii literas promissorum inanitate tumentes vel inuito obtruderet; iratus Vitellius literarum fasciculum integro sigillo ne delibatum quidem oculis in ignem coniecit, credo vt castos etiam ab hac corruptela oculos tueretur, dein facessere protinus ab se hominem iussit, & factum responsi loco referre ad Colinium, qui Montibus, vti iam dixi, potitus haud diu est; inde breui cum Ludouico Nassauio, qui opem tulerat, pulsus; nam Albanus Dux ad Belgij præfecturam euectus, *Albanus Montes recuperat.* Federicum filium & Chiapinium Vitellium cum parte copiarum obsidendis Montibus præmisit, ipse cum reliquo statim exercitu sequuturus; quos egressæ ex vrbe Francicæ cohortes subitariâ excepere pugnâ cûmque interesse famæ putarent hostem procul à mœnibus adoriri, ab Hispanis cum ingenti clade pelluntur. Vitellius in læua tibia glande plumbea ictus documento fuit, quod iam ostendimus, caput imperare, & pugnare, non pedes. *Vulneratur Chiapinius.* Cûm enim Colinius vindicandæ ab obsidio vrbi pedites equitésque conscripsisset, ac subitariæ expeditioni Ioannem Hangestum Ienlisii Dominum præfecisset, initurus cum eo certamen Vitellius, cùm nec eques etiam progredi posset, lecticâ gestari se iussit, in eáque semistratus aciem cum Federico Duce disposuit, *Aciem ordinat.* illinc imperia, oracula potiùs tanquam subsequuturæ mox victoriæ prænuncia edidit, pugnatur acriter, ex Ienlisianis mille ac ducenti desiderati, cùm ex Hispanis triceni tantummodo cecidissent, *Cæduntur Galli.* quod fastu fortassis Hispanico assertum est, augente Gallorum cæsorum numerum, Hispanorum verò imminuente. Captus Ienlisius ipse cum sexcentis militibus, quos inter nobiles sexagenj, ex iis in vicinas arces abducti nonnulli, alii suspendio necati, *Ienlisius Dux capitur cum nobilibus.* reliqui qui ex infelici subduxerant se prælio circa vicinos saltus palantes ingloriis rusticanorum, quos infestiùs habuerant, armis interempti sunt. Atque hinc intelliget Lector bella per Hæreticos gesta & ab Hæretico Duce administrata, hæc si præsertim habendi libido, odiúmque veræ religionis imperet, exitus plerúmque pudendos funestósque sortiri. *Ducatus hæreticorum infelix.*

Tristem

Tristem hunc successum habuit expeditio Belgica. Nec magis Admiralio prospera cessit instituta ab eo remotiores in oras expeditio, nam cum bellica quædam nauigia re nautica apprimè instructa Mingueterio Duce in Occidentales Indias vela facere iussisset, arces videlicet & loca Hispanorum munitissima exploraturus, Catholicũ enim Regẽ pessimè oderat, ne sectæ quidem vestigia dotalibus in regnis ferentem; qui tum Duces nauibus præerant, omissa lustrandorum vlterius locorum cura, in Insula, quam inexplebili auaritia occæcati diripiebant, ab Hispanis capti sunt, sancitáque prædonibus pœna mulctati. Infeliciter itáque Admiralio factum, nec eius tamen vsquequáque incusamus prudentiam, cùm hoc nomine tum apud Gallos, tum apud exteros haud mediocriter inclaruerit; sed aut senii angoribus prægrauato non collucebat satis hæc sapientiæ flamma; aut in eo sicut & plerísque in aliis documentum est datum, eorum sępiùs mentis computrescere sensa, quos post paulo furori suo victimam facturus sit Deus. Quanquam propius vero crediderim idcirco Gallis in Belgio improsperè factum, quod Admiralius Hispani religionem ab ipso Hispano seiunxisset, religioni magis quàm Hispano, aut Hispano propter religionem infestus. Nauarræi coniugium, à Christi Vicario reiectum, à Ioanna Nauarræ Regina non vsquequáque probatum, Margaritæ Valesiæ assensum exigebat, quę tametsi Procerum, ac Regis ipsius precibus fatigata, assentiri vix potuit, in Guisium quippe Ducem, vt aiebant, pronior, exclusis Nauarręo Principe, & Sebastiano Lusitanię Rege in eius nuptias conspirantibus, quod Carolus Rex adeò tulit indignè, vt de necando Guisio consilium ceperit, designato etiam percussore quem immitteret. Verum postridie à Niuernensi Duce quod res erat edoctus, nihilque vnquam tale tentatum à Guisio, coercuit subitaneum hunc iracundiæ motum, placatúsque omnino est, cùm Guisius Porciani Principis viduam iusto sibi matrimonio iunxit. Reiectis itaque procis Benearnio Principi Margarita denupsit trecentis aureorum millibus sibi dotis nomine assignatis, peracta Lutetię celebritas est, & quia Nauarrum inter & Margaritam propior intercedebat affinitas cum religionis imparitate coniuncta; dispensauit super his Gregorius XIII. Pij V. successor, neutiquam id concessurus, ni anteuertendum hoc pacto censuisset, quod infecta re haud ex vano timebatur religionis non vulgare detrimentum. In arce Lupara sponsalium solemnia celebrata sunt faciente Cardinale Borbonio, ac postridie nuptiæ Mariana in æde celebratæ sunt astante Rege, Principibus, ac maximâ primariæ nobilitatis coronâ.

Nec Admiralio successit Indica expeditio.

Mens sæpè ante corpus cõputrescit.

Margarita nuptys vix assensa.

In Guisium pronior.

Guisij nuptiæ cũ Porciani Principis vidua.

Nuptialis Henrici & Margaritæ celebritas.

Ioannæ Nauar. obitus.

Hoc eodem ferè tempore Ioanna Nauarræi Principis Mater Lutetiam Parisiorum profecta paulò ante nuptialem filii sui pompam postremum diem obiit, atque vt suum paucis ante mortem diebus in Romanam religionem odium testatum relinqueret, Regem etiam atque etiam orauit, exorauitque; ne, quia Christi corporis instabat festiuitas, sanctissimum hoc salutis humanæ pignus, quo tempore supplicantium agmen incederet, pro prætorii sui foribus transveheretur; sed euoluto nondum octauo die, quę viuentem & viuificam hanc Hostiam bella tollentem hostilia, procul ab ędibus suis circunferri voluerat, è viuis excessit, & repetita de more post septimum diem eiusdem festi celebritate, Angelicus hic panis pro Ioannæ foribus ingenti populi plausu circumvectus est. Sic funebrem ocyùs quàm credidisset sortita est pompam Regina, quæ solennem ante palatium suum adornari Christo triumphum vetuerat. Huic autem Principi fœminæ, quam sui temporis heroïnam Sectarii vocant, acceleratam veneno mortem suspicio fuit; nullum tamen in dissecto eius corpore vestigium extitit, abscessus tantùm in lęuo latere deprehensus qui & lethalis illi fuit; regiis dum viueret satis exculta virtutibus erat, vtinam Romanam religionem perinde coluisset, cuius ei implacabile odium fuerat à Prędicantibus Caluinianis ingestum. In hoc maximè vno Gallię profuit, quòd Henricum magnum pepererit, qui eiurata tandem hęresi, quam cum materno lacte combiberat, ad Deum fortem sitiuit, puriores illinc & salubriores Euangelii latices petiturus; quod, si votis nostris Cœlites fauerint, suo loco referemus.

Eius in hæresi pertinacia.

Quia fatalis illius necessitatis mentio incidit, addam nonnulla de felici Pij V. Pontificis Maximi obitu, qui circa id tempus contigit, vt & de rebus ab eo piè fortitérque gestis; tanti huius viri, quippe acerrimi hæresum expugnatoris, amantissimi Ecclesiæ vniuersæ parentis, tutorísque laudes non inuitus hîc Lector inspiciet. Sanctissimus vir veréque Pius non tàm nobilitatis, diuitiarúmque præsidio, quam virtutum robore nixus, ad supremum dignitatum euectus est culmen; quem ille honorem absque vllo ambitu assequutus, haud multùm ab onere differre iudicauit, cui supponenda ceruix esset auro Pontificio, argentóque irradians. Ac principio quidem, quò adolescentiæ in vitia plerúmque præcipitantis lubricum deuitaret, oborto cœlitus lumine collustratus, laudatissimæ fratrum Prædicatorum familiæ adscribi se petiit, in qua & olim fuerunt, adhúcque supersunt innumeri tum doctrinæ laude, tum vitæ sanctitate præstantes viri. In ea porro, tyrocinio necdum absoluto eam vitam instituit, vt illustria senioribus continentiæ, tolerantiæ, obedientiæ, reliquarúmque virtu-

Pelix Pij V. obitus.

Eius virtutes.

tum documenta tradiderit. Cùm autem omnia in eo admirabilia extiterint, tum præsertim ardentissimum illud conseruandæ veræ ac Apostolicæ religionis studium, odiúmque aduersus eius impugnatores perpetuum, nam cùm bonos singulari bonitate complexus sit semper, hæreticis, aut hæreticæ prauitatis fautoribus seuerissimum se semper censorem exhibuit; vnde cùm munus ei sacri Quæsitoris demandatum fuisset, graues potentum inimicitias mináſque ſæpiùs incurrit, dum errantium greges ex infelicibus errorum vepretis eductos ad lætum Christi ouile intrare compelleret. Episcopus Nepesinus, tum Cardinalis, ac postremo Christi Iesu Vicarius constitutus, eandem in cultu vestitúque parsimoniam tenuit, cui, cùm in cœnobio ageret, priuatus insueuerat; ijsdem planè ieiuniorum legibus se astinxit; eædem ab eo, quas Cœnobita instituerat, in Pontificatu instauratæ sunt preces, quarum fultus præsidio tot tantísque virtutibus Apostolicam verè vitam exornauit, vt earum fructus non in ipsum tantùm, sed in Catholicum etiam gregem redundarit; restaurauit veterem morũ disciplinam, quę lapsu temporum sic obsoleuerat, vix vt vlla eius, aut perexigua saltem superessent vestigia; iudiciorũ seueritatem à nefariis hominibus, variis fraudibus elusam, corruptámque restituit.

Sed vt ad illustriora Magni Pontificis gesta progrediamur, cùm Augustanis in comitiis de religione agendum accepisset, Maximiliano Augusto minaciter denuntiauit, id si passus esset; imperium se illi abrogaturum; hic idem Elisabetham bacchantium more contra Catholicos in Anglia perfurentem intorto anathematis fulmine perculit, regníq; ius ei omne ademit: Atque vt de rebus nostris agamus, perfecit Pontifex optimus, vt Carolus IX. Aurelianense decretum de religionis libertate rescinderet, quem & copiarum subsidiis, largóque pecuniarum instructu aduersus hęreticorum arma communiit; & sanè pij huius belli (sic enim à Pio Pontifice appelri decuit) apud Santonas inchoati felix satis euentus fuit, in quo Hugonoti magno numero interfecti, cæsi & Proceres aliquot meliori vtique fato digni, sed quas tum à natura tum maiorum exemplis virtutes hauserant, Caluinianorum errorum tenebris obscurarant. Cúmque Admiralius sublato Condæo, reparato exercitu contumacius etiam bellum cœptaret, Henricus Regis frater Pontificiis opibus precibúsque subnixus, nobilissimam de acerrimo hoc religionis impugnatore victoriam reportauit, haud absque cœlesti prodigio; tenet quippe fama inter ipsum certaminis æstum Cœlestium equitum turmas à plerisque fuisse conspectas, quæ versis contra hæreticos ar-

Eiusdem cõstantia aduersus Principes.

Visa Equitum turmæ pugnare pro Catholicis.

mis pro Rege, ac Catholicis partibus fortiter depugnarent. Extat & illud de Maximiliano Cæsare, cuius supra memini, literarum monumentis consignatum, is cum Augustanam confessionem à Lutheranis consarcinatam Austriacæ nobilitati concessisset, Pij Pontificis minis perterritus impium diploma reuocauit. Adduntque scriptores Cæsarem, dum Pontificius Legatus secum loqueretur, asseruisse, conspectum sibi Pium Pontificem, flagellum quod dextrâ prætendebat, ni actutum obsequeretur, intentantem.

Prodigia de Pio V.

Consecrata memoriæ sempiternæ plerisque ab Scriptoribus Naupactæa victoria Pium hunc Pontificem supra reliquos ferè omnes ac supra humanum fastigium extulit, qua prostratus est teterrimus Christiani nominis hostis Turcarum tyrannus, Ioannis Austriaci Caroli V. Imperatoris filii ductu, sed continuatis potius Pij votis, lacrymisque gesta res est, hoc enim perinde ac altero Mose supplices ad Cœlum manus attollente certam inde opem petituro, expugnatæ primò tempestates, ventus siquidem qui Christianis aduersus erat, momento nec absque prodigio hostiles in naues conuersus, haud dubiam victoriæ spem Christianis attulit, tunc compressa feliciter infinita illa latrocinantium multitudo, Christianorum, quos canum instar habebant, strage sæpius saginata, Turcæ ad quadraginta millia atque eò amplius interfecti, ad dena millia capti, centum quinquaginta triremes, aliáque complura nauigiorum genera Christianorum in potestatem venerunt; addo quindecim captiuorum nostrorum millia seruitio exempta; ex tanta demum hostium multitudine vix vnus perfidus fuga elapsus, qui arrogantissimo tyranno inexpectatum tantæ cladis nuncium afferret. Atque hæc sine graui Christianorum iactura peracta postremum præclaris Pij V. operibus decus attulerunt, quod ille Augustissimæ Dei Genitrici sapienter retulit, cuius efflictim imploratæ auxilio tam ingens de barbaris Christiano gregi infensis parta erat victoria, atque vt æternum eius ad posteros monumentum extaret, festam Diuæ Virgini consecrauit diem, quæ in nonas Octobres incidit, quam *Sancta Maria à victoria* nuncupauit; eiusdemque Litaniis inter sacras Virginis appellationes hanc quoque inseri voluit, vt *Auxilium Christianorum* diceretur, sub hoc auxiliatricis titulo rite ab omnibus inuocanda, quod tam prompta periclitantibus Christianis dum aduersus Turcas confligerent, sospitalis aduenisset, hostibus verò terribilis, vt castrorum acies ordinata. Hanc cuius patrocinium tot votis suspiriisq; Pontifex emeruerat, opitulantē in decretorio mortis agone postremùm expertus est, magnis enim renum cruciatibus afflictus Christianam semper constantiam

Naupactæa victoria.

Turcarum cæsorum & captorũ numerus.

Sancta Maria à victoria.

tenuit, nunquam doloris acerbitate ac diuturnitate fractus; quin & intendi sibi vim morbi non semel postulauit à Deo, dum eius sedatè perferendi robur & mentis firmitatem augeret. Denique Kalendis Maij an. 1572. manibus in crucis formam decussatis, hæc dum intermortuis verbis pronuntiaret, *Quæsumus author omnium in hoc Paschali gaudio*, in paschali hac mentis hilaritate intraturus in gaudium Domini diem clausit extremum anno ætatis sexagesimo octauo, Pontificatus sexto cum quaternis ferè mensibus. Hæc de magno Pontifice acerrimo hæreseon hoste & expugnatore attexere placuit, nec à proposita nobis meta multùm aberraui; cùm enim quid impiè conata sit Hæresis in Gallia demonstrare suscepti à nobis argumenti ratio postulet, eius in Gallia etiam domitorem præcipuum iustis laudibus exornare nil vetat.

Postrema Pij V. verba.

Sequitur vt de Sanbartholomæanâ Sectariorum cæde nonnulla dicamus, quam eùm explicare aggredior, horret sanè calamus tot vulnera, obductâ iam cicatrice refricaturus, tot expressurus funera quæ perpetua forent obliuione delenda. Vtinam quod vetus ille sagittandi artifex prodigium artis edidit perillustre, dum serpentem, illæso, qui eius spiris inuoluebatur, puero, sagittâ transfixit, in deprauatos hominũ mores, errorésque inducere licuisset, collimatum in hæresim vnam fuisset, non in Hæreticos, vtinam sibilantes prauorum dogmatum angues manu concidissent Herculeâ, intactis iis omnibus qui multiplicibus illorum, aut errorum, potiùs implicabantur voluminibus; sed hæc nouatæ religionis prauitas tam altè penetrarat delusorum hominum in mentes, vt absque communi eorum clade hanc euelli minimè posse creditũ sit. Hæc porro strages, (vt asserunt aliqui, non fortasse probabiliter satis) multò antè ab Rege meditata, & à secretiore Senatu decreta fuerat, quàm in actum erùperet. Enimverò indignè, vt aiunt ferebat Rex tot se à Caluini cultoribus iniuriis violatũ, tot fraudibus circumuentũ, tot deniq; damna passum se à suis fuisse, quæ importari vix poterant ab alienis: quàobrem hunc doloris sui punitorem futurũ nuptias illas, quarum suprà memini, ad id vsque tẽporis reieciſſe, quo geniales earum citharæ vertendæ forent in luctum. Complures Admitalij arrogantiâ vix priuato ferendâ exacerbatum fuisse Regem affirmant, cùm hic minacia non in Catholicos tantùm sed & in Regem ipsum iactare pergeret, quereréturque identidem, quòd ille Belgicis Gheusiis aduersus Philippum Hispaniarum Regem suppetias ferre aut continuare abnuisset, nec magnopere indoluisset, quòd capti ab Albano fuissent cùm Ienlisio nobiles Hugonoti, patúmque eorum libertatem

Sanbartholomæana strages.

Quando captum eius consilium.

An Primarius Rex author fuerit?

accurasset; vnde ne quid grauius in sectam sectariósque statueretur; ab iis in Regis, Guisiorúmque necem coniuratum asserunt aliqui, sed cum ferale hoc foras dimanasset consilium; occupasse Regem, sectariósque retibus suis inuolutos, quam parauerant aliis pœnam, meritò pertulisse.

Hæc verane sint, an secus, compertum non habeo, adeò quippe variant in perscrutandis Regis consiliis nostrates historici, vt nihil ex his certi magnopere exprimi possit. Existimo Christianissimum Regem quia sine consilio fulmen intorqueri non debet, haud eò delapsum esse vindictæ absque grauissimis rationum momentis, incussóq; imminentis sibi cladis, nisi præcepisset, terrore. Additque Ioannes Frerius à tribus admonitum Regem fuisse, qui coniurationi interfuerant, in qua occidendi ipsius, Reginæ matris, eiusque filiorum Principum locus & tempus delectum fuerat; atque hæc paucis admodum ex iis quos à secretioribus consiliis habebat, innotescere Regem voluisse, ne euanescerent peruulgata consilia, quæ hugonoticæ conspirationis cuniculis opponenda necessariò erant. Quæ omnia tametsi clam haberentur lætóque nuptiarum apparatu prætexta forent, variæ tamen complurium sinistri aliquid inde præsagientium audiebantur voces; erant enim, qui multò plus sanguinis his in coniugii laxamentis, quam vini profundendum, & renouandum Lapitharum conuiuium palam dictitarent; quin & ipse Nauarrus materno ex obitu nuptias suas funestante triste aliquid sibi suisque euenturũ coniectabat; suspicionem maximè auxit cruentata repentè sanguinearum guttarum illapsu mensa, supra quam cum Alençonio & Guisio Ducibus talorum iactu colludebat, creuitque prodigium, cúm abstersis his maculis, nouæ continuò apparuerunt sanguineæ stillæ, quasi ingentis alicuius calamitatis prænuntiæ, vt & olim ferale aliquid præsagierant. Nam paulò ante Claudij Imper. obitum sanguine pluit; & Deorum simulacra sudore sanguineo conspersa referunt Annales, in funestissimum omen spargendi per Hispaniam sanguinis bellis illis plusquam ciuilibus, quæ Cæsarem inter & Pompeium, quibus nihil vnquam satis fuit, crudeliter exarserunt. Super his pauitantem Nauarri animum aliò facilè traducebat prouecta iam nuptiarum festiuitas, seu ignoratio, cuius tandem in iugulum stringendus esset gladius minax, & in vaga hac ancipitíq; mentis iactatione certi nihil astruebat; ita enimverò cæcis futuri temporis exitum tenebris Numen obruit; indéque fit, vt priùs intereant plerique mortalium, quàm perire se norint.

Variæ de Hæret. cæde præsagitiones.

Præsentiebat Nauarrus, prodigio sanguinearũ guttarum monitus.

Sãguine interdũ pluit.

Dubius futurorũ exitus.

Tradunt aliqui decretam tantùm Regi fuisse Admiralij cædem, ra-

to scilicet, hoc vno abscisso capite interiturum facilè reliquum coniurationis corpus. Acciditque id non inualidum, ad roborandum eius hic in cogitatione animum, quod paucis edisseram. Cùm Admiralius die 22. Augusti an. 1572. regio è palatio domum suam remigraret, insperatum id contigit, vt è speculari nescio cuius hospitij fenestra plumbeis glandibus in læuo brachio appeteretur; & quanquam vulneratum hunc esse ægrè admodum saltem in speciem ferre videretur Rex, ac in authores facinoris seuerè inquiri iuberet; quin & ante Admiralii ostium, ne grauiùs ei noceretur, armatos collocari iussisset; superueniens tamen Pilius cum octingentis sectæ mancipatis nobilibus, Regem ipsum audacioribus verbis aggressus est, seueréque comminatus, ni intentatum Admiralio parricidium festinatâ pœnâ mulctaret, præsto se esse cum emissariis suis ad vindicandum hoc tam acerbè facinus, vt profundendi mox sanguinis copia Regios omnes à tentando consimili scelere facilè auocatura sit. His efferato vocis sono pronuntiatis perculsus est Rex, grauiùs tamẽ tulit quod ab Admiralio, quem honoris causa adierat, minaciter dictum fuisset, se quidem in manu & brachio læsum esse, quæ corporis partes militibus quàm militum præfectis vtiliores sint; restare itáque sibi incolume caput, quod magna iam operæ pretia effecerit, & maiora longè perfecturum sit. Cum itaque non ab vno tantùm sed & à sectariis pluribus minæ intentarẽtur, coarctandam in Admiralio vno pœnam statuit Rex deriuare in omnes factionis eiusdem conscios, & administros; idque arcano Procerum consilio agitatum, decretúmque; cui Rex, Medicæa mater, Andegauensis & Niuernensis Duces interfuisse memorantur cum Marescallo Tauanio & Inculismensi Equite, cui & Guisio Duci funestæ huius cædis procurandæ vrgendæque commissa est cura; qua in enarranda strage non multum me fore profiteor, torrentem hunc sanguineum festinatò transmittam, deterrimámque eorum, qui communi hac clade perierunt, sortem miserabor, quorum felicem ad saniora mentis consilia reditum exprimerem hîc lubentiùs, quàm vitam tam horrendo pudendóque fine conclusam.

Rex offensus vni Admiralio.

Pilij audacia

& Admiralij.

Rex iam Sectariis omnibus offensus.

Cædes in eos decreta.

Commissa Guisio.

Igitur appetente die vigesima quarta Augusti Diuo Bartholomæo sacra, quæ in Dominicam incidit, edito per æra campana sono signóque, lugubris hæc inchoata est tragœdia. Ac primò quidem in Admiralij ædes percussores immissi, necatis vigilibus, in Admiralium ipsum arma conuertunt. Ille quasi è prætextatis Romæ senibus aut Senatoribus vnus, dum à Senonibus Gallis oppugnaretur vrbs, sua se oris & dignitatis grauitate inuoluens, in spem auertendæ cædis venerat; his, vt aiunt, verbis, mortem deprecatus. *Heu milites, vete-*

Inchoatur.

ri militum ductori & bellatorum amico venerationis aliquid date, cùm hi nihilo segnius in ferale hoc opus incumberent. *Eia* (inquit) *nihil quidquam è præstituto mihi dierum numero detrahetis, vixi, & quem dederant Superi cursum cum honore peregi.* Hunc aduenrante morte mira proloquutum fuisse tradunt Scriptores Hæretici, & perinde ac Boëtium in postremo hoc agone euocasse Philosophiam consolatricem cycneorúmque velut modulorum frequentamentis sibi mortē cicurasse, quasi verò Besmius ad eum necandum immissus ad prolixiores has cantilenas aurem applicuisset, maximè cùm properaro opus esset, & ab Guisio & Inculismenti Equite, qui operiebantur in atrio, vrgeretur identidem vt citò feriret, ac Admiralij cadauer è specularibus præceps in subiectum vicum ageret; quod continuò deiectum est, sed iteratis priùs percussorum multorum ictibus lacerum, cuius caput Romam delatum esse falsò referunt Scriptores Hæretici. Quod reliquum cadaueris fuit, furibundæ plebeculæ ludibrio traditum, deinde in Sequanam tractum, extractúmque ad Monfalconias furcas in sceleratorum pœnam erectas translatum, ac pedibus suspensum est, nam auulsum iam antè fuerat à ceruicibus caput, lusitque in eo festiuè satis Musa Gallica, cuius lusum tametsi concinnum, in re tragica referre non placet. Suspenso admotæ sunt faces detractæque, ne omnino absumerentur paucula quæ supererant magni sectarios inter viri exuuiæ. De Admiralij nece, nonnulla tradūtur, quæ prætermittenda minimè sunt Historico arctiorem præsertim vitam profitenti; his enim attenta mente perlectis incutietur haud dubiè salutaris legentibus timor aut vindicis, aut proximè vindicaturi Dei. Primum est, qua die à Nobilium comitiis ad Bellaqueum fontem celebratis anno 1560. per oblatum libellum petierat, vt conscientiæ libertas in Regnum induceretur, eádem omnino, anno 1572. capite luit vlciscente Numine tam iniquum infestúmque Regno ac religioni postulatum. Deinde quia singulos regni status crebris conflatis factionibus penè deiecerat, à singulis quóque elementis quasi nefas indignantibus atrocissimas perpessus est pœnas; à terra quidem, in qua horrendâ probrosáque morte mulctatus est, ab aqua, dum in Sequanam coniectus est; ab aëre dum lacerum & mutilum pondus de furca pependit; ab igne, dum semivstulatum est corpus; atque ita, vt sacrorum codicum verba hic inseram, *pugnauit orbis terrarū contra insensatum.* Sap. c. 5.

Prodigio non vacat quod tertiò narraturus sum. Tradunt aliqui eruditissimum Euangelij sacri præconem è Franciscana familia, cùm Admiralij iussu raperetur ad furcam, interno quodam mentis afflatu correptum

Admiralij dum cæderetur, grauitas & postrema verba.

An Admiralij caput Romam delatū.

Cadauer illusum.

Comburitur.

Admiralius ab elementis omnibus mulctatus.

Genus hoc mortis Admiralio prænuntiatum.

correptum seuerè homini denuntiasse, secum attentè reputaret quid & quantum in innocentem peccaret, se quidem in imperata sibi morte lubentem conquiescere, quæ immortalem auspicatura esset vitam, illum verò qui se mori immeritum rapi iuberet ad mortem, luiturum acerbè huius atrocitatem imperii, futurum aliquando diem illum in quo de fenestra præceps deiiceretur in planum, ac iustissimas infinitorum scelerum pœnas penderet. Hæc Concionator Franciscanus paulò ante mortem comminatus est, & Vates fuit.

Hic porro finis Gasparis Colinij fuit, tragicus profectò & Catholicis etiam flebilis, in quo tot virtutes interierunt, prudentia, vigilantia, mentis excelsitas, aliæque dotes, quæ, hominem altiùs extulissent, si adfuisset in armis felicitas, quam emereri non potuit, nec debuit, quòd contra Regem, Religionem ac Deum ipsum infesta bella gerenda suscepisset, quin & moralibus, quas percoluit, virtutibus caliginem offudit hæresis, cuius accerrimus propugnator fuit, felix si præclara hæc dona à natura congenita, aut potius sibi à Deo impertita in authorem Deum retulisset, eáque edidisset facinora quæ laudare mallent Historici, quàm eius scelera insectari. Cum eo intra aut extra Luparam interfecti sunt Franciscus Comes Rupifocaldius, Telinius Admiralii gener, Antonius Clermontius Renellii Marchio, Lauardinus, Guerchius, Pluuialius, Pontius, Subisius, Bernius, Caumontius, Louerius, Montamarius, Pardalianus, Pilius, Sanmartinus, Fracurius Nauarri Cancellarius, Bellouarius eiusdem olim pueri moderator, Grolotius Aureliani Præfectus, aliique non pauci tum nobilitate præstantes, tum honestis perfuncti muneribus. Intercepti etiam Sectarios inter Catholici aliquot, in quos aut priuato inflammati odio, aut diripiendarum ædium cupiditate incensi ferebantur percussores armati, addebat animos impunitatis spes, & licentia in hoc rerum turbido triumphatrix. Sic religionis studium in veteres vlciscendas iniurias translatum est pessimo sanè rei Catholicæ tum exemplo, tum damno. Sed in hæreticos præsertim districtus persurebat gladius funera longè plura cumulaturus, nisi Guisius, & Aumalius eius impetus repressissent, sic innumeros ab interitu vindicaturi. Atque hic iustum à me præconium referat Guisii clementia; qui in explendis ob interfectum patrem odiis tale tulit iracundiæ temperamentum, atque eo maximè tempore, quo delere funditus Sectarios omnes impune potuisset, cohibuit tamen animum, ne in plectendis noxiis, nimiæ ipse seueritatis, aut parum cultæ clementiæ noxam contraheret. Vicecomes Lauedanus, Crussolius, Acierus, Baro Benacus asylum in Guisianis nacti sunt ædibus,

Admiralij dotes.

Cum Admiralio cæsi Sectarij.

Catholici cur necati?

Guisius multos ab interitu seruat.

Multos ab interitu servat. Carnutum Vicedominus, Segurius & Mongomerius pernicibus equis salutem expedierunt; plerisque Crux saluti fuit, habitique pro Catholicis, quorum galeis vt internoscerentur, appicta Crux alba fuerat, sic inimicos Crucis Christi, Crux ipsa periculo eripuit. *Crux patrocinatur nonnullis.* Nonnullis gratia ab Rege facta, in eius fide & obsequio victuros se pollicentibus, nec fidem fefellerunt eorum plerique. *Et Regis gratia.*

Ramus occiditur. Eadem clade Petrus Ramus interceptus occubuit, in Veromanduis ortus, eruditus ille quidem atque disertus, at Philosophiam, quam publicè professus erat, variis erroribus sparsit, Aristotelem voce & scriptis concerpere ausus, nec à reliquis vellicandis temperans disciplinis, quæ res turbulentis eum moribus motibúsque fuisse satis indicant, quod sanè vitium ab erudito viro pacatiores, quas colebat, Musæ arcere debuerant; sed hoc in eo longè deformius, quòd ad tutandam hæreseon prauitatem facultates vltrò suas erogaret, *Hæresim tuetur.* teneràsque alumnorum mentes non tam literis, quam hæretico veneno imbueret. Hic è cellæ latebris, in quas se se abdiderat extractus, ac per fenestram eiectus, diffluentibus fœdè visceribus miserè periit, quæ pueri per vicos ludibundi sparserunt, corpúsque raptarunt impactâ scuricâ verbera interdum ingerentes, in eius, quam factitarat, artis opprobrium. At ne hic puerorum moderator incomitatus abiret, senes, iuuenes, & cuiuslibet ætatis ac sexus homines, qui in hæreseos suspicionem venerant, cæsi sunt pariter. Qui cæsorum numerum inierunt, ad tria millia interiisse referunt, alii numerosiorem longè cladem affirmant, è qua Nauarrus & Condæus subducti, tum quia regium violare sanguinem nefas esse videbatur, tum quia non tam sponte sua, quàm prauis Admiralii consiliis in Regem deliquerant, Consultius visum est Principum errores iugulare quàm Principes ipsos lædere, qui tandem post repulsas multiplices, crebrásque tergiuersationes instante acriter Rege, quam tam obstinatè defenderant, hæresim èiurarunt. *Cæsorum numerus.* *Nauarrus & Condæus à cõmuni clade eximij.* *Hæresim eiurant.* Non intra vnos Lutetiæ limites continuit se se hæc Hugonotorum strages, serpsit enim per varias regni ciuitates. *Sectarij variis in vrbibus interempti.* Rothomagi, Aureliæ, Pictauii, Lugduni, Nannetibus, Biturigibus, Burdigalæ, Tolosæ necati pariter hæretici. Rupella, Montalbanum, Nemausus, Cebennensium arces, aliæque huiusmodi, quæ tutæ videbantur stationes, in asylum à compluribus aditæ; *Fugiunt cõplures.* alii, cùm intuta videretur esse Gallia, in Angliam, Germaniam, Geneuam præsertim concesserunt, commune flagitiorum, ac flagitiosorum receptaculum; aliis æternæ saluti vertit reliquorum clades, & ne corpore interirent, animæ saluti consultum esse voluerunt iuxta Catholicum ritum vitam deinceps auspi- *Alij Catholici fiunt.*

&ti, quibus stata Romanæ fidei profitendæ descripta est formula, quam recitare palam iuberentur.

Interea ne nimiæ seueritatis aut crudelitatis potiùs nota Regi ab hostibus inureretur, placuit in Admiralium licet interfectum ex iuris formula pronuntiare. Hic igitur habito Senatusconsulto majestatis peractus est reus, publicæ tranquillitatis hostis, & conflatæ aduersus Regem coniurationis author præcipuus; eoque nomine damnatus; bona eius fisco addicta, ipse verò perpetua notatus est infamia: decretum, quia eius corpus discerptum, corruptúmque iam erat, vt eius saltem effigies crati superimposita per vrbis compita raptaretur à carnifice; aliaque homini inusta sunt dedecora, quæ referri non patitur pudor. Statutum deinde, vt in grati animi specimen solennis per supplicationem publicam ageretur Sanbartholomæana dies. Eodem die iudicium capitis in Bricomotium iam septuagenarium, & Arnaldum Cauagnium constitutum est, qui violatæ Diuinæ regiæque maiestatis comperti, infensissimi quippe religionis hostes suspendio necati sunt, cum quibus straminea Colinii effigies in furcam acta pariter est, atque vt facilè dignosceretur, cuius hoc simulacrum foret, dentiscalpium ori eius indiderunt, ferũt enim, cùm aliquid seriò mente agitaret, dentes sæpiùs lentisco vellicare solitum Admiralium, sic qui viuere desierat, vltra mortem etiam, quod in Deum Regemque peccarat, saltem in sua ipsius effigie luit. Hactenus de Hæreticorum strage, seu de Bartholomæana nocte tot cædibus funestata, cuius nuntii variè variis in locis accepti, aliis gratulantibus, aliis improbantibus factum. Romæ certè fausta omnium admurmuratione, ac secundis præsertim Gregorii XIII. Pontificis auribus exceptus est nuntius, qui in Diui Ludouici Templo vbi publicam supplicationem instituit, vltori Deo ob exemptum periculo Regem victoriamque de fidei hostibus partam, operante sacris Cardinale Lotharingo, immortales gratias egit, ediditque amplissimæ indulgentiæ diploma, quo Numinis & Cœlestium omnium opem Regi, totique regno exoraret.

Iure agitur in Admiralij cineres.

Bricomotius & Cauagnius suspēsi.

Supplicationes decretæ in Gallia.

Et Romæ.

Verùm apud Protestantes Germanos, ad quos Legati è Gallia missi fuerant, qui Parisinæ cædis necessitatem excusarent, malè omnino audiit Rex. Libellos à nonnullis editos, qui eum hoc nomine in inuidiam vocarent confutarunt Scriptores eruditissimi, quos inter Iacobus Cuiacius Iurisconsultorum id temporis facilè princeps, & Pibracius in Senatu Parisiensi fisci patronus. Rex ipse sui ipsius actor defensorque, vbi primùm tumultuantium refrixit impetus, processit in publicum, ac explicata consilii sui ratione, ægrè admodum se

Varii de hac cæde rumores sparsi.

Libelli contra Regem refelluntur.

vindicis induisse personam contestatus est; sed aut sibi habendum aut aliis faciendum esse metum ostendit; addidit raras huiusmodi sanguinis eluuiones contigisse, satis pœnarum iam datum, eneruem imbellemque arcum, ac mille coloribus variegatum affulgere; tum edictis propositis, ferrum ne vltra grassaretur, cohibuit, obuiam omnibus deinceps clementiam suam fore pollicitus, dum fontes resipiscerent, & ablegatis sectæ figmentis tritam à maioribus suis veritatis viam insistere maturarent. Aurea & argentea ad æternandam expeditionis huius memoriam conflata moneta, variis insignita est notis; in altera nummi parte expressa Regis erat solio insidentis effigies hoc adiuncto *virtus in rebelles*; in altera verò inscriptæ binæ columbæ, quæ regium lemma conficerent, quibus additum erat. *Pietas excitauit Iustitiam.* In nummis reliquis Hercules clauâ & facibus in Hydram visebatur instructus; caput autem Regis hac præcinctum epigraphe *Carolus* I X. *perduellium domitor*, quem ascitum sibi honoris titulum omni ex parte implere non potuit; nam tametsi Charitæum oppidum sectariis in securitatem datum Niuernij Ducis pro Rege pugnantis armis cessisset, Strossij tamen vires Montalbanum elusit; eundémque ad frangendam ciuium pertinaciam ad se missum Rupella procul repulit, vrbs ob Parisiensem cædem longè ferocior; quæque, cùm quini supra quinquagenos Sectæ Ministri furibundis concionibus ad vindictam auditores incenderēt, neminem ab Rege delegatum pati poterat; Bironum ipsum ne ingrederetur prohibuit, nisi Strossius & Polinius maris præfectus arma statim deponerent; frustrà; fuere datæ Rupellensibus ab Nauarræo & Condæo Regis literæ, quibus prompti in Regem obsequij cōmonebatur contumax populus; rebellis enim perstitit vrbs semper, & in obsidiū vsque tolerandum obduruit, verita ne eodem quo Caluiniani Burdigalenses ferro nuper interierant, cæsi autem fuerant multi, ipsa pariter concideret, tum ne abrogarentur sibi priuilegia à Carolo V. Rege ob Anglos à se deuictos pulsosque concessa; quorum alterum erat, vt arx in vrbe erecta deijceretur in planū, cuius in vicem arcendis regni hostibus corporum suorum oppositus pollicebantur Rupellēses omnes; altero, contestatus erat Rex perstiturā semper in Galliæ Regis ditione Rupellam, nec in externi vnquam principis abiturā dominium. Ingens sanè oppidanorum decus si modò ea perdurassent semper in fide, nisi Anglorum, quos olim fastidierant pepulerantque, nauales exercitus sollicitassent in Regem, quod alibi, prosequēte vota nostra Numine, fusiùs exponemus. Sed quod Regibus Rupellenses iurarant obsequium, horum posteri Carolo Regi eiurarunt, vn-

Rex vt parcatur ferro, edicit.

Gratiam offert.

Moneta recētis inscriptiones.

Rebellat Rupella.

Priuilegia Rupellæ à Carolo V. Rege concessa.

de,vtquod rebellando iugum excusserant, inducerent iterum, arctissima per Andium Ducem obsidione circunvallati sunt, posteaquam peramicos regiorum Principum monitus ad fidē eos blandè inuitantium repulerunt,turbulentis concionalium Ministrorum clamoribus obsequuti, qui quotidianis in cœtibus non modò contra pacem sed & pacis sequestros vehementiùs detonabant.

Nec intra verba continebant se se prædicantes,vlteriùs semper odiis tendere soliti; Lanouium Irenarcham ab Rege missum, dum æquas Andium Ducis conditiones proponeret, suaderéq; adniteretur Ministrorum horum, qui aderant, vnus contumeliosis appellationibus increpuit,colaphúmque nil tale expectanti infregit,quasi perperam locuto,quòd ad pacem disseruisset apposité, quin & eundem quasi proditorem & transfugam procul facessere iussit. Expugnanda itaq; erat & assuefacienda iugo vrbs contumax; emollienda inquam videbatur Rupellæ huius durities; sed ardua sanè, nec non periculosa proponebatur eius obsidio, dum non mœnia tantùm, propugnacula, obsessorúmque corpora profligāda forent; sed quod his omnibus difficilius,ciuium mentes, quas licentioris vitæ illecebra,& assidui Ministrorum hortatus aduersus quamlibet experiēdi Martis aleam obfirmarant,nihilominus quod oblatā Regis clemētiā obtineri non poterat, tentari per obsidiū placuit, ad quod inchoandum missi ab Rege cū Andium Duce Alençonius Dux alter Regis frater,Rex Nauarræ, Princeps Condæus, postremi hi duo recens ad Catholicorum castra transierāt,his Guisij fratres,aliique Principes ac Proceres iuncti sunt comites,quos periclitātis causa religionis iustúmque aduersusRomanæ fidei hostes odiū inflammarat. Principio quidem vtrinque certatum pertinaciter est. Et quanquam in flagrantissimo præsidiariorū æstu in Regios identidem irrumpentiū, in fortissimis vrbis munimentis,in apparatissima commeatus cuiuscunque generis copia, in ficta etiam causæ suæ bonitate spei plurimū collocarent obsessi; ingens tamen terror ob Principū oppugnātiū numerū validasque copias ciuiū nonnullorū animos ad auscultanda pacis cōsilia sollicitabat, flexissetque omninò,ni maiores etia metus effecissent sectæ Ministri contortis linguæ iaculis formidandi magis, quàm armis milites instructi, quorum plerique Monachi excucullati, quam olim eloquentiæ vim sacros in orthodoxorum suggestus pro Romana astruenda fide attulerant, eandem in aduersantia sacris ritibus castra aduersus Catholicos tutanda conuertebant; & audiebantur pronis omnium auribus,maximè dum in repellendis Regiorum armis æternæ salutis pignus, sanctitatisque culmen situm esse iactarent; agerent tantùm intrepidè hoc scilicet fortunatiores, quò peruicaciores futuri; Reli-

Sectæ Ministri ad Rebellionē Rupellam inducūt Lanouio alapam infligūt

Rupellensis obsidio.

Dux Andiū eò missus cū Principibus.

Acriter vtrinque pugnatur.

Rupellenses à Sectæ Ministris incenduntur.

gionis nouæ regnum Rupellæ, hoc est intra ipsa Gallicæ Geneuæ mœnia desigendum, vnde infesti religioni exigendi sint Reges, Rupellensem conflandam esse rempublicam, non defore in Sectariis plerisque Brutorum & Collatinorum constantiam, qui ad vindicandam libertatem exardescant, & Regum cum regibus ipsis authoritate proscripta tantò meliorem ciuitati formam inducant, quantò potius sit plurium, quàm vnius, qui solus moderetur, arbitrium; magnopere interesse religioni infestis obniti hostium suorum imperiis, qui falso politicæ gubernationis obtentu, cuncta in subditis studia religionis & pietatis extinguant.

Execrabilis. borum Oratio.

Hæc ab iis suggerebantur qui Christi confregerant iugum, cum cœnobiticæ professionis vinculis, quibus tenebantur obstricti. Interim accurabantur impigrè quæ oppugnationi necessaria erant, resistebant obsessi aut funditus interire, aut vincere obfirmati. Præsidiarii numerabantur mille trecenti; oppidanorum duo millia; gnari militiæ omnes aderant & ad audendum parati; tormenta muralia ænea quindecim, campestria 60. minora centena, eaque ferrea; nec reliquus curandi genialiter corporis commeatus aberat. Præfidentiam rebellibus augebat magna hæc rerum omnium copia, quare crebris eruptionibus frequentique tormentorum displosione regias fatigabant cohortes, raróque sine Procerum Catholicorum aut cæde aut vulnere iaculabantur; cæsi enim, aut sauciati complures è ferali Martis campo extrahebantur, quos inter Claudius Lotharingus Aumalæ Dux campestris machinæ pilâ confossus Regiorum omnium lacrymas exciuit, virtutem tantam tam acerbo casu sublatam esse gementium; ex illustrissima hac stirpe procreatus erat, quæ in religione aduersus eius hostes propugnandâ colendáque Regum maiestate, nemini concesserat vnquam, quamobrem heroïcam mentis excelsitatem, tametsi ei innata minimè fuisset, è domesticis hausisset exemplis. Vulnerati præterea variis in congressibus è selecta nobilitate heroës non pauci, præstantissimi regij exercitus Duces, Niuernensi grauis in brachio inflicta est plaga, Meduano tibia ferro perfossa. Nec pauciora Sectariorum cumulabantur funera, æquabantur ferè vtrinque clades. Et quanquam è Catholicorum partibus plerique incredibili animi robore septi intactum nihil intentatúmque relinquerent, vt prominentiores hostium arces ac ipsum nouati Euangelii munimentum iteratâ pulsatione concuterent, pluribus tamen dilabebantur vires; præsertim cùm annonæ angustiæ, quæque inopiam consequitur fames, exercitum premeret. Hinc militibus occulta captabantur effugia; Nobilitas ipsa, quia nullus aut perexi-

Præsidiariorum & Ciuium numerus.

Tormenta bellica.

Dux Aumalæ necatur.

Sauciantur Niuernensis & Meduanus Duces. Aequabantur clades.

Fame & tædio Regius fatiscit exercitus.

guus extabat bellicorum laborum fructus, incredibili tædio fatiscebat; patrios tamen pudebat repetere lares nullo in hostili terra militaris laudis relicto vestigio, horrori iam erat Martius ille campus, in quo quamvis multò iam sanguine irriguo, nullæ tamen succrescerent palmæ: terrorem addebat classis ab Anglia Mongomerio Duce submissa 53. nauibus constans, hæc quanquam nihil admodum hostile contra regios attentasset, iure tamen per Oratorem suum apud Elizabetham Angliæ Reginam expostulauit Carolus Rex, initam toties, totiesque instauratam societatem violari, missas ab Regina perduellibus copias, qui Regem, regiamque familiam, aut extinctam, vellent, aut omni dignitate authoritatéque nudatam. *Sectariis auxilium mittit Elizabetha.* *Expostulat Carolus.*

Regina perfidiam omnem, si qua timeretur, purgatura; misit illico qui Regi renuntiarent totam illam classem ex Anglis, Belgis & Gallis militibus conflatam, piraticis infamem latrociniis neutiquã ab se in Galliam destinatam, & si quem in illa prædonum fæce ipsa interciperet, luiturum illico capite tam temerarios insanósque conatus; mendiculorum, decoctorum, exulumque Anglica insignia adulterantiũ greges Rex ipse attineri atq; pro eo ac meriti erant, sine cunctatione mulctari iuberet. Interim etsi regii complures è Rupellæ confiniis proripuissent se se, supererant tamen non pauci, qui obsidionem inflammatioribus animis adurgerent; cùm perduellibus ab eo ipso, qui eos domiturus aduenerat, salus, quam optabant, aduenit; simul ac enim sparsus est de Andium Duce in Polonorum Regem electo nuntius, omnis protrahendæ diutiùs obsidionis vigor elanguit, diuturnámque luctuosissimi temporis caliginem absterfit nouus hic Valesiæ Genti splendor obortus; quare detumescentibus sensim odiis pacis leges propositæ sunt, citiùs, quàm expedierat, abrumpendæ, nàm cùm nouus Poloniæ Rex cùm Alençonio fratre & Nauarro vrbis aggeres & propugnacula curiosiùs inspectaret, è turris culmine obseruans vnus aliquis nebulo minores machinas binas in Principes scelerate displosit, vnde Regem ferunt, lænâ manu, ac femore leuiter perstrictum, grauiore longè ictu sauciandum, hunc nisi subito corporis oppositu excepisset Ioannes Garda Vinsius, nam simulac flamma iactus præuia prænunciáque emicuit, iaculatorem inter & regem medium se constituit, conuersusque ad Cœlites Regis periculum deprecatus est suo. Mansit in amantissimo Regis famulo honorifica diu cicatrix, quæ licet medicorum tandem arte coierit, non abolita tamen est perillustris hæc Christianæ chariratis nota, quæ Gallicis inserta fastis, hunc posteris memorabilem præstitit, quòd potentissimi Regis salutem præhabuerit suæ, *Excusat Elizabetha.* *Andiũ Dux in Poloniæ Regem assumptus.* *Ioãnes Garda telum in Regem intortum corpore suo excipit.*

quanquam, si quantum Regibus debeamus, diligentiùs inquirimus, non vltra progressus est, quàm tendere eum decuit. Inopinum hunc casum regiâ fortitudine tulit Poloniæ Rex, repentinúmque vlciscendi pruritum extinxit, ne inchoatum pacis fœdus perrumperet, quæ tandem aduersantes inter partes coaluit indulgente Carolo Rege, vt Rupellani, Montalbanenses, Nemausenses Sectæ ministeria tutò deinceps obirent. Erga Sanserranos qui à Chastrio Bituricensium Prorege recens obsessi, & ad impurum murium, talparum, quin & ad humanarum carnium esum compulsi, diutius tamen obsequi distulerant, restricta Regis est gratia, permissa tantùm libera sectæ professio. Post pacis edictum præconis voce promulgatum indicta est præteritorum obliuio, Catholica religio, templa, Sacerdotia in integrum restituta, consueta lætitiæ publicæ signa nullibi non edita, applaudentibus remigranti in Galliam paci vniuersis.

Sanserranorum fames obscæna.

Hic porro exitus bellici turbinis fuit, qui Sanserræ, Rupellæque magna clade detonuit. Minore longè molimine per Henricum Mommorancium Damvillam Marescallum oppugnata est apud Occitanos Sumedria. Exin Sanserranis clementiùs post paulò à Rege est factum; regiæ quippe existimationis intererat coram Polonis Regem suum ambientibus pacare vniuersa, ne quid, laceratum discordiis Christianissimum regnum apud legatos de ipsius dignitate imminueret. Demulcebant etiam Regis animum lurida & macie deformata Sanserranorum ora, diutino squalore obsiti desperatorum greges. His lacrymis data est venia, & præteritorum obtrita memoria. Interea Mombrunius Gratianopolitanum tractum infestum latrociniis habebat, adeò malè compacta pax erat, quam quotidianæ turbulentarum mentium agitationes dissuerunt. Porro non armis tantùm, sed & libellis Regi obtrusis pacem, pacisque conditiones oppugnabant Sectarij, nam crescente in dies audaciâ, habito Nemausi & Montalbani conuentu Legatos ad Regem miserunt, qui peterent, vt præsidiarij quos vrbibus sibi concessis præfecerant, regiis alerentur impensis; Caluinianæ professioni liber vbique per regnum vniuersum pateret aditus, in Senatorum numerum adrogarentur nouæ doctrinæ cultores, penes quos de cognoscendis Sectariorum causis ius foret, in Parisiensis stragis authores & administros diligenter inquireretur, Reis pœna capitis infligeretur, & cætera huiusmodi postulata coràm in os Regijs auribus inuerecundè more suo ingesserunt, quæ omnia Rex tametsi in iracundiam præceps, sedatè tamen pertulit, experturus videlicet, an quæ suis ac Catholicorum sæpius armis obluctata fuerat, obuiâ tandem humanitate debellari contumacia posset.

Sumedria à Danvilla expugnatur.

Sanserranis venia indulgetur.

Sectæ postulata.

Perti-

Pertinacem Sectæ genium demirati sunt non pauci, cui in officio continendæ nec vlla satis esse potuit clementia, nec seueritas; nec enim oblatâ sæpius Regis amicitiâ pacata, nec Parisiensi clade exterrita ab armis in Regem corripiendis temperare vnquam potuit; aut si quæ datæ sunt ferro induciæ, perfidorum scriptorum virus profusum est statim, à quibus ipsa etiam Regis proscissa Majestas. Prodijt in primis Stephani Boëthij Senatoris Burdigalensis Anthenoticon, necnon Francisci Hotomani Iurisconsulti Bituricensis Francogallia, qui autores in id vnum incumbebant, vt Monarchiam, hoc est cœli Gallici solem extinguerent, nobilitati si quidem populoque ius omne deferebant, & summam creandorum, & deijciendorum de gradu Regum potestatem. Atque hi dum constabilitam conseruatamque multis iam seculis Regum autoritatem stylo configere adniterentur, perduelles alii varijs in vrbibus ferro grassari non intermittebant, tametsi ferias ab omnibus armorum apparatibus indictas esse constaret. Pestiferam insuper doctrinam à Sectarijs, Ministris præsertim vulgatam esse comperio, dum turpi auaritia infames, & in Numinis causa præuaricantes eos esse assererent, qui Catholicos iure belli captos sordida eradendi lucri cupiditate illecti non cõtinuò interficerent. Huius ferè argumenti ab Christophoro Goodmano natione Anglo publicata sunt scripta, in quibus peculiarem illum (si Superis placet) infusum sectæ genium infinitis commentis obnoxium esse deprehendas; sed qui à recto semel aberrarunt, mirum non est si in frequentissimos, & probrosos identidem lapsus prolabantur. Hæc autem perduellium scripta, quòd subditorum fidem erga Regem imminuerent, tanquam veterum malorum irritamenta, turbarumque semina Regij omnes, qui in primarijs regni dignitatibus constituti erant, aboleri curabant.

Libelli contra monarchiã editi.

Et contra Christianam clementiam.

Sed maior longè difficultas erat in sedandis coniurationibus, quas Alençonij Ducis occasione cõtra Carolũ Regẽ post Henrici Regis in Poloniam discessum conflatas scriptores memorant, quòd nempe supremum ei negaretur armorum imperium Henrico fratri antè cõcessum. Porro ne hæc armorum præfectura Alençonio filio traderetur, intercedebat Medicea Mater, verita; ne si quid humanitus Carolo Regi periculosè decumbẽnti accideret, Alençonius per Henrici absentiam, Regiam interim sibi maiestatem vendicaret, quem vt ab huiusce dignitatis ambitu auocaret, quotidianis aut Belgicæ administrationis obtinendæ, aut nuptiarum cum Elizabetha Angliæ Regina paciscendarum pollicitationibus prolectabat. At simulac egregiè ludificari se agnouit adolescens tum naturâ, tum ætate præ-

Armorum præfectura cur Alençonio Duci negata?

Hinc factio contra Regē exorta.

Proinceſſa à Turrio Turena Vicecomite.

Ex hac Catholicorum factione nata Hæret. rebellio.

Quæ rebellarint Prouinciæ?

Malecōtenti seu politici

feruidus, accensus illico ignominiâ, & eorum, quos continuos habebat, sermonibus inflammatus, minimè ferendum hoc probrum identidem in aures insusurrantium, in Mediceam matrem, ac in Regem ipsum impotenter exarsit, irato faces continuò subdiderunt ex illustriori nobilitate complures, quos Politicos & Malecontentos appellatos esse iam monui. Incendebat acriùs Principem Henricus Turrius Turenæ Vicecomes vndeuiginti tantùm natus annos, cuius consilia etsi ab iuuenili ætate parum commendationis haberent, auidè tamen arripiebantur ab Alençonio, prauo scilicet Principum more, apud quos vera proloquuti censentur, qui ad eorum mentem accomodatè libidinemque dixerint. Vehementiùs etiam ad tentandum aliquid stimulabant Mommorancij, non quidem priuato in Regem odio inducti, sed quod vererentur ne Guisijs quorum ægrè potestatem laturi erant, armorum summa committeretur. Accesserat Marescallus Cossæus cum nobilibus aliquot Alençonio fidem, obsequiumque deuouentibus; sed præcipuum ad audendum aliquid incitamentum Nauarrus & Condæus attulerunt; eòque robustior visa est factio, quò tantæ dignationis capitibus nixa sublimiùs assurrexit. Atque hi omnes intactâ (vti asserebant) religione, quam oppugnare nefas esse ducebant, ad emendandum tantùm, & meliorem in ordinem digerendum politicum statum vires & studia intendere se prætexebant, cùm eorum plerique priuatas hoc pacto vlciscerentur inimicitias, aut peropportunè tutóque vindicaturos se confiderent. Hi dum religioni cautum in primis velle se profiterentur, religionis rebus haud satis prouidè consuluerunt; simulac enim tenuis nascentis huius factionis hæreticorum aures peruasit rumor, enim verò auspicatum tempus aduenisse putarunt, quo tempore, nondum satis roboratæ pacis fundamenta labefactari poterant, districtum aulicorum querelis Reginæ animum armatis iam precibus aggrediēdum; iactis in turbido cassibus irretiri facilè piscium multitudinem, quæ in tranquillo, detectis piscatorum dolis intricari se minimè sinat.

Rebellionem incœptarunt Occitani Hæretici bipartito prouinciæ regimine: Nemausus & Montalbanū in bina factionis capita delectæ sunt vrbes, Harū, vt & cōspirationis vniuersæ moderatores præpositi Sanromanus, & Paulinus, Salyi, Delphinates, Segusiani, Lugdunenses in coniuratorum societatem asciti; hos aliæ subsequutæ sunt regni Prouinciæ; atque hic status erat luctuosissimus sanè vniuersæ Galliæ potentissimis factionibus laceratæ, quo tempore quotidianis querimonijs regiæ fatigabantur aures tum à Malecontentis, seu Politicis, tum ab hæreticis, dum nouam regimini for-

mam induci, Caluinianos per florentissimum regnum errores disseminari, Prædicantium Ministrorum liberis ingenuorum iura tribui, communia cum Catholicis cœmeteria, & pleraque alia contra fas concedi sibi flagitarent. Iniquissimis postulatis huiusmodi armorum addita vis; nonnulla enim oppida in Pictonibus ab hæreticis capta; nec à Velaunensibus armata temperauit factio. Anicio cùm Mongonius immineret, insidijs interceptus jugulum percussoribus dedit, Guiardus omnium scelerum colluuione infamis, dum proximè vrbem populationibus grassatur ac cædibus, ab Aniciensibus cum nebulonum, quos secum aduexerat grege fauentibus noctis tenebris oppressus. A nefarijs sectariorum conatibus protecta vrbs est singulari Virginis Dei Genitricis auxilio, quam vrbis tutelarem ac suam eximiâ veneratione prosequuntur oppidani, hæc enim Catholicorum ritè votis implorata insignium olim tum in barbaros, tum in nouatores victoriarũ causa & cumulatrix fuit; hæresum interemptrix, non hominum, quibus ab errorum cœno reuocatis maternum verè sinum explicare non abnuit. Vtinam matrem hanc magnam cælestis vitæ sinum esse interque Deum & homines sequestram agnoscerent, colerentque Antimariani omnes, qui hanc Nouercæ loco habent, non habituri Patrem Deum, qui Numinis ipsius genitricem in matrem & patronam adoptare contempserint.

nouam regiminis formã postulant.

Iniqua secta rij petunt.

Anicienses tuetur Deipara.

Interea Mombrunius Viuariensem agrum incursabat, Mongomerius Neustriam populabatur, quæ latrocinia tametsi per varios ab se delegatos viros inhibere adniteretur Rex; curæ tamen eius erant præcipuæ circa factionis nouæ auctores aut de medio tollendos, aut mitioribus, quam in partem propendebat Rex maximè, animaduersionibus coercendos; quare à Christophoro Thuano senatus principe, alijsque delegatis iudicibus inquisitum in reos aliquot carceri mãcipatos, quos inter censebantur. Bonifacius Mola, Hannibal Coconasij Comes Insuber, Laurentius Bosius Sammartinus, Petrus Grantius regiæ mensæ structor, Petrus & Franciscus Turtæi. Mola legibus interrogatus vllius se criminis conscium esse negauit, testimonio lætari conscientiæ, nihil aduersus Regem meditatæ; Coconassius coniuratione detecta Molam falsa proloquutum ostendit, palam confessus factionis participes, quo die Rex è Sancti Germani fano excederet, de Alençonio abripiendo & Sedanum asportando secretiora inijsse consilia, vt cum Ludouico Nassauio, sectæque, quæ præsto aderant turmis, copias ipse

Latrocinantur perduelles.

Coniurati in carcerem cõpulsi

Interrogantur à iudicibus.

suas adunaret; & Coconassium non fictè loquutum planum faciebāt ducenti qui Caluimōtio Guiterio Duce Hæretico, proximè Sācti Germani fanum conspecti fuerant equites cataphracti. Auditi biduo post Alençonius ipse & Nauarrus; sine fuco, missisque ambagibus rem, vti erat, enunciarunt, sacram illibatamque sibi fuisse, futuramque semper Regis maiestatem contestati, cui infinitorum annorum seriem & temporum felicitatem adprecabantur. Hos è iudiciorum laqueis expediuit Regiæ stirpis propinquitas, & innocens animus fallere nescius, aliorum impulsu potiùs, quam suapte sponte in nefaria factiosorum consilia deuolutus; in reliquos igitur coniurationis manifestos capitalis est pronunciata sententia. Ac de Mola præsertim per tormenta quæsitum, ecquid supra cerea icūculà responderet, quam magicis deuotionibus affectam & in corde ictam circunferebat, Hic effictam ab se asseruit, vt amoris telo puellam quam in Prouincia deperibat, configeret, mutuumque ab ea amorē exprimeret. Ex vano tamen loquutum hunc referunt nōnulli, & aliò collimasse, ac tentasse durius aliquid per ceream illam mollitudinem, quod, quia tenui tantùm & cereâ (vt ita dicam) suspicione fulcitur, explicare non lubet, cùm satis pœnarum dederit vnà cum Coconassio securi percussus; horum corpora quadrifariam secta, tum patibulis pro vrbanis portis affixa, Postremus ante carnificis ictum Regem sæpius admonuit, vt ab insidijs nec vnis diligenter sibi caueret; Mommorancius & Cossæus Marescalli Bastiliam in arcem coniecti, dum Alençonius & Nauarrus in liberâ attinerentur custodià, Condæus mentito habitu Argentinam confugit, illic inchoatæ tragœdiæ præstolaturus exitum, Thoræus ac Turrius, quique coniurationis conscij erant, correptâ illico fugâ periculum deuitarunt.

Alençonius & Nauarrus rem detegunt.

Innocētibus parcitur.

Damnantur coniuratores.

Mola cerea imagine vsus.

Huius & Coconassij supplicium.

Quid alij faciunt.

Sic compressa ex parte fuit coniuratio eorum nece, qui præcipui eius autores & promotores fuerant. At nondum consopitæ penitùs erant eius reliquiæ, bellicis enim vbique tumultibus flagrabant omnia, nec arma tantùm sed exitialia etiam volitabant vndique scripta in mutuam altercantium comparata perniciem. In Aquitaniæ totius cladem incumbebat Ioannes Haius, præfecturæ, cui inhiabat, repulsam non ferens, ideoque Reginæ infensus; perstrepebat armis Neustria à Mongomerio ferè depastata, incursanda crudeliùs, ni perfidum hominum, teterrimum Catholicæ Religionis hostem vltrà progredi victorijs læsum toties ab eo Numen inhibuisset; hunc enim Danfronium profectum, seque acriter cum equitibus quinquagenis ac peditibus multis defendentem obsidione vallarunt magno

Ioannes Haius cladem Aquitaniæ molitur.

numero regij; Equites aderant mille, cum quaternis peditum millibus. Mongomerius, contra quem vnum Reginæ iussu comparatus exercitus erat, per huius supplicium immaturam Regis mariti necem vlturæ, cuius mœrorem nondum absterserat, nihil non agebat quò salutem suam è præsenti periculo expediret, hic enim nunc ad vigilias frequens adesse, nunc stationes lustrare, nunc Ducis, nunc militis munera exequi, nunc spe quamoptimâ frui, nunc desperati omne tentari, nunc præteritorum recordatione frangi, nunc futurorum metu perhorrescere. Interea senis in oppidum continuò fulminantibus machinis deijcitur turris, Mongomerius cùm in arcem se suosque recepisset, tertio pòst die in Matignoni potestatem venit, moxque Reginæ iussu à Vassæo Lutetiam perductus, post Caroli Regis obitum, tanquam perduellionis reus, Senatus decreto, capite imminutus est. Infelicem hunc nactus est exitum infinitarum propè turbarum autor præcipuus, cui non satis fuit Henrico Secundo Regi necem cōsciuisse, tametsi eius interimendi consilium voluntasque defuerint, nisi Regis eiusdem liberos, eosdemque pariter Reges scelestissimis armis fatigasset. Atque hîc collaudanda iure videtur generosa Caroli Regis extremùm decumbentis clementia, ad quem perlatum cùm esset Henrici Patris interfectorem in vincula datum, moxque iusto afficiendum esse supplicio, nullis vindictæ stimulis in hoc festinantis mortis articulo moueri se dixit, proculcatis iam humanis omnibus, ad fortunatiora hoc est æterna se niti; Christianam hanc mentis excelsitatem ad decretoriam vsque mortis pugnam constanter attulit, obijt autem festo S. Spiritus die in Apostolorum chorum illapsi, qui Maij trigesimus fuit an. 1574. ætatis vigesimo quinto nondum tamen expleto, omnibus Ecclesiæ Sacramentis (vti Christianissimum Regem addecebat) ritè communitus. Morienti assidebat Iacobus Amiotus Altissiodorensis Præsul Regis antè præceptor, & Arnaldus Sorbinus qui eidem à sacris concionibus fuit.

Mongomerius se suosque tuetur contra Regis copias.

A Matignono capitur.


Parisijs capite truncatur.

Caroli Regis clementia.

Piè moritur.

Immaturâ morte atque in ipso adolescentiæ flore raptus est Carolus Rex, vt lugeretur diutiùs, Princeps in regiarum virtutum exemplum genitus, religionis columen, cuius propagandæ, aut propugnandę causâ plura bella suscepit, quàm annos in imperio numerauit; Perduelles Hæreticos sub Francisco primo Rege in Gallia malo sydere natos, sub Henrico Secundo vix mussare auditos, sub Francisco Secundo hostiliter aliquid ausos, sub ipso Carolo IX. in furias palam actos, in Galliam totam effusos, sceleratos exercitus in Regnum ac religionem mouentes, quia clementiâ placare non potuit, ferro perdomuit; quanquàm, quod lacrymis prosequendum est, hy-

Regiæ Caroli dotes.




HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB HENRICO III. REGE

LIBER SEPTIMVS.

Ab Anno Christi 1574. *ad Annum* 1584.



VBLATO ex humanis Carolo IX. Gallia quæ in fortunatioris temporis spem erecta videbatur, quasi succiso sibi vigore tota elanguit; ideoque Mediceæ Reginæ in tutelam tradita, dum adesset è Polonia Henricus Rex, qui debitum sibi nataliũ prærogatiuâ regnũ adiret. *Henricus è Polonia redit.* Hic accepto fratris obitu, quanquam non modicum blandiebatur opulentissimi Poloniæ regni amplitudo, subditorumque amor quos varijs Gallicæ comitatis officijs sibi obstrinxerat, potiorem tamen Galliam habuit,

cuius in regimen non electorum suffragijs (qui mos in Polonia obtinuit,) sed hæreditario iure veterique Galliæ instituto vocabatur. Quare cõmunicato paucis admodum, ne quid foras emanaret patriæ repetendæ consilio, in viam se prorinus dedit, ac conciratissimo veredorum cursu, quo Polonorum si fortè insequerentur deuitaret insidias, destinatum in regnum sospes appulit, quid sibi fata pararet ignarus, quæ quia cæcis abstrusa sunt tenebris, hæc ideo introspicere, quò eluctari possis, vt magnæ sanè prudentiæ est, ita raræ admodum felicitatis. Nihil ad propositum nostrum attinet huc referre, quantis Germanorum Principum, Italorumque votis ac plausibus exceptus fuerit, qui nefarios tantùm hæresum hæreticorumq; conatus, aut quæ his affinia sunt literarum monumentis consignamus. Hæreticis vnis aut eorum assectis parum iucundus fuit Regis aduentus, seu quòd tumultuum Gallicorum procellas, quibus hæresis pascitur, placaturus pacemque reuecturus crederetur; seu quòd, cùm primis belli tentamentis fortem contra se infestumque Rupellenses experti essent, tantò validiorem eum fore pertimescebant, quãtò plura iam poterat Henricus Galliæ Poloniæque Rex, quàm Henricus olim Andium Dux, sub Caroli Regis auspicijs bellum adgubernans.

Ingratus hæreticis Henrici aduentus.

Erant & qui per delegatos factionis suæ viros eius reditum aut impedire, aut morari saltem adniterentur; præcipui fuisse censentur Malecontentorum, quorum iam memini, antesignani; quibus serpente mali contagio hugonotorum primores se se immiscuerant. Interea ne quid turbarum concirent, Alençonius & Nauarrus datis ab Regina custodibus asseruabantur, libera tamen vtrique quò luberer, abeundi pótestas est facta. At cùm ab excubitoribus curiosiùs obseruari se Regiæ stirpis adolescentes suppuderet, hactenus nihil aggressos, aggressurosque deinceps contestantes, quod Regis Reginæque maiestatem violaret; perdurare tamen voluit Regina vtriusque custodiam, dum Rex, quem in dies præstolabatur, aduenisset; vt fortunatum ei ambo reditum sibique pariter eodem tempore libertaté Regiâ munificentiâ datã gratularentur, quod ita demũ est factum, dum paterno vtrumque Rex dignatus amplexu liberum esse voluit, iussitque; quod illi beneficium, sicuti mox ostendemus, haud satis memori mente tenuerunt. Viget plerumque Gratia dum recens est, processu temporis rosarum more deflorescit, quas vixdum adultas, natiuâque purpurâ promicantes subitarium excipit senium corrumpitque.

Et Malecontentis hæreticis iuncti.

Alençonius & Nauarrus libertate donantur.

Non agnoscunt satis Regis gratiam.

Vix per ancipites casus, milleque viarum discrimina Lugdunum appu-

appulerat Rex, cũ tristissima attriti diuturnis cladibus populi oblata est ei species, & inter infinitas non minùs adulantium, quàm gratulātium voces, habuit sanè quod abundè lugeret, penéque pœnituit tot motuum totque turbarum vepribus circumuallarum quod adibat Gallicum regnum pacato præhabuisse Polonico; sed cognatorum amor & antiqua regni à maioribus suis possessi maiestas mœroris partem, quo conficiebatur abstersit, in id ergo totis incumbere viribus cœpit, vt perculsis, afflictisque prouincijs ferè omnibus, regiamque implorantibus opem quam ocyssimè subueniret; & quia certior è Caluinianæ sectæ cultoribus imminebat pernicies; ac per religionis dissidium politicis etiam in rebus distrahebantur ciuium anim, in arcano Regis senatu quæsitum est; an armorum vi legumque seueritate ad intermissos fidei Catholicæ ritus repetendos adigendi forent hæretici; an verò, quia difficillima erant tempora, & non timebant magis quàm timebantur sectarij, obstinatus ille tuendorum errorum morbus lenioribus esset curandus remedijs, potestasque cuiliber fieret de Deo deque Ecclesiasticis rebus, vti maximè vellet, sentiendi. In hoc arbitrantium Procerum cœtu non deerant, qui ablegandam omnem pœnarum acerbitatem sentirent; hi supplicijs corpora succumbere affirmabant, non mentem, in lacero etiam corpore triumphantem, inania hæreticorum figmenta quia nullo veritatis fulcro nituntur, facilè per se nullo aduersantium conatu defluere, quæ verò dogmata firma veritatis radice stabilita sunt, nullis oblatrantium hominum insultibus quati, stare, vigereque perpetuò; nam, quæ ab æterno rerum conditore circa religionem ad nos vsque dimanarunt, quæ vis tandem humana labefactet? Ad extremum inducias gladio concedendas esse dicebant; nisi fortasse diuini verbi gladius hic foret, vnicus in corruptas errantium mentes distringendus; errare nempe spiritus, ideoque spiritualibus armis coercendos, quæ quidem arma dispersi per oppida tractare debeant spirituales viri, instare opportunè, importunè, Caluini dogmata quàm deprauata sint, rudiores plebis mentes edocere, idque vbi commonstrarint, adductis Ecclesiasticarum rationum momentis Catholicorum ritus strenuè constabilire, vt profanis moribus è rep. Christiana procul reiectis, castiores inducant; ac ipsi quæ pro concione persuadere decreuerint, editis passim virtutum exemplis corroborent, altiùs hæc in auditorum suorum cordibus defixuri.

Quæsitum num vi coercendi sint hæretici.

Alij benignè cum ijs agendū sentiunt.

Alij verò eo vsque progressum errantium morbum esse censebant vt lenioribus medicamentis curari minimè posset, grauiorem itaque imprimendam elephantiacis plagam, vt plecti se dignoscerent, mala

Alij contrarium existimant.

Oo

germina radicitus euelleda, ne si negligeretur, repullularet diutiùs, corruptos & corruptores animos crudioribus corporum cruciatibus interdum percelli vehementiùs, quàm corpora ipsa, inchoandum itaque à corporum supplicijs, quibus attritis, proculcetur vnà mentium pertinacia. Sed acrem hanc refellebant orationem quos sectæ miserebat & eos ferè miserebat, qui proniores eius in ritus esse videbantur, quorum ea vox erat, tot hactenus bellis per Galliam circulatis aliud nihil actum, esse quàm vt regni exhaurirentur opes, succrescerent odia, nobilitas ad cædes raperetur, Gallia suorum sanguine redundaret, conualesceret secta, idcirco robustioribus vitijs adhibendam esse securim, tollendam primò infamem illam hæresum matrem aut nutriculam, morum scilicet qui in vniuersum Ecclesiæ corpus irrepserant fœditatem, cætera in expedito fore. Et quia haud exigua vis ad corroborãdum aliquid ex adductis præteritarum rerum exemplis colligitur, orabant vt veniret in mentem Germaniæ infinitis ferè Protestãtiũ cædibus exhaustæ in qua tamẽ superstes vigeret dãnatarũ opinionũ nouitas; propiùs arsisse, ardereque adhuc Belgium Catholici Regis armis ad delendam Gheusiorum sectam comparatis, nec sic tamen nouos Caluini errores deponi, obfirmari potius animas in expugnanda vetere, nouâ verò religione firmandâ; In Polonia magnam sobolescere in dies sectarum varietatem, nec exturbari tamen inde pacem, animorumque coniunctionem; Cur ergo Gallia sectã duplicem aut geminum populum absque viscerum tormine sustinere non possit? Hæc illi moderatiora pro sectarijs suggerebant, vtinam pro religione saniora addidissent, quanquam non diffiteor è Catholicorum primoribus extitisse nonnullos, qui tempori seruiendum esse dicerent; nam dum è Polonia rediret Rex, Maximilianus Cæsar, posteaquam eum quæsitissimis honoribus excepisset, autor eidem fuerat, vt pacem cum hæreticis componeret, meminisset nouũ imperium inchoantibus vtilem esse clementiæ famam. Idem Veneti Proceres monuerant nihil in regno acerbius affirmantes, quàm ciuilium bellorum incendium, & mutuam illam cædentium cadentiumque ex vtraque parte sæuitiam.

Refellũtur.

Nihil aut parum prodest securitas. Probatur exemplis.

Monetur Rex vt leniter agat.

Verùm Catharinæ Medicææ potior visa ea pars est, quæ contundendam rebellium contumaciam esse sentiret, siue quòd in longâ & altissimâ pace rariùs se consulendam intelligeret, seu quòd vereretur, ne si diuturno torpesceret otio, acies suæ autoritatis hebesceret, seu (quod propius vero crediderim) hæreseos & hæreticorum genium perspectum haberet, clandestinas (dum armorum sunt feriæ) coniurationes alentium, quæ postmodum ex insperato in apertum erum-

Medicæa armorum vim adhibendam censet.

punt. Re itaque in secretiore consilio agitatâ, ni Sectarij Regi obsequerentur, quasque occupauerant vrbes, restituerent, decretum est bellum, quod improuidè factum ab Rege criminantur nonnulli; sic enim (vt asserũt) pacandi nullo negotio regni consilium abiecit. Sed ea aut hominum Sectæ studiosorum querela fuit, Regem sic in inuidiam trahentium, aut politicorum quorundam, quibus fieri satis nihil poterat, nisi regnum & religio communi deflagrarent incendio. Rex verò tutandæ fidei ardore succensus, ac continuis hæreticorum technis & pollicitationibus iure diffidens, Dei causam viriliter propugnare consultius duxit, quam segnius cunctando eam religionis hostibus proculcandam obijcere. Vtinam quantum in eo ad pacandum regnum studij fuit, tantum quoque ad id exequendum virium extitisset; verùm repugnabat his infida tum malecontentorum, tum hæreticorum factio, & ingentia sanè operæ pretia retardabat. Mombrunus nihil turpe ducens quod esset quæstuosum, non modicam regiæ supellectilis partem auertit, dum è Polonia transportaretur in Galliam; ab infami latrocinio reuocare non potuit hominem Principis duplici diademate fulgentis Majestas. Danvilla offensum se à Medicæa obtendens, quæ ipsum Taurini attineri iusserat, iniuriam hanc cum non leui Catholicæ religionis detrimento vindicauit; arma enim cum rebellibus consociauit, sic hæreticorum & malecontentorum viribus fretus factionem iam inchoatam imò & adultam prouexit. Atque ex hoc Mommorancii à Regina, Regiisque partibus dissidio magna Catholicæ Religioni per inferiorem Occitaniam illata est labes, in quam hæreseos virus cum hæreticis ipsis irrepsit. Ingemiscit etiamnum Monspelium Mariana vrbs, & Marianis olim prodigiis inclyta ab Antimarianis occupari se, & quæ vesanis Albigensium Hæreticorum erroribus obstiterat, in subtiliores Caluinianorum casses incidisse se meritò queritur. Hoc autem fœdus cum hæreticis Danvilla percussit, non quò Romanam religionem incesseret, cuius studiosissimus fuit; sed alias atque alias prætexebat culpæ causas, quas si incusarem, iure reprehenderer; cùm excusarit haud dubiè Deus in eo homine, qui qualecunque nefas hoc fuit, sæpius cum Christianæ mentis pœnitudine retractauit, ne ab auita Maiorum suorum pietate deflecteret, qui primos orthodoxæ religionis satus dum in Galliam inueherentur, exceperunt. Improuidis Danvillæ conatibus obstiterat quidem Tolosanus Senatus, sed latè iam manarat & præualuerat Calviniana pestis, quæ magnam inferioris Occitaniæ partem corrupit.

Decernitur bellum in hæreticos.

Mombrunus regiam supellectilem rapit.

Danvilla arma iungit cum hæret.

Hinc graue damnum Occitaniæ illatum.

Sensit semper cum Catholicis.

Interim alias atque alias Galliæ partes, quà prædis agendis, quà

Auenionēsi Pænitentiū sodalitati Rex aggregatur.

Card. Lotharingi obitus. Virtutes.

Hæreticorū malleus.

Sectarii loca quædam in Occitania inuadunt. Pulsinium à Regiis captum.

Fontenaium pariter. Lusignanum Regios repellit & necat. Capitur deinde vrbs & diruitur.

ædibus cumulandis infestas habebant Hugonotti, maximè cum Rex Lugduno Auenionem pergere maturaret qua in vrbe cum incredibili voluptate obseruauit non pauca singularis & hactenus inauditæ pietatis exempla. Erant enim qui societate inter se coalitâ præteritæ vitæ noxas strenuè in se vindicarent, qui saccis induti personati & ignorabiles longâ se inediâ macerarent, corpus contextis in flagellum funiculis iteratâ verberatione cruentarent; huic hominum generi tam duriter in se animaduertentium immisceri voluit Rex, Regis exemplum secuti sunt Aulici, vt intestinis huiuscemodi vitiorum expultricibus pugnis, grauioribus aduersus Numinis hostes aggrediendis bellis præluderent, quibus in pertractandis spiritualibus armis inopino fato concessit Cardinalis Lotharingus vix quinquagenario minor, contracto enim frigore in hoc seuerioris pietatis agone, in lethalem morbum incidit; & congruum sanè erat tam exaggeratæ virtutis virum in ijs virtutum experimentis emori, ne sanctæ, quam duxerat, vitæ momētum aliquod absque ducta sanctitatis linea effluerct. Vir fuit acerrimus Orthodoxæ religionis propugnator; atque ex ipso, quo semper aduersus hæreticos flagrauit odio, nemo non intelligere potest, quantus in eo tuendæ veritatis ardor eluxerit; quod ille studium cum varijs in locis, tum in Concilio Tridentino & Colloquio Poissiacensi liquidò comprobauit, vbi luculentissima tum præstantis ingenij, tum sublimis eruditionis exempla reliquit. Auenione 26. Decembris an. 1574. quam in votis habuerat immortalitatem auspicatus est, cum Principe Martyrum victrices decerpturus palmas, quas, pij pugilis ad exemplum, hostibus Christi prosternendis emeruerat; qui defæcatæ eius sapientiæ minimè resistere potuissent, nisi pertinaces sectæ spiritus ad orthodoxam eius doctrinam attulissent. Tam ingenti regni religionisque iacturæ ingemuerunt boni omnes, Hæretici vero malleo hoc, quo contundebantur sublato, collætati sunt omnes, rebellionem mox integraturi, dum vix alius reperiretur, qui obsisteret. Interea pro roboranda hæreticorum factione turbas in Petrocorijs excitabat Turenius, Sancti Michaëlis montem occuparant Normani Perduelles: in Occitania aut vi, aut coacta deditione in hæreticorum partes transierant arces aliquot; hostilia vbique restaurabantur. Non deerāt tamen è Catholicorum partibus Primores non pauci, qui strenuè Regis auspiciis animati rem gererent. Pulsinium per id temporis oppidum regio milite cinctum est tormentisque muralibus conquassatum, cumque oppidani confestim in latebras se abdidissent, hic postridie nullo certamine, quòd fugâ dilapsi omnes essent, occupatus incensusque est locus. Exin Fontenaium Dux

Monſpenſerius progreſſus rebellans oppidum in poteſtatem redegit, Luſignanum diu reſtitit, ſed cùm omnia deficerent, obſeſsi octauo Cal. Februarij an. 1575. fame & frigore penè enecti res ſaluas pacti, vrbem & arcem dediderunt, quæ dii epta & in planum deducta eſt, ne contra Regis obſequium tetrum hoc extaret deinceps rebellionis, rebelliumque hugonotorum receptaculum. Ex hoſtibus cæſi 25. nobiles, milites ducenti, ex obſidentibus plures.

Aquæ-mortuæ aſtu interceptæ.

Hæc dum proſperè & aperta vi agerentur à Regijs ſubdolis artibus in Occitania graſſabantur perduelles Hæretici, Nam Aquæ-mortuæ, quæ maritima vrbs eſt, Monſpelio non procul, hoc ferè dolo interceptæ ſunt. Exules ſectæ fœderati noctis ſilentio peropportunè vſi, effoſsâ intra portas geminas terrâ, tormentarij pulueris ſaccos includunt, & funali catapultario ignem accendunt, quo perrupta portâ vtraque ſectarios in ipſa vrbis intima intromiſit. Libera prædandi facta eſt militi copia, Præſidiarij in Conſtantiam turrim toto eo tractu celeberrimam euaſerunt, quam ob commeatus inopiam biduo pòſt, rebus integris, & pacta vitæ incolumitate hoſti tradiderunt,

Rex inauguratur.

Interea Rex auxilium de ſancto deprompturus, more maiorum Durocortorum Remorum conceſſit, auguſtiore inibi, quàm Pugilum ceroma fuerit, imbuendus oleo à columba in Regum noſtrorum inaugurationem supernè delato: qua in celebritate improſperum quid Regi futurum à perſpicacioribus obſeruatum ex eo eſt, quòd ſolennis gratiarum actionis hymnodia, quæ in conſimili Regum vnctione cantari aſſolet, perſoluta non fuerit; tum quòd auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium ad veſpertinæ vſque pſalmodiæ tempus protractum præter morem fuerit, quare ruiturum breui regnum illud interpretati ſunt, quod à Catholicorum offendiculo ſua ſumpſiſſet primordia.

Captum ruituri regni omen.

Aloiſiam Lotharingam ducit.

Poſtridie huius diei matrimonium cum Aloiſia Lotharinga Rex inijt, inter nuptiales ludorum, chorearum & epularum amœnitates inquies, nec ſatis animo conſtans; cum hinc pertubationem afferret inſtituta rebellium diſparatæ religionis factio, illinc ſollicitum haberent varij, qui vndique perferebantur recentium tempeſtatum nuntij, adeò verum eſt non excretas vndique ægritudinum fæcibus voluptates à Regibus ipſis deguſtari. Diuoduri Mediomatricum præſidiarios inter & oppidanos inchoata ſeditio mutuis cædibus terminanda proximè videbatur, ni maturè reſtinctum foret incendium., Milite quippe, cùm ſtipendia minimè procedunt, prædari coacto & hoſpitibus rapinas ægrè ferentibus, pacem abrumpi neceſſe eſt, dum quod cuiq; proprium eſt, aut huiuſmodi eſſe putatur, contentioſiùs, & per explicatas armorum vires exquiritur. Rex ſacris Remenſibus inauguratus

Curis prægrauatur.

Lutetiam ingreditur.

Lutetiam rectà contendit, solenni pompa, qua moris est nouos Galliæ Reges vrbes suas ingredi, a Parisiensibus exceptus fuit, Religionem & pietatem vnà cùm Rege intromissam esse gratulantibus, ac sydus illuxisse nouum succlamantibus, quod nouarum opinionũ nubes, quin & ipsam temporum caliginem discuteret; augurabantur quoque regiam illam mentis excelsitatem nunquam cõmissuram, vt errorum fucus apertam veritatem obtegeret. Rex præconceptam de se spem haud obscuris optimę erga omnes voluntatis indicijs roborabat, Maiestatem obuiis omnibus contuendam impertiens, affectumque paternum ex æquo dispensans. Magnâ sanè tum lætitiâ gestire videbatur, cùm Francicam hanc comitatem, & amica hæc exporrecti benignè vultus inuitamenta cum Polonica morositate conferret.

Regiâ pompâ excipitur.

Elizabetha pro Hæreticis supplicat

Regi Lutetiam appulso, variis ex orbis partibus confluentes non pauci, fortunata regni auspicia gratulati sunt, Sceptrique perpetuitatem optarunt. Condæus ad Regem primores aliquot misit, qui de pace, pacisque conditionibus agerent; Regina ipsa Angliæ Elizabetha per Oratorem suum Regi suadere instituit, vt benignas sectarijs aures accommodaret, pro capitum, ac fortunarum suarum incolumitate aliquid supplicum more rogaturis, ciuilis otii commoda & honestamenta proponenda curauit, intestinis bellis, quæ magnam Galliæ partem attriuerant longè potiora; permittendum vnicuique religionis delectum, & sanam eam esse, quam Galli Reformati arripuerant, Christianissimi Regis pectus excruciabat postulatum hoc audax, cum in exitiale Matris Ecclesiæ damnũm vergeret. Abire itaque coacti sunt Protestantium legati nullo ab Rege, aut certè dubio accepto responso, Arnæus interea apud Regem commorari iussus est politicarum rerum apprimè sciens, cui datum negotium pacis ab vtrique parte cupidissimè expetitæ consilia promouendi; nec abhorrebat Henricus à pace, pacis tamen leges dicere Regiæ maiestatis esse affirmabat. Interim quò ferocientes hostes nouis humanitatis condimentis deliniret; ijs indultum voluit, vt tutò in Galliæ regno pacatéque agerent, cauitque ne vlla in re ob pertinacem sectæ cultum læderentur, quæ dum indulgentiùs hostibus concederet, ab ijs infestum aliquid Religioni mouebatur. In Septimania regios inter atque sectarios leuibus interdum prælijs concertabatur æquato ex vtraque parte damno, eo maximè tempore, quo Crussolius Vticensium Dux profanis sectæ ritibus eiuratis ad Regios auspicatò transierat; tum enim arces complures & castella variantibus identidem Dominis, aut vi, aut astu intercepta, redditaque, quæ quia ignobiliora sunt, silentio prætereo. In Allobrogibus nunquam ab armis temperabat

Legati iniqua petentes repulsi.

Crussolius sectam eiurat & Regijs iungitur.

Mombrunius, regiæ, vti iam dixi, ſupellectilis inuaſor; is fugato Gordij equitatu regii hac in prouincia Legati, in Helvetios arctis viarum anguſtiis impeditos proruit, ac ex ijs octingentos interfecit, octodecim ſigna cepit, ſed haud diu parta victoriæ gloria potitus eſt, nam dum Regiorum clades accumulare feſtinat, equi lapſu in ſolum decutitur, ac fracto crure Catholicorum in manus venit læto admodum Rege, quòd ſuorum in prædam ceſsiſſet, qui Polonicam Gazam infami latrocinio compilarat; hunc arctè attineri Rex iuſsit ac Gratianopolim duci, vbi ſupremæ curiæ ſententia perduellionis damnatus ceruicem carnificis ferro ſubiecit. Leſdiguierio rei Summa pro ſectariis impoſita eſt, qui militia clarus, raráque prudentiæ laude inſignis, animi corporiſque dotes, ſumpto rebellionis patrocinio dum iuuenili floreret ætate, fœdarat. *Mombrunius capitur.* *Gratianopoli capite plectitur.* *Rei ſumma Leſdiguierio traditur*

Hæc apud Delphinates tum hæreticæ feritatis, tum regiæ etiam vindictæ documenta relicta; quæ in Hayo Pictauienſis curiæ Prætore primario, turbarum incentore proditioniſque comperto recrudnit. Hic Pictauium rebellibus tradere decreuerat; ſed vt diſsimulanter ferè loquuntur bilingues huiuſmodi viri, ſcelus prætexebat ſplendido nomine augendæ in maius regiæ & Catholicæ rei; ſic enim diſſerebat, Pictauio ſectæ tradito manſuetiores longè fore hæreticos, cóque rem deductum iri, vt per occultam nonnullorum, quos arctè ſibi deuinxerat, conſpirationem, Rupella, quæ haud ita pridem Regis arma fatigarat, eius in poteſtatem veniret, quam mox recuperatum ſubſequeretur Pictavium. Hanc ille clàm ordiebatur telam aranearum caſsibus parem, fraudemque diſsimulauit cum ad regium admiſſus eſt colloquium, quare ad ſuos regreſſus ludum auſpicatò confeciſſe ſe gloriabatur, quŏ in tragœdiam vertitHayo ipſi lugubrē, exploratis enim hominis technis & doloſis, quibus graſſabatur artibus; maximè cùm Lanouio qui Rupellæ tum erat, per literas ſignificaſſet, alere ſe ſemper Pictauii Hugonottis tradendi conſilium, neque quidquam ſe ob priuatam cum Rege collocutionem de priore mutaſſe ſententia, proditionis reus palàm eſt agnitus, atque vt paratam ſceleri pœnam deuitaret, in Begauderiam ſeſe abdidit villam altero ab vrbe milliario diſsitam, vbi ab Villaticis interfectus, plauſtroque impoſitus in vrbem relatus eſt, & eo ipſo loco capite truncatus, in quo ſimulacrum eius à carnificę appenſum fuerat. Eiuſdem crura & brachia variis vrbis partibus affixa in diuturnum mulctaræ, mulctandæque deinceps proditionis monumentum. Ad infelicem hunc exitum perduxit hominem ſcelerata malecontentorum factio, cui impenſiùs deditus, fœdus icerat cum hæreticis, Sic autem *Hayus bilinguis.* *Pictauium hæreticis tradere nititur.* *Occiditur à Villaticis.* *Capite truncatur.*

ad intercipiendum Pictauium rem composuerat, vt Milites peregrinantium habitu in vrbem introducerentur, quo die lugubris morientis Christi peragi solet memoria, totique sunt Catholici in piæ necis illius commentatione defixi, è qua fructus est immortalitatis decerptus; sic religiosissimo illo die in extremam ciuitatis augustæ perniciem abuti decreuerat. Alium scio excogitatum ab eo dolum Græcorum exemplo, qui equinum in vterum armatum militẽ ingesserant, quem deinde Troianam in vrbem effunderent; hic enim sclopetarios & hastatos, plaustris, quæ stramina cõueherent, abdi voluerat, qui deinde in vrbem immissi è latebris confestim emergerẽt, ac ferro flammáque ciuitatẽ deuastarent. Fontenaiũ itẽ per subterraneas vias, quæ occulto meatu ad vrbanam vsque fossam pertingebant, capere moliebatur, sed insanis obstitit conatibus sparsum in plures consilium, restringendum ad paucos, vt sensim maturescens, tutiùs in apertũ erumperet. Sic illata nex vna infami proditori, cui mille nocendi artes erant, ideoque sæpius emori digno.

Hoc occiso Pictauiensibus res in vado erant. Apud Petrocorios verò & Lemouicenses turbida omnia & luctuosa, hostiliter agere nunquam intermittente Henrico Turrio Turenæ Vicecomite, cuius ductu Vesuna Petrocoriorum vrbs, Briuate & Vsarchium oppida intercepta direptaque sunt; sic itaque Regios inter & rebelles ludebatur, victoria nunc in hanc, nunc in illam partem defluente. His autem velitationibus finem aliquem impositurus Rex, vt & flagrantibus vbique bellis, in quibus certa debellatis clades erat, debellantibus verò luctuosa victoria, decima Septemb. die an. 1575. edictum condidit, quo sectarijs omnibus non Principis tantùm, sed & patris qualem se esse perciperet, gratiam & amorem pollicitus est, dum abiectis armis occupatas arces restituerent, præteritorum insuper obliuionem spopondit; quæ indulgentia adeò grata plerisque visa est, vt ad obsequium è vestigio redierint; plures in transuersum acti rebellionem acriùs instaurarunt. Religionis falsitas, si plus æquo concedi sibi sentiat, obsequium penitus excutit, & timeri se plerumque existimant, qui debitis coercendi pœnis, oblatâ Principũ gratiâ inuitantur ad frugem. Tanta hac rebellium peruicacia anxium diu Regem habuit; displicuit tamen præsertim seditio ab Alençonio in Regni perniciem & dedecus mota, questo sæpius se parum congruenter splendori suo, ab Rege aulicisque haberi; imò regiorum infra natalium dignitatem abijci, occultis sannionum iocis salibusque concerpi, nec illam sibi regio è fisco seponi pecuniarum vim, quâ ternorum regum fratris & principum multorum ac Imperatorum nepotis dignitas niti possit, inopem

Rex in sectariorum gratiam edictũ condit.

Seditio ab Alençonio mota.

inopem se esse in regia.licet & pollente familia natum, pluta famulis indulgeri quàm Dominis, Hæc aut similia dequerebatur Alençonius eorum more quibus nihil vnquam satis est,nisi rerum omnium copia adsit; & quia germanos Reges duos Franciscum 2.& Carolum 9.immaturo fato sublatos esse videbat; attollebat animos adolescenti natutâ præferuido, aut attollere saltem videbatur gradus ad obtinẽdum regni solium, qui supererat vnicus; quemque, si humanitus aliquid Henrico contingeret, certò consecturus erat. Stimulos etiam addebat oblatum sibi sæpius cum Elizabetha Angliæ Regina connubium, cui dissentire minimè videbatur vafra mulier, procorum inuitatrix quos ipsa deinde eluderet, neminem in sceptro riualem admissura. Quare salsè à Bernardino Mendosa iactatum fuerat Reginam annis singulis sponsam fuisse, nunquam verò nuptam. Inhiabat & Polonorum Sceptro Alenconius, cuius potiundi spe à Stephano Batorio Hungaro deiectus, statuit nouam sibi, sed pinguiorem longè fabricari fortunam, maximè cùm quæ in Gallia ambierat, desperatet nunc decora; summæ siquidem administrationis repulsam à Rege tulerat, hanc aut Lotharingo Duci, aut certè Nauarro demandare parato. In furorem igitur actus comminuit, quod pati non poterat iugum, in hæreticorum & Malecontentorum societatem transcriptus, sic debitam Numini pietatem haud leuiter læsit, vt fraterno se se odio exsaturaret, eorum more, qui priuatas vindicaturi iniurias, religionis iura conuellunt, quodque in hoste nequeunt, vlciscuntur in Deo.

Vnde Alençonio tam ingẽtes animi?

Stimulabat Iuuenẽ speratum cum Angla matrimonium.

Elizabetha sæpe sponsa, nunquã nupta, Alẽçonio illudit.

Qui Malecontẽtis adiungitur.

Addunt aliqui ab Alençonio conjuratum in Regem, funestumque Regi perlatum ac persuasum esse nuntium, maximè dum in periculosum morbum auris intima corrumpentem incidit, quem ex veneno sibi ab Alençonio procurato suspicabatur; iamque pœnam ei ob tentatum fratricidium destinabat, nisi Nauarri monitis, & pristinæ valetudinis accessu subitaneos compressisset iracundiæ motus; abstinuit itaque ab Alençonij cæde, sed induci numquam potuit fraternam vt illi gratiam, & amorem impertiret, quem hostile in se cum malecontentis odium alere intelligebat, tametsi Regis animum emollire conaretur Regina, & si quid in fratrem & Regem peccatum foret, abstersum id totum affirmaret Alençonij lacrymis in mitiores & verecundiores iam mores delapsi, qui cum attentiùs obseruari se ab aulicis ægrè ferret, nutusque ipsos maleuolè ad Regem deferri, captatis noctis tenebris è Margaritæ sororis, Nauarræ coniugis fenestrâ, ipsâ fratri opitulante, cannabinis nixus scalis in Luparæ fossam desilijt, ac per dispositos equos Drocum in Carnutibus ditionis suæ oppidum magna aulicorum, siue assentatorum potius prosequente

Mortem illi Rex destinat.

A Nauarro dissuadetur.

Fuga sibi cõsulit Alençonius.

turba euasit, quibus leue visum est regiam sic violare maiestatem, dum Regis fratri, & effrænatis eiusdem cupiditatibus auscultarent. Accidit id decimo sexto Decembris, ac postridie huius diei veteri tumultuantium instituto scriptum vulgauit, quo egregiam, quam in Regem semper Regnumque fouerat voluntatem, prolixè contestatus est, si verò aliquid moueri à se animaduersum fuisset, id molitum se esse, quo regnum Gallicum tot concussum motibus pristinam ad tranquillitatem splendoremque reduceret; quod frustra sperabatur, nisi amouerentur à rerum gubernaculo ij, qui per subdolam procurandæ pacis speciem, pacem ipsam prauis omnino consilijs disturbant; nihil vnquam sibi aduersus Regem ne cogitatione quidem tentatum, quem percolere nunquam desiturus sit; infestis sibi hostibus regiam scatere aulam, quorum distortis iudicijs & criminationibus patuerit læsusque sit semper; asylum quæsisse innocentiæ in amantissimi Regis ædibus; at vbi tutum nacturum se portum sperauerat, in famæ salutisque penè naufragium incurrisse; secundum à Rege alibi quidem victurum se, at non alium, quàm qui olim fuerit, hoc est à Rege, Regisque obsequio alienatá nunquam mente futurum.

Scriptũ vulgat, quo Innocentem se dicit.

Obseruantiã contestatur in Regem.

Hæc vulgata quidem apud omnes, sed non perinde ab omnibus credita. Asserebant enim plerique publicæ quietis constituendæ obtentu ex aula decessisse Alençonium; re vera vt priuatam rem ageret, sanciretque potentiam opimioribus à Rege conditionibus extorquendis firmandam. Tamen, ne armorum cum hæreticis coniunctio, quia impia videbatur, fraudi sibi apud Romanum Pontificem foret, eum datis literis monuit, ad paciscendum cum hæreticis fœdus deductum se, non quòd nouæ eorum religioni adhærendum sibi statuisset, in Maiorum Regum fide vti semper vixerat, ita & emori parato; sed vt infesta hostium multorum tela retunderet, haud obscuris atribus in salutem suam grassantium; quin ex temporario hoc cum Rege dissidio arctiorem olim cum Rege amicitiam & propinquam regni tranquillitatem augurari se dixit: Sic apud Gregorium XIII. Dei Vicarium diluebat maculam; sed non apud Deum, cuius in manu, quia cor Regum est, accurat hic impigrè depositum apud se pignus aduersus hostium vim, & compositas veteratorum fraudes euertit. Regina pacis inter filios sequestra Alençonium adit, festinatum ad reditum hortatura; cuius rei vt compos fieret, Mommorancij Marescalli deprecationes adhibuit, quem libertati vnà cum Cossæo restitutum secum duxerat: cumque de pacis conditionibus diu multumque disceptatum fuisset, dissiderentque adhuc conuocatorum animi, semestres

Pontificem docet cur cũ hæreticis pactus fuerit

tandem in inducias itum est, amplissimis tum Alençonio, tum sectæ cultoribus conditionibus datis, quas tamen quasi parum æquas Condæus reiecit, qui eiurata Romana fide resumptisque Caluini erroribus auxiliares copias è Germania Electoris Palatini ope collectas in Galliæ sinum immittere satagebat, quam vt perniciem Beza maturaret Rupellenses institit literis adurgere, vt symbolam ad id quisque suam haud cunctanter afferrent. Præmissa sub Thoreo Marescalli Danuillæ fratre Germanorum auxiliarium pars ad Theodorici Castrum à Guisio deleta funditus est, qui hoc in prælio emissa ab hostium partibus catapultaria glande nobilem in vultu plagam accepit, sic Guisianam mentis excelsitatem, mancipatumque Regi obsequium memori hac nota signauit.

Semestres induciæ.

Reyciuntur à Condæo.

Germanicæ copiæ à Guisio delentur.

Guisius sauciatur.

Porro Thoreus, quadringentos sclopetarios Gallos, equites loricatos è nobilitate Gallica centum, bina verò equitum millia è Germania pro Alençonio duxerat, qui postremi transmisso Matronâ, longiusque per Campaniæ fines prouecti necati sunt omnes, vno duntaxat excepto alario signifero. Hac quoque in pugna cæsus est Stincius Germanicarum copiarum tribunus. Claraumontius famosus ille hæreticorum Dux precariam ab hoste vitam adeptus est, Thoreus fuga salutem expediuit. Nec incruentum Catholicis prælium fuit quingentis atque eo amplius interemptis, secundus de Guisio rumor exercitus huius ductore Galliam totam peruaserat, obiecisse eum hostilibus telis vitam heroicis virtutibus inclytam idque exploratum fieex vulnere, quod læua in mala acceperat, futurum id, quoad ipse viueret, monumentum, plus cum conseruandæ Regis gloriæ studuisse, quàm priuatæ saluti. Deletis his cohortibus, aliæ à Germania in supplementum missæ Ductore Condæo nec non Casimiro Electoris Palatini filio; has vt à Galliæ finibus arceret, ingentem obtulit Rex pecuniarum vim, præualuit protestantium rabies, qua incensi fœdissima, quacumque transierunt, direptionis, populationis, impietatis, sacrilegiorumque reliquere vestigia, latrocinantibus propiores quàm militibus. Post cladem varijs locis illatam per diuersos viarum anfractus ad Alençonium tandem in Boijs commorantem appulsæ sunt copiæ, quarum imperium solenni pompa & acclamatione Alençonio delatum est. Verùm Numerus ipse, cùm deficeret annona, Germanorum robur infregit, de penuria cibi ærisque militaris inopia quiritantium, tametsi prædis agendis semper insisterent, non tam in hostium vitam quàm pecuniam grassantes cùm itaque nihil admodum præter spem aliquam exprimere posset Germanus miles, nec cassâ hac spe sustentari posset; collatis in commune capitibus

Germani à Thoreo ducti occisi.

Guisij fortitudo.

Alia ab Germania copia Casimiro Duce, & Condæo.

Cūcta populantur.

Prædantur vbique.

De pace cōsultatur.

Nauarrus malecontentis iungitur.

apud Molinas de pace ab Rege petenda cœptum est agi, in quam eò proniùs incubuit Rex, quò roboratior erat factiosorum & malecontentorum factio, cùm ad eam accessisset Henricus Nauarræ Rex, siue quod in aula infra dignitatem deprimi se suspicaretur, siue quòd Margaritæ coniugis indolem à moribus suis abhorrentem ferre non posset, siue denique quòd Alençonium & Condæum apud hæreticos & malecontentos in rerum fastigio collocatos latè imperare videret. Exeunte igitur Februario an 1567. ex aula specie venationis in Aquitaniam, cui præfectus erat, euasit; turpemque maculam religioni inflixit, dum eâ palam, & cum bonorum omnium offendiculo repudiatâ ad pristinos est Caluini errores sectæque patrocinium reuolutus.

Redit ad errores pristinos.

Tum supplex oblatus Regi libellus, quo varia & iniqua de more postulata comprehensa sunt; edictumque religioni Romanæ infestum conditum est sexaginta capitibus constans, quo permissa Caluinianæ professionis quæcumque in regni parte libertas, dum toparchæ nulli essent qui obsisterent; Synodorum item conuocandarum potestas est data, dum ijs, ad sedandum si quid turbarum instreperet, è regiis præfectis vnus interesset aliquis; Sacerdotum & Monachorum, qui ad sectæ dogmata & sacrilegas nuptias conuolarant, liberi omnes in ingenuorum iura asserti; horum qui ad supplicium rapti fuerant, in integrum restituta memoria; magistratus ex æquo inter Catholicos & Hæreticos distributi; vrbes octo variis in Prouinciis securitatis causa traditæ, Petona item Condæo, vbi tutò morari posset, concessa, Alenconio Bituriges, Turones & Andes aliaque cum non modica pecuniarum summa oblata; sic porrò terminatum est bellum Hæreticis arma vltrò abiicientibus, quod vix quidquam iam reliquum haberent vi bellica persequendum, rerum supra vota potiti. Verùm dimittendis ocyùs Germanorum copiis exhaurienda supererat Gallia, quod vt absque campestri depopulatione fieret, in graui regii ærarii penuria, ad opimos recursum Ecclesiæ Gallicanæ prouentus, quotum partem aliquam, misso ad Cardinales aliquot siue Gallos, siue in Gallia commorantes diplomate Gregorius XIII. Pontifex hunc in vsum indulsit; tanti erat effusam hanc in Gallias protestantium Germanorum turbam pro noua religione, ac multò vehementiùs pro auro ac pingui quodam pulpamento certantem è Galliæ finibus exterminare. Atque in hoc Malecontentorum Procerum culpanda meritò videbatur tum insignis in Regem rebellio, tum effera in Galliam patriam inhumanitas, quibus intestino eam bello attere re haud satis visum est, nisi euocatis externorum militum armis eandem fœdiùs proculcarent.

Priuilegia hæreticis concessa.

Colligitur ex Ecclesiæ prouentibus pecunia ad pellendos Germanos.

Hoc iam tempore à præteritis motibus respirabant Ciuitates & extrusis Germanis alijsque externis hostibus indigenas agnoscebant suos, quin & in religionum diuortio simulacrum inerat aliquod ciuilis concordiæ, cùm paucos intra dies turbante Condæo serenum illud omne diffluxit. Hic obliteratis per nouam obliuionis sanctionem, quibus Regem offenderat noxis, offensus ipse grauiter est, quòd Peronæ aditu, sibi in domicilium adscriptæ ab Iacobo Humerio prohibitus fuisset, qui Picardiæ Prouinciæ regulus, Peronæ, Montis desiderij & Roiæ præfectus, eum idcirco excluserat, quod vereretur, ne hæreticorum contagione infecta vrbs in prauas eorum artes erroresque desciseeret. Condæus id indignè ferens Broagium situm ad mare oppidum Salinis nobile, quod Mirambellus loci Dominus muris & propugnaculis munierat, sui iuris effecit, Montacutium ei præfefectum imposuit; inde Rupellam profectus, paucis comitantibus vrbem ea lege inijt, ne quid de veteribus vrbis immunitatibus imminueret, nec nouum vrbi præfectum dicere sibi arrogaret, quod ius ciuibus Regum liberalitate indultum antè fuerat. In hac hæresis & rebellionis arce cum Decurionibus contra sancitam recens Galliæ tranquillitatem consultat; fidem Regis incusat, comitia in extremam sectæ cladem Blæsis aut indicta esse, aut mox indicenda commonet; nihil denique non agit, quò Rupellenses ad hostium funditus euertendam rem & funestius ijsdem exitium accurandum inducat; bello res suas erigi ratus, quæ in pace corruerent. Ad sancti Ioannis Angeriaci fanum paulò ante diuerterat Princeps idem, illudque sectæ ministerijs addixerat, vbi & capitali supplicio mulctari aliquos iussit, qui, ne in vrbem admitteretur, obstiterant, festinata Principis his in puniendis iussa molliunt aliqui & excusant, dum eos in eiusdem vitam coniurasse affirmant. Atque hæc Condæus.

Cōdæus Perona ab Humerio excluditur.

Broagium capit.

Rupellā petit.

Fanum sancti Ioannis Angeriaci sectæ tradit.

Non minora pro secta, cui denuò se addixerat, moliebatur Nauarrus, is Catharinam sororem per Feruacium ex aula Rupellam acciuit, quam vrbem vix inire permissus est, nec nisi cum equitibus paucis, suspectus nempe Rupellensibus erat Roquelaurij occasione & Feruacij, quibus quotidianis consultoribus & administris vti solitus erat. Haud ita multò post eandem in vrbem missus est Bosserius, Barnabæ Brissonij frater, vt discordijs inter oppidanos sparsis, potiundæ vrbis occasionem captaret, verùm infecta re hoc tantùm post iteratas preces & ciuium cunctationes expressit, vt Sacrum Missæ Sacrificium in vrbe iam inde ab obsidione intermissum ingenti Catholicorum gaudio reuocaretur, vt templum expurgatis Caluinianorum sacrilegiorum sordibus Romanæ religionis cultoribus redderetur, quo

Rupellæ sacra instaurātur mysteria.

Cardinalis Borbonius pestilentiæ cathedrā in salutis cathedrā vertit.

ferè tempore Cardinalis Borbonius Rotomagensis Archiepiscopus, præeunte Crucis labaro, hæreticorum in templum ingressus pulpitum ipsum Caluiniani prædicantis conscendit, arrepto hoc ad dicendum themate *Ego sum Pastor bonus*, ad quam vocem sectarius, qui tum aderat, præco ita cohorruit, vt fugam confestim expedierit, quasi eam boni Pastoris appellationem ferre non posset, qui ex eius non esset ouili; cum eo pariter exiere Caluiniani qui ad impia sacra conuenerant; Certior factus Rex abactos Rotomago à Cardinale Borbonio fuisse perduelles non alijs quàm crucis armis instructo, subrisit illico, festiueque, abundabat enim salibus, quàm feliciter mihi, inquit, totique regno eueniret, si paribus telis infestum hunc è singulis vrbibus hugonotorum gregem excludere possem, tametsi Crucis Dominicæ ligno euerberati, aquâ etiam piaculari, velut mali Dæmones perpluendi forent. Si minùs lustricis his laticibus, salubriore certè diuini Spiritus perfusus est Alençonius vndâ, per quam contusâ mentis aduersus Dei causam obfirmatæ duritie, in verum filiorum Dei obsequium remollescere cœpit, Is dum ad Andegauensem communiendam arcem tormenta nuper Maraui capta vnà cum pecunijs mitti festinatò iuberet; coëmpta à se tormenta responderunt hæretici, ære autem emunctos se omni, occasione belli, magni rerum abliguritoris, quæ repulsa altiùs in Alençonij pectus descendit; ac exinde iustum ab hæreticorum factione recessum meditatus, peruidendos ait curiosiùs homines huiusmodi esse, priusquam cum ijs iungatur societas; è Caluinianæ sectæ membris neminem vnum virum frugi sibi conspectum, vno duntaxat excepto Lanouio, adeò corrupta erat totius corporis massa.

Crux hæreticos pellit.

Alençonius ab hæreticis recedit.

Conditiones hæreticis datæ, probrosæ Catholicis.

In hac rerum confusione gemebant boni omnes qui saluam religionem esse vellent, è qua tantum decessisse, quantum in constituendis pacis legibus datum hæreticis interpretabantur; & iniquitatem temporis obrendebat sanè Rex, quo non ea quæ ipse sensisset, sed quæ armata manu extorsissent hæretici coactus indulserat, hæc eadem cum auspicatiora forent tempora, rescissurus, Verùm qui peniriora Regis ignorabant consilia supinæ hunc damnabant inertiæ, quòd in conditiones deuenisset religioni totique regno probrosas, querebantur Hugonotos, qui continuatam diu perduellionem capite luere debuissent, non modò Regis gratiam, sed & opimam flagitiorum mercedem assequutos, sic peragi scelera cum præmio, latamque improbis sterni viam, quâ per flagitiorum immanitatem ad honorum culmen impune grassentur; in dominatu seruitutem fieri, in seruitute dominatum, dum Henricus Rex fractæ humilisque nimirùm timidi-

tatis vir, eorum voluntati obtemperet, qui iustum ei obsequium denegarint: inmanes idcirco, cerbereosque latratus edere Caluini gregales, vt medicatis se se frugibus ingurgitent, quas non ex vano ab Rege expectent, cùm expresserint sæpiùs; toleraturos sedatè Catholicos si in fortunas suas, in ipsa etiam corpora sæuire pergant hæretici, verùm id pacatè ab ijs ferri non posse, vt hæresis in Christianissimi Regis sinu tanquam tuta in statione adolescat, vt veritati præhabeantur mendacia, nouitas antiquitati, Caluinus denique Petro potior esse iudicetur. *Catholici queruntur.*

Hæc Catholicis grauiora visa sunt, quàm vt integrâ conscientiâ perpeti possent, censuerunt ergo primores aliquot abstergenda ocyùs sanctæ Matris Ecclesiæ ludibria, conflandam actutum societatem, antiquæ religionis & Gallicanæ libertatis conseruatricem, tollendas moras omnes sapientissimorum consiliorum corruptrices; victos potiùs quàm domitos præteritis bellis aduersarios, è naufragiorum suorum reliquijs collegisse, quod Catholici iure pertimuerint, fortioribus iam eos instructos esse machinis, cui vt malo prospici possit, in singulis Catholicorum vrbibus nouos armatorum delectus habendos qui studio religionis incensi coniunctis aduersus hæreticos armis fœdus sanctum instituant, in quod edito priùs Romanæ fidei pro viribus tuendæ Sacramento, alij atque alij adrogari festinent; exploratum quippe nullum religione firmius vinculum esse; qui sacro hoc nexu colligari se voluerint, ingentia præstituros operæ pretia, compluresque eorum exemplo allectos eandem iunctis armis animisque tentaturos aleam in qua vinci iuxtà ac vincere dulce decorumque futurum sit. In eam coaluere societatem innumeri flagrantibus in sectam odijs inflammati: Fœderis primordia in Picardia iacta hortatore, vt iam attigi, Humerio Peronæ præfecto. Ille enim eloquentiâ pollens, & Romanæ religionis studio incensus. *Quænam*) inquit) *ista Condæi cum asseclis suis in Vrbem vestram conspiratio? destinatam scio (Peronenses) exitialem in tecta vestra irruptionem, quæ nunquam tamen erit, si viri eritis & Maioribus vestris quoad religionem pares. Ergone compositа Regios inter & rebelles pax est, aut simulacrum pacis aliquod, vt in vrbem vestram Catholicæ fidei studiosissimam armata prorumpat Caluinianorum factio, & antiqua pietatis sedes à coniuratis Numinis ipsius hostibus occupetur. Hoc habetote Condæi in vrbem vestram ingressum, libertatis vestræ ex eadem vrbe fore regressum, quo tempore Condæani iuris eritis, vestri esse desinetis. Nonne venit in mentem quam fœdam sacris profanisque locis vastitatem perduelles intulerint? Scilicet laribus vestris parcent, qui à templis antiqua religione vallatis sacrile-*

Sacri fœderis primordia in Picardia iacta.

Humerij Oratio pro sacro hoc fœdere.

gas abstinuerunt nullibi manus? Nec perduellium tantùm Francorum formidanda vis est, scio imminere cupiditate in Picardiam totam Caluinianos pariter Anglos, qui, si compos votorum Condæus fuerit, munitissimas Galliæ totius arces innadent.

Hæc dum vehementiùs eloqueretur Humerius, in nouum hoc Picardos aliosque percutiendum fœdus facilè pertraxit, qui primum hoc sibi faciendum existimarunt, vt sumptis communibus armis Condæum ab ineunda Picardiæ præfectura prohiberent. Sequutæ sunt exemplum Ciuitates pleræque; Parisiensium præsertim in eandem societatem studia conspirarunt; nam, quia amplissima eorum ciuitas theatrum quoddam horroris, & pegma seueritatis fuerat sub Carolo IX. in Sanbartholomæana strage contra heterodoxos expromptæ, pristinis his terriculamentis & cædibus nobilissimam vrbem repurgandam esse ducebant, atque id ex facili consequuturos se iudicabant, si viribus & animis iurisiurandi nexu colligatis decretoriam hæresi pugnam indicerent. Parisiensium classico excita, sequuta mox est Pictauiensis nobilitas, ad idem accessere fœdus Turonenses Ecclesiasticis mixti, eandem aleam subituris, itaque eò cupidiùs socia huiusmodi pollicebantur arma, quo propinquiores & infestiores habebant sectarios denique quadam velut contagione longiùs serpsit & per omnes ferè regni partes propagatum est fœdus, cui, quò auidiùs arriperetur à singulis, speciosum sanctæ & sacræ societatis factum est nomen.

Propagatur per regni partes societas sancta.

Sed quia certâ quadam formulâ initiandi videbantur, qui fœderatos inter allegi vellent, hæc minimè prætermitti debuit. præmissum igitur est Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis augustissimum nomen, sub cuius ope à à Principibus, Primoribusque Catholicis inibatur hoc fœdus, collapsam diuturnis tumultibus Dei legem, debitumque eidem Numini cultum pristinum in decus restituere se velle contestabantur abiuratis erroribus omnibus, qui cum Romana religione pugnarent, & quia Regum persona sacra cunctis gentibus fuit, Gallis præsertim studiosissimis Regum suorum cultoribus, pollicebantur fœderati se pro virili salutem & incolumitatem Henrici III. Regis, successorumque Regum defensuros, connixurosque ne quid de eius in subditos suos autoritate deperiret; item in hoc maximè nauaturos operam sanctè iurabant, vt illibata singularum regni prouinciarum iura veteresque datæ prærogatiuæ conseruarentur, cuiusmodi fuerant sub ipsa Clodouæi regis tempora; quin & curaturos se, vt meliores aliquanto essent. Quòd si Gallicæ trãquillitatis hostes horum aliquid labefactare tentarent; spondebant vires, & facultates se suas, quin

Formula aggressionis in sacrum fœdus.

& vitam

& vitam ipsam ad arcendam inimicam vim intrepidè fortiterque profusuros. Conuenit denique inter fœderatos, vt delecto ab se duci prompta omnes officia & obsequia exhiberent; vt graui mulctarentur pœnâ fœderis desertores, ac ne qui huiusmodi forent, cunctos iurisiurandi religione obligari voluerunt, etiam contacto sacrorum Euangeliorum codice, dirasque Ecclesiasticas capitibus suis imprecari; si deficerent.

Haud satis omnibus probata est inita Catholicos inter Primores societas, Nam quamuis sanctitatis ei nomen tribuerent, qui in eam adrogati tum erant; tamen quia innominatum & ignorabilem sibi præfecerant ducem, eam ipsam culpæ affinem esse dicebant. Et certè tametsi à præconibus sacris peracri oratione commendaretur omnibus, tanquam saluberrimus Romanæ fidei partus, multique etiam ex ordine sacro fœdus hoc decori sibi verterent, deesse tamen putabant aliqui, quod de obtenta eius sanctitate multum detraheret; consensum scilicet Principis, quo inscio, inconsultoque conflatum hoc coaluit fœdus, in quo sincera licet religionis; & regiæ dignitatis tutandæ studia flagrarent, noxia tamen futura videbantur, quippe nullo Regis temperata præcepto, quod exquirendum antea fuerat: & id tanquam probrum aliquod Romanæ religionis professoribus obiectabant hæretici, cœtus huiusmodi ciere aggressis absque Regis permissu, verùm hanc lubentiùs ab alijs, quàm à fidei desertoribus exprobrationem audirem, qui diurnos nocturnosque conuentus celebrarant non inscio modò Rege, sed conuenticula huiusmodi fieri sub graui denuntiatione prohibente, addo & cœtus huiusmodi cum extraneis Gallici nominis hostibus institutos. At quis tandem fœderis promotor? Henricum Guisium ducem affirmant aliqui, sacro illo erga Catholicam fidem ardore correptum, quo inæstuarant aliquando Claudius & Franciscus Guisij Duces. Addunt nonnulli non religionis minùs quàm Guisiorum inimici, ex hoc fœderatorum ducatu assurecturum se sperasse Guisium ad supremum regni fastigium; sed vastior ea spes erat, quàm quæ à moderato satis viro, seque intra virtutis terminos cohibere capi poterat, nam qui grassatus aut grassari potuisset in hunc dignitatum apicem à iuuene adhuc Rege occupatum, & Aleçonio debitum, si absque prole decessisset Henricus, Aderant præterea Nauarrus & Condæus Regum successores legitimi, tametsi ab Regis aulâ & religione remoti. Non diffitentur aliqui ad summum regiorum exercituum imperium aspirasse Guisium, ne minor Patre videretur, qui amplissimum hoc munus summa cum laude gesserat, errant itaque qui nimium ei ambitum affinxerunt.

A concionatoribus commendatur sanctum fœdus.

Inscio rege coaluit.

Fabulæ de Guisiano ambitu confutatæ.

De Gregorio XIII. Pontifice maximo meræ iactantur fabulæ ab hugonotis sparsæ hunc scilicet fœdus illud ratum habuisse, Romanã-que cum eo curiam, vbi cum in peruidẽdã & introspiciendã re qualibet diuturnæ nectãtur moræ, ne quid præcipitantiùs effluat, aut non satis Apostolico prudentiæ sale conditum, credi vix potest eam fuisse Pontificis mentem, cuius arctior in Regem erat amicitia, quàm vt eo inscio magnum aliquid eius in regno tentaret. Commentitium & hoc esse putamus, quod de Dauide quodam Parisiensi Causidico referunt, Romam hunc à Guisijs missum, vt de recenti hoc fœdere cum eodem Christi vicario colloqueretur; Regesque à Capeto oriundos parum fidei Catholicæ & Romanæ sedis studiosos fuisse ostenderet; superesse autem viros è Caroli magni gente sedi Apostolicæ addictissimos &c. quod cum à singulari Guisiorum erga Deum pietate, & obseruantia in Reges non parum abhorreat, missum faciemus Dauidem istum, quem prostituti pudoris ac fidei hominem Thuanus appellat. Romano ergo Pontifici improbata fuit hæc Catholicorum inter se coniunctio, Philippo Hispaniarum Regi non item; imò quàm iucundissimè accepta, cuius se patronum adoptari, honestum sibi vtileque fore sperabat; siue quòd dum bellum inflãmatius in Gallia exardesceret, tutius à Gallorum incursibus Belgium suum fore censeret, siue quòd Galliam suapte in intestina bella mole proruentem citiùs quàm externorum hostium impulsu atterendam esse putaret, siue quòd, vt Catholici nomen & majestatem impleret, quidquid sacro huic nomini infestum esse iudicaretur, exscindi penitus vellet, ac præsertim hæresim per Gallias, per Germaniam & Angliam latissimè proserpentem, quam in Belgio considentem pati minimè poterat, cum ei solertiùs indagandæ quæsitores sacros, mulctandæ verò Præfectos, & incorruptos plerisque in locis iudices apposuisset.

Falsò asseritur probari Rom. Pontifici fœdus

Placet Regi Catholico.

Ardens eius studium pro Rom. religione.

Interea Henricus Rex prudens explorati sibi fœderis dissimulator, nauim Gallicam, quasi nihil remoræ superuenisset, placidè semper adurgebat; quin & quanquam haud nescius esset regiam violari majestatem, dum hæc clam se in Gallia attentarentur, non vsquequaque tamen improbabat hoc fœdus; sic enim differebat, medium se inter vtramque factionem dum altera ab altera impeteretur, peropportunè venturum; quin & continuatis vtriusque partis altercationibus, vtriusque sensim vires exhaustum iri sperabat, & cum viribus animos. Addunt aliqui hanc Catholicorum conspirationem Regi haud incommodam in hoc aduenisse, quod eius occasione, pacis cum hæreticis pactæ conditiones abrumpendæ viderentur, quæ quia

Hērico Regi non improbatur hoc fœdus.

non satis æquæ putabantur, iacta fœderis illius semina fuerant, hoc est (vt aiunt aliqui) ciuilis belli non nisi copioso partis vtriusque sanguine restinguendi, quod dum certò præsagiret Rex, nitebatur interdum quidquid coalitum erat fœderis addita etiam minarum seueritate peruertere, sed robustior tum erat animorū animorumque coniunctio, quàm vt facilè & absque multorum cæde labefactari posset, quare vt turbulentis his in motibus integra staret semper Regis autoritas, id ei à Ioanne Moruillerio Aurelianensi Episcopo consilium est datum, vt consentire se non tantùm in hanc fœderatorum armorum societatem ostenderet, sed eiusdem se ducem ac principem profiteretur, quò omnem sibi, vti æquum erat, autoritatem vendicans, cæteros, si qui id forte ambirent, intra obsequij limites cohiberet.

Moruillerius autor est Regi, vt fœderis se principē dicat.

Hæc quanquam Nauarrus in se ac sectarios reliquos comparata videret, non opponebat tamen immanitatem naturæ, quippe benignissimis moribus præditus, nec quamuis Romanâ, vt iam diximus, religione depositâ, pristinam eius venerationem exuerat, cùm in nonnullis ditionis suæ oppidis sacra mysteria peragi, reliquosque religionis cultus induci permitteret, atque è pronâ hac in Catholicos indulgentiâ, insinuare se passim omnium in animos satagebat, qui, si minùs eum his sentire videretur, eos fidei suæ contraria tueri non prohiberet; & quia plena est illecebris Principum virorum vrbanitas, ad se pertrahebat non paucos, quorum vestigijs vt insisterent, induci nunquam potuere Burdigalenses, toties à Nauarro in amicitiam expetiti, toties ne id facerent, conscientiâ suggerente prohibiti. Verùm à Rupellanis in vrbem admissus, adeò familiariter vsus est omnibus, vt distracto à sectariorum partibus Alençonio, continuò eorum in ducem & Imperatorem lectus sit, vicariâ muneris eiusdem exercendi potestate Condæo delatâ, quam ille concessi sibi honoris prærogatiuam, quà gratiarum actionibus peragendis, quà omnibus humanitatis officijs in sectam exhibendis emereri semper institit, atque vt amiciores sibi Rupellenses præstaret, priuatum consilium è prudentibus quidem viris, sed non nisi sectæ studiosis instituit, Feruacum verò, quia suspectus his hactenus fuerat, ex aula submouit.

Fœdus contra se illum putat Nauarrus.

Catholicis quædam indulget.

Burdigalensium amicitiam ambit, sed frustra.

In ducem à Rupellensibus eligitur.

Interim quo sperata Galliæ sanciretur tranquillitas, inchoata sunt Blæsis anno desinente comitia. Ordini sacro Sancti Saluatoris assignata est ædes, consulare Nobilitati palatium, plebeis publica adscripta est domus; atque (quod benè verteret) à Deo rerum sapienter agendarum Præside fidoque monitore capta sunt rite primordia, instituta quippe supplicatio fuit, in qua cum aulicis & euocatorum Procerum agmine processit Rex tanto ardentioribus studijs oculos

Blæsensia comitia.

Rex supplicationi interfuit.

mentemque in cœlum attollens, quantò promptius adfuturum sibi sperabat Cælitum imploratorum auxilium. Septima Decembris die in solio cum maiestate consedit, cui ad dexteram læuamque assedere tum sacri Proceres, tum qui aderant è Nobilitate primores; plebeis denique suus assignatus est locus. Hoc in cœtu Rex meditatam iam diu orationem, ideòque perelegantem habuit, Cæsarem non Maiestate magis æmulatus, quàm eloquentiâ. Et sanè Regum omnium interesse dixerim inermis Palladis studium & amorem non aspernari omnino, vt huius auxilio communiti imperium sibi animorum facilè vendicent, qui in vna sæpius subditorum corpora dominantur. Sic igitur orsus est dicere, vt Galliam suam tot concussam motibus, tot factionibus laceratam, non florens iam regnum, sed informe regni cadauer ostenderet, emarcuisse pristinum liliorum cælitus emissorum candorem, extinctam veterem Gallorum in Reges obseruantiam, deformari majestatem ciuilibus bellis, quæ longo temporum tractu latè dominata, ac oppressa sæpius, recruduerant; abrogari leges, proculcari magistratuum autoritatem, collabi mores, iura exscindi, cuncta denique sacra profanaque labefactari; haud ignarum se esse superiores clades illas, quibus integræ direptæ sunt vrbes, euastatæque prouinciæ Principis aut inscitiæ aut ignauiæ à plerisque rerum imperitis ascribi, qui imminentes regno suo tempestates non multò antè præuideat, aut præuisas auertere nequeat; verùm præsto esse conscientiam ab hac calumniæ fœditate securam; non diffiteri quidem in ea se ætatis imbecillitate fuisse quæ vix sola absque opitulantium manu intestinis motibus comprimendis par esse potuerit; at in Catharinā matrem totam fere imperij Gallici molem ac potestatē fuisse translatam, hanc virili animo præditam Heroinam prudentissimè naui sibi commissæ moderatam fœdissimas ab ea procellas depulisse; sedulis eius curis & vigilijs ascribendam esse Galliæ, Francorumque omnium salutem, quæ funditus interitura videbatur absque forti hac fœmina, cuius vnius beneficio debere se dixit, quod dotale Galliæ regnum auspicatus sit; quippe ab ea sibi contra insanas oppugnantium vires assertum. Quod si residuum sit hydræ caput aliquod, quòd Reginæ clauam eluserit, in noxarum pœnam Principi populoque adhærentium sæuire adhuc hoc monstrum. Addebat se prouidæ Matris vestigijs inhærentem non inutilem prorsus operam ad optimum Galliæ regimen contulisse; sub Carolo IX. fratre conspectum se in armis contra rebelles fortunato semper euentu, tametsi eorum pertinacia nonnihil gloriæ suæ obstreperet; dein experimento didicisse hostilis sanguinis profusione adultam quidem elanguescere

Regis eloquentia.

Eiusdē oratio in comitijs habita.

morbi vim, non omninò tamen extingui; idcirco è Poloniâ reducem se nihil antiquius pace habuisse, itáque sceptrum Gallicum attrectasse, regiumque diadema induisse, vt hæc signa majestatis, non arma seueritatis existimarit; igitur ad altissimam per regnum vniuersum pacem fundandam coacta Blæsis comitia, sine qua, conuocatorum placita, sanctionesque frustra sint; orari itaque omnes, vt pro ea qua patriam charitate complectuntur, priuato omni affectu exuto, ac consopito præteritarum offensarum sensu, in vnum id simul incumbant, quod erigendo è tanta inclinatione regno peropportunum sit, quod reliquas ciuilium bellorum radices euellat, accensas inter aduersarios odiorum flammas restinguat, lapsos mores corrigat; & quod præ reliquis Ecclesiæ Primogenito in votis fuit, cordique futurum est semper, obtestatur omnes per ea quæ sibi gratissima putant, vt eas induant cogitationes, quibus religionis integritati, Cleri securitati, Nobilitatis quieti, plebeiorum saluti prospici possit, pollicitus daturum se operam, vt quidquid illi in commune bonum sanxerint, optatos ad exitus perducatur.

Hæc cùm disertè iuxtà ac dolenter proloquutus fuisset Rex, initium dicendi fecit Biragus Cancellarius, & in Regis orationem, mentemque de more conspirans, pacis commoda è pristinis bellorum cladibus commonstrauit, quanta tum in Clero rerum confusio, quanta plebeiorum oppressio, quantus legum, virtutumque contemptus fuerit, plerosque qui in comitijs aderant & vidisse, & expertos esse ostendit; Tum de Rege pauca præfatus, quanta capitis cum membris, hoc est Regis cum subditis coniunctio ad nouam Regno inducendam formam necessaria foret, aperuit; ad extremum conclusit Regi opus esse magna pecuniarum vi, tum ad impositam sibi regni molem sustinendam, tum ad regiæ majestatis retinendum decus, Medicæam maximis laudibus exornauit, quæ tam sapientibus consilijs Galliam inter turbidas popularium discordiarum procellas & tempestates rexisset; tum Ordines ad sententias liberè dicendas hortari institit, cùm promendi quidquid è re fore sentirent, libera cunctis Rex fecisset arbitria. Post collaudata Regis consilia, eidemque grates à singulis Ordinibus actas, dimissus est cœtus. *Biragi oratio.*

Cum interiecti fuissent dies aliquot, conuenere Proceres, ac pro sacro Cleri statu perorauit Petrus Spinacius Archiepiscopus Lugdunensis, Claudius Bellofromontius Senescceus Baro pro Nobilium gradu, Petrus Versorius pro plebis ordine dixit. Spinacius Regis genibus aduolutus & post inchoatam orationem stare iussus, hunc in modum disseruit, vt ostenderet non vsque adeò depositum esse regni *Spinacij Oratio pro Ecclesiast. statu.*

statum, cui Potentissimus Rex subuenire percuperet aduocatâ eorum operâ, qui periculosa eius vulnera hoc dolentiùs ferrent, quò acriores hæc eadem mentibus suis doloris morsus infigerent; citò arescere lacrymas in alienis malis, perennare in proprijs; & in singulis quidem Ordinibus esse quod lacrymis prosequi, quodque emendari oporteat; à Clero tamen vberiorem lacrymarum fontem suppeditari, quòd longè grauiora censeantur hæc mala, quæ in exitium religionis conspirant, cuius arctissimo nexu colligatos omnes esse oporteat, vt certa constitui pax possit, quæ absque fidei integritate vacillat; hanc porrò religionem non prouinciarum modò, sed & regnorum conseruatricem esse, nec variarum opinionum conflictu oppugnari posse absque litigantium damno; transire quippe has animorum de rebus fidei rixas in corporum pugnas, & quod in vmbra intra disceptantium verba citra sanguinem steterit, in acie postmodum stricto nonnisi gladio definiri, collegisse Galliam vberem multorũ decorum messem, in certam iam locupletiorum efflorescere spem, dum legis vnius & religionis cultrix & tenax sit, at cùm per aduentitios errores magnâ sui parte corrupta fuerit, mirandum minimè esse, si non intestinis tantùm sed externis etiam in eius sinum transportatis bellis deflagrarit. Galliæ Reges eos esse dixit, qui aduersus exteras gentes aut expeditionem susceperint ipsi, aut auspicia sua eò miserint, quibus implicatos dissonis Numinis cultibus populos ad Orthodoxorum vnitatem aggregarent, quantò constantiùs acriùsque ijs per id temporis dimicandum pro domesticorum fidei salute commentitijs Caluini dogmatis adulteratæ; in Gallia nunc esse quod Ludouici Noni arma, si mortales inter ageret, fatigare haud dubiè posset; contumaciores enim in florentissimo regno religionis hostes nunc esse, quàm in transmarinis nationibus, quò sua Regem Sanctum pietas cum Gallicis viribus maturare coëgit; Et quia morum non satis castigatorum obtentu, quos in Clerum irrepsisse iactant hæretici, Caluinianos errores hauserunt, amoliendam procul hanc ab altaribus corruptelam significauit, admittendumque Galliâ totâ Tridentinum Concilium; addidit & de factionibus fœderibusque prohibendis non pauca, quæ inscio Rege ferre nemo sanus fas esse duxerit.

Senescei Oratio pro Nobilitate. Simul atque Spinæus finem dicendi fecit, Senesceus, à cultu cùm Principibus cunctis, tum præsertim Henrico Regi à Gallis omnibus impendendo orsus est dicere, qui quidem Rex cùm in regendis quoad politicum statum populis transmissam sibi à Deo potestatem habeat, par quoque esse ostendit, eius vt diuinas æmuletur virtutes, quo promptiora subditorum suorum obsequia, & cura

obſequijs mentes aucupati poſſit, qui Deo parere ſe exiſtimant, cùm expreſſæ in Principibus eius imagini obſequuntur, contrà verò corũ ſæpe iuſſa detrectant, aut cunctantiùs ea exequuntur, qui cœleſtibus his dotibus carent, quæ quidem conceſſa diuinitus dona in Rege reperiri aſſeruit; & pio erga cœlites & maiorum ſuorum virtutes prætereuecto, quamobrem ſi Regem non tam opes quàm probati mores efficiunt, regem cum futurum fuiſſe non ſpectatâ etiam Regij ſanguinis prærogatiuâ, ideoque tantò iam acceptiorem eum populis eſſe debere quantò auguſtior eſt virtus cum ampliſſima Regum dignitate conſpirans. Exploratam omnibus eius eſſe fortitudinem addidit, cuius tam illuſtria penè puer documenta reliquerit, dum infeſtos auitæ religionis hoſtes tam acriter frangeret, eorundem audaciam cum intolerabili perfidia coniunctam edomaret; à Iuuene iam & fortiori & Rege expectanda longe maiora operæ pretia; in eum tanquam ſupremum Gallicæ nauis gubernatorem coniectos omnium eſſe oculos, ſperareque, fore vt eo duce cunctas bellicorum motuum procellas, noxioſque Religioni flatus depellant; & id aſſequuturos ſe, ſi tandem conſopitis partium odiis in Apoſtolicæ fidei vnitatem ſublato peregrinæ religionis cultu omnes coaluerint. poſtremùm id adiunxit Nobilitatis decus hoc eſſe præcipuum, vt primo Francorum Regi regni coronam impoſuerit; Nobilium itaque munus id eſſe, vt ijſdem tutandis conſeruandiſque regiæ poteſtatis inſignibus non opes tantùm ſuas, ſed & vitam ipſam profundere velint.

Petrus Verſorius celeberrimus cauſarum in Pariſienſi foro patronus, omnes quidem regiæ ditioni obnoxios ad Romanam religionem reuocandos eſſe oſtendit, ſed expeditam deuijs hominibus & citra belli damna ſternendam eſſe viam, prudentiæ munus id eſſe præcipuum rationum momentis citiùs depugnare, quam armis. In vniuerſum decretum eſt duas in regno Gallico religiones abſque imminenti reipub. exitio tolerari non poſſe, quamobrem ſi quæ à Romana diſſentiret, ſiue cunctatione pellendam, idque ipſum omnes rogatum regem eſſe voluerunt; ſalua quippe omnia fore, ſi ſalua eſſet religio; precati ſunt inſuper vt ærarium, quod ſanctum ſacrumque eſſe debet, à piceatis latrocinantium manibus tutum cuſtodiret, ius æquabile inter ſubditos ſibi populos diceret; alia denique ad politicum ſtatum pertinentia Regi propoſita ſunt, cui præ reliquis omnibus grata fuit animorum circa vnam eandemque fouẽdam religionem conſenſio. Decretum itaque ſuper ea re conditum eſt, & ad Nauarrum, Condæum, & Danvillam qui per Legatos tantùm comitijs intererant, miſſum. Condæus delegatos ad ſe proceres coràm

Verſorij Oratio pro Ordine plebeio.

Decreta religionis vnitas.

Decretũ ad Condæũ perlatum.

adesse prohibuit, Blæsensia comitia vitio conflata expostulans, increpitisque vehementi oratione turbarum autoribus, angi se animo dixit belli damna reputantem, quo tota conflagratura sit Gallia, si pacificationis infringatur edictum, consultius itaque fore, si compendiosior vis mali existeret, & inter vtriusque partis duces, vno duntaxat Rege excempto, ferro decernendi copia fieret. Nauarrus mitioribus longè moribus præditus, ideoque dignis imperio missos ad se legatos accepit perhumaniter attentéque audijt dum quæ sibi commissa erant referrent, sed non absque magnâ lacrymarum vi, gemituque mœroris indice, quo propter imminentes regno clades confici se dixit; addiditque obstrictum adeò Regi se esse, vt malit perlonginqua terrarum sola vagari, vitamque mille obiectare periculis, quàm in eum armis insurgere, tametsi à sectanda hac religione prohiberetur, quam primam cum altricis lacte combiberat, quæ si erronea sit, optare hanc cælitus sibi lucem infundi, qua exitialem sibi fallaciam deprehendat, despuatque. Hæc in codicillos relata sunt, & perlata ad Regem, Caluiniani tamen præcones postremum hoc de religione caput expunxerunt, in quo nutare conspiciebatur Nauarri fides, quod tamen ille actutum reponi iussit in certum ipsius ad Romanam fidem redituri præsagium. Danvilla diuina & humana contestatus est gratius nihil sibi esse, quàm vt Romana fides in prouincia curæ suæ tradita reflorceret, cui tam constanter Mommorancij Maiores sui inhæserint, verùm cùm attentiùs quæ mala Galliam oppressura mox essent, perpenderet, si violari sineretur pacificationis edictum; non posse se non commoueri animo, orare proinde comitiorum Proceres ne id rescindi permittant. Cæterùm ad legatorum codicillos certi nihil à se responderi dixit, donec Nauarræ Regem & Condæum Principem super ea re consuluisset.

Comitia damnat, Rem ferro agendā censet.

Nauarrus legatos humaniter excepit.

Luget Galliæ statum, spem facit religionis mutandæ.

Ministrorū perfidia.

Danvillæ responsū ad legatos.

Paria ferè in Procerum cœtu Rupellæ instituto sectarij adurgebant, Mirembellus præsertim Baro à sectaris Pictauiensibus, & Santonibus missus, affirmabantque Religionis discordias Concilii, non Politicorum decretis, aut placitis diiudicandas; solenni Regis edicto Caluinianam professionem esse concessam; ab hac resiliri non posse sententiâ, quin omnis planè disturbetur concordia, nec à Blæsensibus comitiis secus aliquid statui posse, quin testata toties Principis labefactetur voluntas. Rem eandem vrgebat Ioannes Casimirus Dux Hugonotorum rogatu inductus; Sed eius, vt & rebellium omnium reiectæ sunt preces; cùm temporarium edictum hoc fuerit, vt obiiciebant Catholici, & proximis dissoluendum comitiis; nam ratum illud esse absque vlla temporis meta, nec voluisse, imò nec potuisse Regem

Petunt heretici edictorum prorogationem.

Reijciuntur.

gem, saluo, quod in sacris Remensibus obstrinxerat se sacramento; quare nullam sectæ iniuriam fieri si euoluto edicti tempore rescindatur edictum, per vim & metum extortum. Nec dissentiebat Rex ipse ab hac fœderatorum sententia, maximè cum comparatam ab his aduersus hæreticos vim instructasque copias accepisset; quam in societatem adlegi voluit, ne à fœderatis diuulsus consentire putaretur cum hæreticis; fœderis ergo ducem se tulit, palam se contestatus decretum omnino sibi esse hæreticorum factionem exscindere; hæresim malorum omnium, quæ Galliam diuexarant, originem è Gallia exturbare; præsertim cum tetra hæc pestis, coniunctorum sibi sanguine & religione Principum animos à se distraxisset, à quibus obsequentiora per legatos ad eos missos opperiebatur responsa. *Rex sacri fœderis Dux*

In comitiis itaque coram Lotharingis Principibus fœderis capita recitari & rata haberi iussit; Et quia diuturna & periculosa suscipienda erant contra hæreticos bella, ingentem pecuniæ vim quæ bellorum est neruus per Alençonium fratrem & Niuernensem Ducem à comitiis postulari iussit At Bodinus veritus ne imperato hoc æris subsidio ordo grauaretur, cæteris qui ex parte dilapsi iam erant, futuris eximiis, gratam quidem populo Gallorum omnium in Romana dogmata consensionem fore ostendit; sed non satis intelligere se adiunxit, quorsum tam grandibus tributis premi plebs debeat, quò prauæ nonnullorum cupiditati fiat satis, quasi verò exprimendus sit si quis super est in populo sanguis, quo importunæ distendi possint regni hirudines. Bondino vniuersus assensus est Clerus, ne in impensarum ipse partem veniret, subsidiario iamdiu ære fatigatus, quare cum extinctam omnes vellent hæresim, & hæc tamen aureo, quod aiebant, ramo flagellari necarique deberet, clanguescere paulatim cœpere quæ inflammata nuper videbantur mouendi contra hæreticos belli studia, adeò verum est curandi morbi remedia morbo interdum ipso difficiliora censeri. *Pecunia Regi à plebe negatur.*

Rex nihil ob hanc repulsam commotus Mompenserium expectandum esse duxit, mox à Nauarro adfuturum, qui post dies aliquot in comitiorum aulam iussu Regis inductus, retulit acceptissimam Nauarro pacem futuram conditionibus pactis, quæ rationi consonæ forent, eundemque contestatum esse dixit, haud iniqua postulaturum se, cùm tot nominibus Regi obstrictus semper fuerit; censere autem neutiquam abrogandum esse pacis edictum, demi tamen posse vnum aut alterum quod superuacaneum sit, commodam quippe quoad fieri potest sternendam esse paci viam, quam omnes etiam pacis hostes insistant Hæc cùm ad comitiorum proceres perlata fuissent,

Disceptatur an Bello præferenda pax sit, an secus.

disceptatum inter eos est bellone pax præponenda videretur, an secus? Vicit quæ pacem optabat sententia; sed dum in secretiori consilio tes eadem agitaretur, subotta confestim est variantium opinionum multitudo, Cardinalis Guisius, Dux item Guisius, Meduanus, Niuernensis insuper Dux operosiùs longè censuerunt, pacem constituere sine hæreseos clade, hanc autem expugnari minimè posse absque armorum præsidio, cùm in armis iam essent hæretici, & acriùs restaurata esset perduellio, quare postremum hoc de ineunda pace decretum clandestinis & emendicatis suffragijs editum esse astruebant, cùm paulò antè de inferendo sectariis bello statutum ab iisdem non imprudenter fuisset; non igitur posterioribus consilijs priores posthabendas esse sententias.

Sed dissentiebant Medicæa Regis Mater, Monpenserius Dux, Marescallus Cosseus, Bitonus, Biragus Cancellarius, Moruillerius, Chiuernius, Bellieurus, Villequerus & alij, quorum omnium mens erat lentiora, quanquam hæc inertia plerumque sint, adhibenda esse remedia; parcendum esse sectariorum sanguini, si mitiore quadam via ad veterem fidei professionem adigi possent; fuso toties sanguine debilitari paulatim Galliæ vires, cui consultius sit quod in membris corruptum est persanare potiùs, quàm rescindere. His diu multumque agitatis ancipites hærebant animi, vtram in partem inclinarent haud satis gnari, dum aliud Nauarri expectaretur responsum, cuius ad Romanam fidem regressum auebat maximè Rex; hoc enim cardine Gallicæ quietis nitebatur spes omnis, quæ fundata neutiquam esse poterat, quandiu nutaret in Nauarro religio. Actum præterea de admittendo in Galliam Tridentino Concilio; sed contra Præsules qui id maximè vrgebant, reclamatum à Nobilium & Plebeiorum Ordinibus; repugnarunt & Ecclesiastici proceres aliquot, causati salua velle se Ecclesiæ Gallicanæ priuilegia, & immunitates intactas. Igitur certi nihil in comitiis circa pacem decretum est, atque ita nullo aut perleui Gallicarum rerum emolumento discessum. At magna Guisiorum potentiâ offensus Rex quæ tradito ipsis fœderatorum ducatu, immensum, vt rebatur, excreuerat, eam angustioribus terminis coarctare constituit; quod vt sine cunctatione fieret, proceres aliquot illis addictos aulâ pariter & gratiâ expulit. Hi fuere Lemouicensis Præsul & Moruillerius ob nauatam impensiùs Lotharingis hoc in fœdere operam, Regi diu suspecti; ita enim verò spargi non potest in plures Regis autoritas, displicetque tenuis eius vel leuiter ambitæ suspicio à qua tamen macula Guisios intactos fuisse testantur scriptores non pauci. Episcopus ab aula remotus nihil admodum

Pax potior habenda.

Variæ sententiæ pro admittendo Trid. Concil.

Guisiorum potentia Regi molesta.

Exclusi ex aula propter Guisios Lemouic. Præsul & Moruillerius.

varietatem incusauit fortunæ, expetitum toties in ædibus suis nactus otium sacræ præfecturæ congruentius, in quo mirabili mentis tranquillitate consenuit. Moruillerius paucos post dies morbo & mœrore contabuit.

Interea pacem à multis expetitam, & à Rege promissam morabatur nondum perlatus Nauarri consensus, in quam (vt supra retuli) pronus esse videbatur, vt non minùs amandum se in toga præberet, quàm formidandum in sago. At Condæus flagrantioris naturæ iuuenis pacem omnino respuebat, cùm eam sine pactis ante conditionibus stare non posse existimaret. Indignatus Rex oblatam toties à se, totiesque repulsam ab hostibus pacem, eos bello adoriri decreuit, vt pertinaciam vi frangeret, quæ obuià Principis gratià flecti non poterat. Sectarij ne quid virium integrandæ perduellioni deesset, Casimirum Palatinum rursum in regni cladem aduocant, dein cum Sueciæ, Daniæ & Angliæ Principibus, Protestantibus Germanis, & Heluetijs sacramentariis fœdus percutiunt, quæ res non paucos è malecontentis Catholicis, qui Nauarro & Condæo adhærebant ab hæreticorum partibus abduxit, turpi hoc fœdere illigari se detrectantes, quod in Romanæ religionis exitium ictum esse constaret. Ex hoc Francorum hæreticorum cum extraneis fœdere, scelere potiùs, amplissimum hunc fructum Occitania cepit, vt Danvillam amplexata sit reducem Deo, Regi, sibique restitutum; quanquam alia atque alia erant quæ eum ab infaustâ rebellium societate reuocarent, insolens imprimis sectæ genius tumultuum Gallicorum concitatricis, tum iugis Renatæ Coseæ lectissimæ Coniugis hortatus, quæ Clotildis altera Marito, aut Ingundis extitit: vtinam Clodoueum semper & Hermenegildum assequi Danvilla studuisset, quod saltem ex parte fecit religionis dein & pietatis cultor eximius, id autem vel ex hoc vno conijci potest, quòd augustissimam Dei Genitricem Mariam & Matrem quoque suam eximia religione percoleret, cui quotidianum Mystici Rosarii pensum rite persoluebat, non antè decubiturus, quin prius Marianam hanc coronam crebris salutationibus quasi totidem floribus pertexuisset; sed, vt alias dixi, iniuriam, quam factam sibi querebatur, aut sedatiùs cum ferre addecebat; aut si vlcisci optauit, per aliam Deo illatam iniuriam vindicare non debuit; atque vtinam rudi Capuccinorum sacco tectum hoc peccatum fuerit, quo integumento & se, & decora omnia sua, seu Mommorancianæ innata familiæ, seu propriâ comparata virtute post obitam pie mortem conuelari postremis testamenti tabulis imperauit.

Pacem recusant hæretici.

Externas vires aduocant.

Danvilla ad Regias redit hortatu Coniugis.

Erga Deiparam pius.

Circa id tempus strepebant vbique sumpta ab hæreticis arma, con-

Alenconius Regij exercitus ductor. tra quæ binos Rex conscripsit exercitus, quorum alterum Alençonio fratri Andium Duci aduersus Biturigas & Aruernos ducendum dedit; alterum Carolo Meduano Duci Guisij fratri in Pictones transportandum commisit; vtrique strenuè pro Numinis & Regis causa laboranti fortunatus exitus fuit, ac primò mutatos tam felicibus auspicijs clypeos demirati sunt Catholici, nam qui superiore duntaxat anno sectæ inhærens Alençonius Hercules Galliæ, Patriæ parens, sectæque restaurator compellabatur ab Hæreticis, in eosdem versis commodùm armis ingentes copias struxit melioris longè causæ propugnator, cuius haud ita pridem oppugnator extiterat, cum eo profecti sunt Guisius, Niuernius, & Aumalius Duces, quorum viribus fretus Alençonius conquassatum quinis in partibus Charitæum Biturigum oppidum, ad deditionem tandem coëgit, in quod per patentes longo hiatu muros triumphantis in speciem eques intromissus est, indeque digressus Blæsas ad Regem adijt, à quo mouere Issoriacum versus iussus est à Merula laneo carminatore Vcetensi, infami latrone occupatum; tanta vel in pectine confidentia aut audacia fuit!

Charitæum capit.

Merula Issoriacū occupat.

Issoriacum apud Aruernos haud exigui nominis vrbs est loco irriguo & peramœno sita, locis tribus à Guisio, Duce Mercurij Aloisiæ Reginæ fratre & Ludouico Gonzaga Niuernensi pluribus machinis oppugnata fuit, Prima regiorū irruptio valide quidem ab obsessis repulsa, at centum tum oppidanorū, tum præsidiariorū clade peruicacia stetit; hac in dimicatione regiorum è parte cæsi Claromontius, Mothanus, & Momorinus ex illustri prosapia oriundi; qua suorum strage offensus Alençonius acriùs obsidionem vrgere institit; obsessi, cùm nulla spes reliqua foret supplendi per Merulam, quod pollicitus erat, auxilij; certas paciscendi leges offerunt, quibus ab Alençonio rejectis se suaque omnia victoris potestati permittunt; hic ne victoriam tam feliciter partam nimia seueritate corrumperet, quidquid in vrbe imbelle censeri potuit, tutum in ædem sacram receptum habere iussit, ne scilicet ferro violaretur, quod tractando nunquam ferro insueuerat; tum militibus diripiendam tradidit vrbem, sed prædæ pars maior aut excitato casu incendio absumpta, aut imbribus vi magnâ decidentibus corrupta immodicam prædantium cupiditatem frustrata commodùm est; quin ne matronarum honori illuderetur, seuerè cauit Alençonius verè in hoc Alexander, quem ne oculis quidem captarum Reginarum pudorem delibasse tradunt, maximaque in laude ponunt Historici; easdem Guisius tentorij sui parte concessâ tutas ab incendio seruauit; sectæ minister, qui rebellionis præco fuerat, in

Cæduntur regij.

Vrbs diripitur.

Matronarū pudori consulunt Alençonius & Guisius.

Minister suspenditur.

patibulum actus; Chaumiaco præsidij præfecto vitæ gratia facta, Exin traductæ Ambarum copiæ, quod oppidum citra sanguinem captum est. Alençonio dein reduci splendidè ab Rege accepto recentes laureas gratulata est Medicæa Mater, eumque regio epulo in hortensi xisto vnà cum Proceribus, quos secum victoriæ socios duxerat, recreauit. Nec minore nominis sui famâ regiorum armorum vim terroremque latè per Santones Meduanus intulit, Broagio & Marano deditione acceptis; restiterat quidem primò Broagium subsidiariam opem pollicente Condæo, sed mox hac spe cassum, defectumque viribus post pactas conditiones regiis victoribus cessit. Nec terrestribus tantùm præliis, sed in infido etiam elemento castigata est sectariorum perfidia, bis quippe à Vido Sangelasio Lansaco nauali certamine Rupellenses domiti sunt, intercepta bina eorundem nauigia, circumiacentes item insulæ binæ ab regiis occupatæ; omni denique curatum est ope, vt perfidæ vrbi annonæ subsidia obstruerentur, salinarum ius vsusque concideret, vt denique pessimè Rupellensibus fieret, qui obuiam Regis gratiam, concessam pacatioris vitæ vsuram, opes etiam largiter appromissas intolerando fastu respuerant.

Ambarū capitur.

Meduanus Broagium & Maranum capit.

Rupellenses nauali certamine fracti.

Hæc dum prosperè regiis gererentur auspiciis, variisque è Galliæ partibus victori Regi succrescerent palmæ, nutabat magna Procerum pars, qui infausta sectæ arma sequuti, ab eo turpiter defecerant, promptaque delaturi obsequia confluebant vndique horum non pauci, maximè cùm perduellium castra continuatis feruerent dissidiis, accisisque rebus suis postremam in desperationem proruerent. Vnde quò se se è præcipitante hoc statu confestim erigerent, pacem à Rege petierunt, in quam vt induceretur Rex, Optimatum accessere suffragia, Monpenserii Ducis, Archiepiscopi Viennensis, Bironij, Richelij, Villaregii. Hæc pax Bergeraci cum Nauarro inchoata, Pictaui tandem ab Rege condita est, quam quia lubens sanciebat, suam ac peculiarem sibi appellitare consuerat, Pacifici Regis, quàm bellatoris nomen cupidiùs ambiens. In pacis edicto mutatæ, aut molliore quadam interpretatione temperatæ sunt pro re Catholica superiorum edictorum conditiones, in quibus indulgentius aliquid non tam sectæ, quàm temporum iniquitati concessum fuerat. Vbi pacis increbuit rumor, continuò pacis autori Deo, Regique grates redditæ sunt. Condæus, cui ingratum antè pacis nomen fuerat, adeò præsentis eius dulcedine captus est, vt acceptum eius sub vesperam nuntium, confestim vrbe tota voce præconis significari iusserit; vt hoc Rupellensibus quietior obreperet somnus, quò amœniora post tot bellorum tempestates sperabantur tempora. Interea sancitum ab Rege

Pax Pictaui condita.

Condæo gratissima.

est, vt Ecclesiæ Romanæ munia in vrbibus etiam & locis iis omnibus liberè pacatéque obirentur, è quibus exturbata religio fuerat. Hugonotis datum vt sectæ ritus exercerent in iis tantùm quæ antè habuerant locis; non verò recenti bello occupatis: potestas omnibus facta quacunque in regni parte commorandi, dum à sectæ ministeriis abstinerent. Contrà verò iussi festos Catholicorum dies à seruilibus operibus immunes traducere & in contrahendis nuptiis consanguinitatis & affinitatis gradus obseruare ab Ecclesia præscriptos. Vrbes octo in custodiam variis in prouinciis datæ, & alia pleraque aut renouata, aut de nouo instituta: quæ quia non perinde ab omnibus accepta sunt, inter morosiores aliquos, rixas excitarunt non leues, quæ leuioribus tamen præliis diremptæ sunt; adeò armorum tractationi pleriq; omnes insueuerant, vt in admittendis pacis capitibus bellum sererent, traditasque fœderis leges hausto vtrinque sanguine cruentarent.

Leges hæreticis datæ.

In sanciẽda etiam pace pugnatur.

Non deerant qui post concessas Marti ferias, martios etiam spiritus alerent, fluxam hanc & tẽporariam pacem appellantes, Lesdiguierius præsertim apud Delphinates, & alij, nec Damuillæ quies erat, qui ab hæreticorum partibus abstractus, offensas veteres, & priuatas vltum ibat inimicitias. Deinde querebantur Catholici maximè fœderati benigniùs sectæ factum, cùm cœtus inire permitterentur, ac rursus fabulas suas impunè diuenderent Caluiniani præcones, atque hinc orti primò clamores, deinde iurgia, tum cruentæ sæpe concertationes, indeque factum vt ægrè admodum arma deponerentur à compluribus, breui, quod rebantur, & maiori discrimine resumenda. Hæc quanquam haud ignota Regi forent, licet perquam difficile sit Principum in contumeliosas linguas imperium, ingestas Catholicos inter & hæreticos sannas prudenter dissimulabat, præsertim cùm importunam maledicendi licentiam nulla res magis quam contemptus aut injecta temporis mora comprimere possit, conuitia siquidem spreta exolescunt, si irascare agnita videntur, sed crescebat cùm impunitate rixarum seges, & grandioribus malis sternebatur via nisi efferatos Rex partium animos mitigasset, cuius missu Pictauium abiit Medicæa cum Nauarro colloquutura; exin prouincias lustrauit, quas Regi suspectas existimabat, scrupulos ijs euulsura omnes, qui ægrè in pacis edictum consentirent: nec enim deerant qui pacem, pacisque edicta infirma ac propè nugatoria esse censerent, antiquas aulæ scilicet artes esse, fraudulenter vbique grassari, simplicioribus illudere, rosarum amœnitatem polliceri aculeos interea distringere in incautos. Occitani præ cæteris Pictauiensem pacem me-

Pax non æquè ab omnibus accipitur.

Ridetur à plerisque Pictauiensis pax.

ras tricas &meræ simulationis artificium appellitabant, aut de tuberum naturâ trahere aliquid iocabantur, quæ nullis fibris aut capillamentis terræ inhærent, cumque repentè nascantur, horum etiam exilis est ætas: quare aduersus ingruentes casus omnes communire se conabantur hugonoti, ni Valentinus Præsul in comitiis Biterrensibus certam iis obtinendæ Regis gratiæ spem fecisset, nouamque hanc à Deo Regeque concessam pacem inanem haud fore docuisset, nam quî pax illa temporaria & fraudulenta esse possit, cum ab armato post felices successus Rege impetrata fuerit? quid vulpis pellem aduersus, hostes Rex induat, cùm leonina sit satis? quid indignas maiestate fallacias intendat, cùm honestis bellorum artibus vti & vincere possit? Addebat insuper Valentinus haud ita facilè rescindenda hæc pacis edicta, quorum æquitas gratum vtrique parti tẽperamentum attulerit. Regem item Catholicæ Religionis perquam studiosum, eius in regno firmiùs constabilendæ vias contento studio indagare omnes, aptiorem autem nullam inueniri quàm pacem, quæ Sacerdotibus aras, Sacerdotes Sacris ministeriis reddat. Hæc attentiùs expendentes Occitani rebelles, hoc lubentiùs obuiam oblatamque sibi pacem admiserunt, quò arrogantiùs eam antè repulerant.

Iucundè tãdem admittitur.

Interea Rex intermissis belli studiis primores aliquot amplioribus regni dignitatibus auget, nam Iacobum Matignonum & Armandum Bironum tribunos equitum creat ab Guisiorum parte alienos: voluit quippe vim vi aut virtuti virtutem opponere quæ dum æmulo caret, elanguescit; Biragum verò Cancellarium in Purpuratorum Patrum Senatum adlegi curat, Philippo Huralto Vicecomite Chiuernensi eius in locum assumpto; quo fere tempore ineunte anno 1578. Regina Margaritam filiam, Nauarri vxorem, quæ in aula, viro abscedente, remanserat, secum ad eum adduxit; hæc Burdigalæ regio apparatu á sectariis primoribus in Nauarri gratiam excepta est, qui vix tum Regiæ Nauarræorum principum Majestatis partem retinens, ac in Aquitaniæ compulsus angulum, quam nomine tenus adgubernabat, Medicæam vxoris matrem veneratus est, regiosque monitus omnes æquo animo accepturum se dixit. Et Nauarrum sanè reprehendebant non pauci, quòd vagam tandiu vitam ageret, cui tutò in Henrici Regis aula esse liceret ab Lotharingis lõgè, quàm ab ipso alienioris. Sed ecce dum ciuilibus odiis ex parte compressis quiesceret Gallia, in monomachiam, siue singulare paucorum certamen expeditum est ferrum, quasi mille non paterent ad interitum viæ, nisi gladiatoria furentium rabies plures adhuc reclusisset: & grauiore adhuc noxâ obstrinxerunt se, quòd è Regia vbi liberaliter educabantur, aulâ

Nonnulli dignitatibus aucti.

Singulare certamen.

mutuas in cædes cōgressuri proruerint. In equorum venalium foro, mutuis se cōfodere vulneribus. Quantò æquiùs extra Galliam contra Romanæ religionis hostes versa fuissent hæc arma. Regi supra modum displicuit vesana hæc pugnandi libido, qua nobilissimus nullo operæ pretio profunditur sanguis; diuina & humana proculcantur iura, præcipuæ regni vires exhauriuntur; quæ idcirco refero, quia insanos hæreticorum conatus stylo consigno; habent enim bellatores huiusmodi commune aliquid, aut habere videntur cum hæreticis, qui vindicem Deum non satis reputant, aut à vindicta temperaturum præfidentiùs asserunt: non in mutuos induturi se gladios, nisi aut in peruidendis hominum lapsibus cæcutientem Deum effingerent, aut in castigandis inertem.

Debilis sic pugnantium fides.

Hanc furibundorum iuuenum rabiem quotidianis pietatis officiis expiare adnitebatur Henricus; nam dum quies ab armis foret, opportunum illud esse putabat augendæ sanctitati & religioni tempus; quocirca sacrorum Diuini Verbi præconum concionibus frequens interesse, Patrum societatis IESV, nec non Capucinorum consortio vti familiariter, piis eorum monitis aures accommodare, præcepta salutis auidiùs arripere, ac conseruare tenaciùs; flagellantium cœtibus interesse, ac interdum spontanea verberatione præteritas cum pœnitentibus viris castigare noxas; Hieronymitarum, quibus palatii sui partem assignarat, psalmos alternantium chorum frequentare. His aulici pietatis documentis incensi, damnatis profani martis studiis, ablegatis voluptatibus, quæ periculosiores sunt humani generis hostes, bellum inibant longè fructuosius, atque hæc Christianæ sanctitatis initia scitè admodum cum domorum suarum procuratione iungebant, quarum omnino curam, dum arma per Galliam circunferre cogerentur, abiecerant. Nec apud aulicos tantum defigebantur insignia hæc regiæ pietatis exempla, sed in sectariorum complures fortunato progressu transibant, qui veterum insaniarum pertæsi, ad veritatis amplexus hoc properātiùs accurrebant, quò maiorē illa vim à Regis pietate trahebat, nempe compendiosa est ad sanctitatis fastigium exemplorum via, hæc si præsertim à Rege sternatur. Obseruatum hoc à nonnullis non semel est, plures vnâ hac illecebrâ delinitos ad Catholicorum partes transiisse hæreticos, quàm euolutis antè viginti totis annis, quos bellorum efferauerat rabies. Sed quia in perfecto aut rara, aut difficilis est mora, à sacra illa religionis quiete ad animorum corporumque mollitiem descitum est; renouata quæ antè fuerant aulæ laxamenta, supiniores irrepsere deliciæ, adeò maturè à rectis in vitia peruenitur, emarcuit denique quidquid in aula sāctitatis effloruerat

Regis pietas.

Hanc æmulātur aulici.

Etiā sectarij

Exēplorum vis.

Regis aula delicijs corrupta.

effloruerat. Hinc auditæ obtrectantium voces, à prioribus postrema longo interuallo dissita, inchoatum non malè ab Rege fuisse, terminari non benè.

Id tametsi graue multis Proceribus foret, vehementiùs tamen angebantur, cùm regiam omnem in paucos gratiam defluxisse animaduerterent, horum in manus auream beneficentiæ regiæ clauem traditam esse querebantur: permulcendos eos esse, imò & adorandos propemodum ne qua in re nocerent minores hi dii, Principum in aulas admissionem ab his quæstuosam fieri succlamabant, fumosque vendere, qui fumo enecandi essent. Atque hinc incensa in Regem plurimorum odia: hinc frequentes quoque ab aula recessus, dum corruptam hanc & infessam à molliculis calamistratisque trossulis indignè ferrent. Parte alia populum à Regis obsequio distrahebat vectigalium onus in immensum excrescens, vnde bellum quoduis recenti hac pace potius esse ducebant, quod hæc sæuiret impotentiùs; siquidem grauius est fame quàm ferro confici; pares quoque Ecclesiasticorum clamores audiebantur nouis se tributis premi expostulantium, regii consilii cœcitatem lamentantium, exhauriri bonis suis omnibus infelicem plebem, vt iis ingurgitet se aulicorum Regi gratiosorum importunus grex, saginando horum abdomini litari quotidie ab omnibus, nihil paucis illis satis esse, quod abundè fuerat infinitis. Sic conflata multorum in Regem odia; distracti à Principe subditi: qui vt suorum abalienationi obuiam iret, nouo nexu à Religione petito, nobilium sibi animos arctiùs colligare decreuit, obsolescente præsertim sancti Michaëlis ordine, propterea quòd in eum nullius dignationis viri adrogati iam essent. Igitur nouum Equitum Collegium sancti Spiritus titulo insignitum, ac centenis equitibus definitum instituit. Hunc in ordinem Cardinales quatuor, Antistites quatuor, magnus Eleemosynarius, Cancellarius, cæremoniarum Præfectus, Magnus thesaurarius, scriba, fecialis, Ostiarius allecti sunt, religioni Catholicæ addicti omnes; huic enim Collegio præcipuum id munus incumbit, vt in Romana fide amplificanda, hæreticæ verò pestis depulsione assiduam diligentemque operam nauent, vt (quia Patris & Filij nexus est Spiritus Sanctus) vnà omnes fide & religione deuincti, diuinam illam Personarum coniunctionem in se exprimant, & in aliis accurare nitantur.

Rex in paucos gratiam partitur.

Superbiunt illi.

Præteriti indignè ferũt.

Querela in Regem.

Collegium Equitum S. Spiritus instituitur.

Hæc dum in Gallia sacrorum Equitum conderetur societas, Gheusiorum in Belgio factio augebatur in dies, non satis pro religione sobria, quippe inter vinolentas hilaritates & adijciales epulas ad eam euertendam composita. Contra perduelles huiusmodi varios Germa-

Gheusij debellantur.

norum, Burgundionumque delectus secum duxerat Ioannes Austrius Caroli magni nothus, cuius in vexillo expressa Crux erat hac tesserâ insignita *In hoc signo vici Turcos, in hoc signo vincam hæreticos*; & oraculi vim epigraphen habuisse prodidit satis deuictus ad Gemblacum Gheusiorum exercitus, in quo cæsa dicuntur à nonnullis octona, ab aliis dena millia, Austriacis militibus desideratis vix decem sic pro hæreticis mille vnus tantùm repensus Catholicus. Inflictum Gheusiis bello captis furcæ supplicium, sexcentosque ex his Namurci suspendio necatos referunt, quòd Gheusii paulò antè barbarâ plane feritate in Austrii milites desæuiissent, nam quoscunque etiam finito certamine interceperant, truncatis naribus, auribus, digitisque horrendum in modum deformabant; tanta est hominum à Christi fide auersorum rabies, vt vix absque addito pereuntibus dehonestamento furere possint. Hac plagâ acceptâ Gheusii Amstelrodamum, quæ vrbs Batauiæ longè potentissima est, intromissi sunt; ac post officiosas conditiones oblatas pristinam ad crudelitatem redierunt; nam Catholicos ex improuiso adorti, eorum Optimates cum magistratibus promiscuè in naues coniectos exterminarunt, exturbarunt Monachos, Sacerdotes eiecerunt. Exin hoc ferociùs, quò impuniùs in cœnobia, in templa, aliaque religione consecrata loca debacchati, religionem ipsam pristinis è sedibus euellere instituerunt, nullo eius antiquitatis relicto vestigio. Atque hæc per sacrilegos Amstelrodami gesta, quibus paria aliis in vrbibus tentata sunt, vnde exacti Catholici quotquot Ioannem Austrium hostium in numero habere recusarent. Sanè quidem quòd Societatis IESV Patres, qui Antuerpiæ tum erant idipsum se facturos abnuerent, ex vrbe confestim expulsi sunt, nefas enim putabant, cùm præcipuo voto Romano Pontifici obstrictos se esse meminissent, eum hostem profiteri, cui Pontifex ipse & gratiam & amorem impertierat, cuique victoriam de multis Turcorum aut interfectis, aut in vincula datis millibus reportatam amplissimis verbis gratulatus recens fuerat. Hæc dum annalibus nostris inserimus, è Gallia quidem pedem efferimus, non deflectimus tamen à suscepto nobis scribendi proposito, cùm in Belgio Gallicos proximè visuri simus delectus, pugnatasque Alençonio Duce pugnas aduersante sæpius Gallis, quàm velificante campi (si antiquis creditur) dominatrice fortunâ.

Cæduntur.

Gheusiorum feritas.

Amstelrodamum diripiunt.

Soc. IESV Patres cur Antuerpia pulsi?

Cameracensibus opē affert Alençonius.

A Cameracensibus primùm euocatur Alençonius extremas in angustias redactis intestinumque dissidium, apprimè gnaris quanta sibi damnorum moles si caperetur vrbs, ab Hispanis impenderet. Et à Rubasio, cuius infestos sibi milites iam pertulerant, certò didicerant,

haud molliorem à victore Principe expectandam esse calamitatem. His vt suppetias ferret Alençonius, copiarum partem sub Feruacio Duce præmittit, quaterna Gallorum millia erant, qui sequuturo mox exercitui præire iussi sunt, hi commisso cum hostibus prælio Cameracum intrant; intrauit & Aleçonius cum legionibus Gallicis triumphantis in morem inter faustas gratulanrium voces, ac patriæ libertatis assertorem compellantium, biduoque post cùm solenni pompa ciuitatis leges ac priuilegia rata esse iussisset, reip. regimen lætâ omnium admurmuratione suscepit. At decreta hæc illi honoris insignia funestauit inopina quingentorum eiusdem militum clades, qui dum Cameracum festinatis itineribus tenderent, aduesperascente die in proximo residere coacti sunt pago, ac dum prima luce illinc iter moliri pararent, à Rubasio, qui septenas equitum turmas in insidiis collocarat, cæsi sunt omnes, præter primores aliquot, qui magno dein ære redempti sunt. Capti præterea Turenæ Vicecomes & Ventadorius cum nobilibus aliquot, sed postremus hic è custodia profugit, Turenius in Rubasii Marchionis manus incidit pacta militibus qui eum ceperant, pecuniâ, quod illiberale negotiationis genus damnauit Alexander Farnesius, huncque apud se habere voluit, dum Mediceæ Reginæ operâ datis aureorum millibus quinquaginta libertati redderetur. Tot militum, necatorum iacturam leniebat facilè primus ille Gallicorum armorum impetus, quo Cameracum receptum, quam vrbem multorum circà locorum expugnatione firmabat Alençonius adeò exaggeratâ spe apud fœderatas prouincias excitatâ, vt futurorum deinceps temporum felicitatem non alia in re magis, quàm in armis Gallicis collocarent; iamque ad Alençonium venerant Orangii literæ, quibus ad prosequenda fortunatè cœpta inuitabatur; omitteret Belgii extrema, motisque castris in interiora Flandriæ penetraret, vbi subsidiarias legiones, imò iustos qui opperiebantur exercitus cum cohortibus Gallicis iungeret; sic nempe nimiam, quam in armis reponebat fiduciam temperaturum Farnesium, nec ausurum contra tot ducum agmina pugnam conserere, qui ducis vnius cessérit copiis.

Vrbē ingreditur.

Alençoniani necantur.

Capti nobiles Galli.

Hortatoriæ Orangij ad Alençonium literæ.

Dum prospero cuncta hæc cursu fluerent, moram aliquam attulit speratum Alençonii cum Elizabetha Angliæ Regina connubium, cuius spem maximam in iuuene alebat mirè dissimulatrix fœmina; tum vt illi consimiliter atque aliis procis illuderet, tum vt tentatas eiusdem cum Hispana nuptias distraheret; imparem enim se aduersus Galli Hispanique Regis potentiam fore verebatur, quorum arma matrimonii noui nexu in Anglici regni cladē conspiratura videbantur

Alençonio illudit Elizabetha oblatâ nuptiarū spe.

Coniugalium tabularum, ac peracti iam matrimonii manauerat rumor. Interim spectacula venationes, conuiuia regio instructa luxu, & alia huiusmodi oblectamenta non deerant, sed deerat Alençonio Regina, & quod hæreticâ fœminâ potius erat, dotale Angliæ regnum; ex quo remigrare coactus est ad Belgarum regimen, quorum nouis illuc querimoniis euocabatur, capessendum; quò cùm aduenisset, ab Orangio, & Espinoio, Ordinumque legatis Antuerpiam cum splendido Gallorum, Anglorum, & Belgarum procerum comitatu deductus est, infinitis propemodũ ad publici gaudij apparatum accurrentibus, erectos vbique triumphales arcus, appensos arcubus titulos, ac trophæa curiosè inspecturis. Post sacramenta vtrinque præstita intromissus in vrbem est, chlamyde ac pileo, reliquisque Ducum insignibus conspicuus, inter festa tubarum tympanorũque frequentamenta, tormẽtorum plausus ac innumeras fausta cõprecantium voces, quin & sparsas in populum auri & argenti missilia, Brabantiæ Dux ab Orangio primùm, mox ab Ordinum legatis, vrbano senatu, ac reliquis magistratibus appellatus est, nouoque Duci legati è singularũ prouinciarũ vrbibus gratulatum venerunt, nouum sibi parrociniũ sub Duce tanto augurantes liliis vt aiebant, Gallicis insignito, quæ Belgico tractui pacis candorẽ, inducerent, quem fœda dissidiorũ nubes obtexerat. Missis ad se legatis vt Galliçi, hoc est grati animi specimen Alẽçonius ederet aliquod, regales in sumptus effusus, cœnam apparat natalitiã, quo tempore, ne quid ab gaudiorum extremis ferale abesset, penè fatalis Orangio oblatus est bolus, nam ab adolescẽte Cantabro ferreæ fistulæ pila in maxilla traiectus est, vno aut altero dẽte excusso. Cõsternatis ad inopinatũ casum Antuerpiẽsibus, quæsitus est illico non catapultarius, qui bipenni iam hasta confossus fuerat, sed qui hunc submisisset consimil aut atrociore pœna mulctandus. Et quia in huiusmodi casibus qui repentè contingunt, alter in alterum scelus deriuare consueuit, complures Alençonii iussu tentatum id suspicabantur, Orangio amoto pleniùs & securiùs imperaturi, hospitalẽ mensam tanti hospitis sanguine cruentatã vociferabãtur hæretici non absque Bartholomææanæ stragis metu in Belgio repræsẽtãdæ, ducta à Colinio funestæ huius tragœdiæ Parisiis actæ primordia, Antuerpiæ pariter incœptari ab Orangio. Credita à plerisque res est, qui arreptis ex templo armis gregatim ad Alençonii ædes contendunt, Gallos intra domorum septa demptis primùm armis includunt; vlterius progressuri, nisi Orangius Alençonium & comites eius Gallos omni culpa culpæque suspicione exemisset, neque enim is erat adeo feris moribus imbutus, vt cœnæ, quam appararat, iucunditatem feralem in luctum

Alençonius Antuerpiam intrat.

Brabantiæ Dux salutatur.

Natalitiam cœnam adornat.

Vulneratur Orangius.

Antuerpienses in Alençonium, & Gallos insurgunt.

commutare satageret humano sanguine imbuendæ.

Sed qui paratas Antuerpiensium insidias tum repulit, vesanū haud ita multo post eorundē furorem expertus est Alençonius, dum hanc ipsam vrbem armis occupare aggrederetur, vt iure belli captam sibique tanquam Flandriæ Comiti debitā gallico deinceps nomini assereret, tum enim cōmota Nobilitas, armata plebs omnis, ciues denique omnes tametsi religione institutisque discrepātes confestim aduolant, ac Gallicas copias sparsā quā latissimè strage interimūt: è nobilibus trucidati non pauciores ducentis quinquaginta, cæsos autē in vniuersum affirmant aliqui ad mille quingentos octoginta tres, cui suæ, suorúque iacturæ vehementer Alençonius indoluit, dedecus veritus, odiúque quo apud primarias Gallicæ nobilitatis familias laboraturus erat, dum pubem Gallicā, & selectissimū regni totius florē hostium gladiis nimiā consiliorū præcipitātiā obiecisset. Atque hinc intellectū est quàm cassa plerúque auxilia sint, quæ hæreticis aduersus legitimū Principem suum præstari assolent, cùm tutor ac defensor Principum Deus aut insana rebelliū consilia disturbet, aut adunatas eorum vires potēter infringat. Verùm è Belgio, vbi tam inhumaniter Galli habiti sunt, Galliam nostrā repetamus: iuuet autē eò excurrere, vt Gheusiorum genium haud dissimilē nostratium hugonotorū indoli demōstrarem, & quidquid à Gheusiorū secta formidandum est Belgis, ab hugonotorū factione Gallis etiam pertimescendū. Et sanè post ex gui tēporis inducias affatim habuere Galli quod metuerēt, dum Nauarrus tractandorū rursus armorū consilium iniret, qui studia pacis vsque eo fouerat, vt bellicis Galliæ cladibus illacrymarit non semel. Mutatæ in clementissimo Principe voluntatis potiores hæ afferūtur causæ, quòd post indultū pacis otium paulatim à secta dilaberentur non pauci, nec ignobiles viri. Nam de magistratuū & dignitatū gradu deiectī, quo pristinos ad honores redirēt, aut ad Catholicos syncerā se mēte aggregabant, aut certè simulato consilio externū saltem Romanæ fidei cultum profitebantur. Nauarrū etiam acrius stimulabat collabascens in se autoritatis vis omnis quam tueri necessarium sibi esse ducebat, quippe primario Regii sanguinis Principi, accedebant crebra inimicorū consilia hoc certè perniciosiora, quò propera magis quibus omnibus Nauarrus exarsit, quocirca missos ad se tum ab Occitanis, tum ab Albrogibus proceres ad communē prouehendā rem breui oratione hortatus est, tum secto trifariā aureo nūmo, eius partem ad Castilionæum Admiralii Colinei filium afferri iussit in Occitania tum agenti, alterā verò Lesdiguierio dari commonerique voluit, vt quod ad belli gerēdi rationem & communis rei statum pertineret, certum id omne ducerēt quod is, cui data pars nummi tertia fuerat, reporterat.

Cæduntur Galli.

Non prospere subueniitur hæreticis contra Principes.

Nauarrus arma in hostes destinat.

Causæ afferuntur mutatæ in eo mentis.

Trifariam annulū diuidit, partes Castilionæo, & Lesdiguierio mittit.

Verùm, quia in Regem excitari vix bellum assolet absque nouo iuris alicuius obtentu, hæc etiam à Nauarro turbandi arrepta est occasio, quòd Henricus Galliæ Rex concessas perduellibus securitatis vrbes repeteret; quod ex pactis conuentis iure poterat, euolutum quippe concessionis huius erat spatium; turbatum tamen est ab hæreticis; conuocati ad synodales conuentus sectæ sunt Proceres, apud quos de Rege conquestus Nauarrus, retinendas omnino eas vrbes esse ostendit, præpropera quippe Regis postulata videri, nondum singulis edicti capitibus satis esse factum, cùm in Campaniam, Burgundiam, Normaniam reuectus nõdum esset nouæ Religionis cultus: Huic confestim orationi adhinnierunt, quotquot aderant prædicantes ministri; assensa pariter Sectariorum pubes, cui pulchrum & honestum videbatur sub nouo illo generosoque Marte stipendia facere: atque vt conscriptis cohortibus acriores ad rem strenuè gerendam stimulos inderet, haud vulgaris nominis vrbem aggredi statuit, ratus minores reliquas in victoris arbitrium haud difficulter venturas. Cadurcum igitur, siue Dueona Cadurcorum obsidioni delecta est, quam vrbem Margaritæ Nauarri vxori dotalem ascripserat Henricus Rex eius frater, nondum tamen in eam transtulerat; Et commodior reliquis vrbs Nauarro videbatur, tum quia huius si compos existeret, è viciniis toparchijs suis exire commodè poterat, tum quia cùm alienatas à se Cadurcensium mentes ob sectariorum odium exploratum haberet, castigare decreuerat eius noxæ, sic enim appellabat, autores, & conscios. Principio itaque anni 1580. petitis ab Castilioneo & Lesdiguierio sect. nummi aurei segmentis inchoatum est bellum.

Rixa pro securitatis vrbibus.

Nauarrus Cadurcum obsidet.

Cadurcum totius Cadurcensis tractus metropolis est, collibus vini feracibus vndique cincta, Oldo amni imposita vrbs est, qui in Gabalis ortus per Rutenos Cadurcensem in agrum effluit, vrbem tribus partibus alluit, pontibusque ternis transmittitur, vetere, nouo, & Valandrio, ac quidem per veterem fauentibus noctis tenebris in vrbem irrumpere conatus est Nauarrus admotis inusitati generis tormentis, *Petartos* vocant; ferrea sunt vasa viginti librarum pulueris tormentarij capacia, quæ subruendis portis inseruntur, dumque admoto è propinquo per sulphuratos funiculos igne displodunturm, obuia quæque concutiunt, perrumpuntque. Iamque prior veteris illius pontis disiecta erat porta; cùm ad suffodiendam alteram Nauarræos accurrentes paulisper morata sunt obliquè procurrentia propugnacula duo ab stationariis insessa, At simulac ferreo crepitaculo vnà cum adiacente porta Salignacus proruta vidit, sine mora per patentem ruinam irrupit, dispositas hostium stationes proturbaturus. Ciuitati tum

Ferrea crepitacula porte admonet.

præerat Vezinius vir militiæ gnarus, animoque ingens, qui insolenti pyloclastri fragore perculsus quem tonitru nube ruptâ prorumpens, intenderat, seminudus extemplo cum armis armatisque in forum prosilit, aduersus Salignacum fortiter dimicat; dumque labotantibus suis vbique occurrit intrepidus, Sclopperi pilâ confoditur, sic prægustatum noctis illius soporem cum lethali somno coniunxit. Hoc decusso Cadurcorum columine nutabat breui prolapsura ciuitas, iamque fugam capessebant obsessi, cum trepidantium erexit animos Salignaci & Antonii Rupihutei inopina inclinataque sors; qui delecti primariæ nobilitatis duces multis hac in pugna vulneribus conciderunt: ex vtriusque fato haud mediocriter Nauarri afflicta spes fuit, eademque non parum concussa ob Sammartini necem, quem stipatoribus suis præfecerat, Periclitabantur Nauarræi, ni Petrus Chuppius vir impiger, bellique prudens patriâ Lodunensis cum infestis copiis aduenisset: is cum armatorum delectu per pontem nouum in vrbem subiens sclopetarios doliaria septa, ac subitarios aggeres molientes ferro inuadit, primoque impetu disiicit, cumque in Academiæ scholas oppidani se se contraxissent, binasque adhuc portas stationariis communiissent, eò confestim prorumpit, valloque propere ducto vicinas ædes occupat, tum infesta vtrinque displosione certatum, Nauarro medio in discrimine versante, suosque ad reportandum victoriæ decus variis fortitudinis documentis hortatibusque incendente. Sub noctem incenditur scholarum porta, illucescente verò die, cùm aduentare copias auxiliares nuntius retulisset ingenti numero per Barrensem portam intraturas, Chuppius illico cum Petro Pideo Neda Ordinum ductore ad eas arcendas mittitur, Nauarro interea obsidioni instante. Nec mora obuios sibi factos Regios Nauarræi primo impetu fundunt, tricenos ex iis perimunt; illinc regressi scalis admotis in scholas irrumpunt, dum oppidani aut in vrbem refugerent, aut viarum aditus doliatibus munitionibus obsepirent quibus, non sine acri certamine perruptis, obsessis obsidentibusque continuato labore debilitatis capta tandem vrbs est, sacræque mox Cælitum expilatæ sunt ædes, spoliatum Carthusianorum cœnobium, ludibrio habitus virginum, matronarumque pudor, cuncta denique veteri sectæ more sacra & profana perinde habita; quæ vbi in aulam allata sunt, inflammatiùs solito exarsit Rex, cùm pacatiora de Nauarro Margarita eius vxor, & Pibracius eius Cancellarius recentibus literis spopondissent. Quidquid hac in re peccatum est, Pibracio luendum iam erat nisi hominem perspecta eius antè probitas mortis periculo subduxisset.

Vezinius vrbis præses occiditur.

Salignacus & Rupihuteus cadunt.

Sammartinus necatur.

Strenuè pugnatur a Chuppio.

Diripitur vrbs.

Sacra polluuntur.

Periclitatur Pibracius.

Iustam Regis iracundiam sectariorum obsequio molliendam, vehementiùs acuit eorundem peruicacia, dum varias in Santonibus, Pictonibus, Septimania, & Delphinatu aliisque prouinciis arces, vrbesque expugnarunt. Montacutum captum, interceptum à Merula Mimatum Gabalorum metropolis, Ille enim, qua nocte populus ad celebranda, qua par erat mentis hilaritate, Christi Natalitia conueuenerat, maioris tum modi perstrepente campanâ cuius sonitus armorum, armatorumque fragorem obruebat, vrbi scalas admouet, per quas enixi milites aliquot plateam occupant; tum alii atque subeunt nihil huiusmodi oppidanis aduertentibus, quippe in pacifico Christo Rege reuerenter suauiando piè occupatis. Accurrit quidem vrbis præfectus, at testis potius insidiarum quàm vindex fuit, cùm omnia infausto alite, à Merula scilicet occupata iam essent, subsequuta mox est vrbis deditio, in quam ferro flammâque ab hoste sæuitum, expilata ciuium hospitia, templa diruta, nihil crudelitatis, aut impietatis prætermissum, quod aliis in vrbibus diripiendis secta exprompserat, quin & vt cognominem sibi auem æmularetur hic Merula, Canacum binis leucis Mimato dissitum nocte concubiâ aduolauit, oppidique portâ crepitaculo subrutâ, somno correptos incolas & nobiles aliquot, à quibus prouocatus fuerat, audacter inuasit; onustusque præda victor triumphantis in modum Mimatum reuolauit, vbi ex famoso illo tintinnabulo tormenta majora bina, mediumque vnum conflauit, sic acriore deinceps strepitu in Catholicorum perniciem distractum reboauit Mimatense cymbalum, quàm cùm integrum staret, pro Catholicis ad commune salutis asylum conciendis sonuerat. Exin Merula Condæi iussu Spaniacum ducit, dilapsisque præsidiariis capit. Quesacum vi occupat, aliaque circùm loca prædabundus infesta habet,

Mimatum à Merula capitur.

Fœdantur & polluuntur omnia.

Merula Canacum occupat.

E Mimatensi tintinnabulo tormenta cōflari iubet.

Et quia Quesaci mentionem induxi, vt in eo paulisper immorer, non reluctantem inuitat Augustissima Dei hominumque Parens, cui Quesaci oppidi primordia non immeritò ascribuntur, Nam cum inculta hæc terræ plaga syluestribus arbustis tota inhorresceret, illic sedem suam defigere non dedignata est Deipara, illustreque prodigium edidit, quo præsentem inibi vim virtutemque suam fore omnibus ad se confugientibus pollicebatur. Cùm itaque nouale propter innatam sterilitatem ad modicam tantùm sementem coleretur, mirandum id accidit, vt boues inter arandum repentè quasi veterno præpediti hærerent, stimuloque sæpius ab agricola indignabundo compuncti, non vltra progrederentur, sed adorantibus haud absimiles genua incuruarent; Defodienda terra fuit, & eruenda causa prodigii tanti, In eo dum

Quesacum capit.

Quesacum Deiparæ cōsecratum.

Deiparæ imago miraculo reperta.

dum sollicitiùs elaborarent nonnulli, reperta est fausto prorsus omine luculenta Dei Genitricis imago, cui merè candida facies inerat, genæ minio superfusæ; vultus ad afflandum intuentibus pudoris & honestatis amorem compositus totus, statura Virginis recta, vt & Christi IESV, quem illa ad læuum latus modicè propendentem virgineâ sustinebat manu; id autem ante annum septingentesimum contigisse Quesacenses produnt annales, miretur interea lector non satis bobus fuisse, quæ tarda tamen sunt animalia, quòd possessorem suum, piamque eius Genitricem in stabulo fouerint, coluerintque, nisi eosdem imâ terrâ delitescentes agnoscerent. Sic interdum à Brutis quæ vera sint Christianæ pietatis munera commonemur, atque vtinam in hoc non infra boues saperent, qui in politicis sapere se supra mortalium conditionem arbitrantur. *A Brutis docemur.*

Audito conspectoque à multis prodigio, Episcopus hoc ipso in loco sacellum extrui iussit, in quo sacra hæc collocaretur effigies, paulatimque crescente Diuæ Virginis cultu, piorum liberalitate amplificata est ædes, tum præsertim cùm repurgatus tribulis, sentibusque locus vberiorem sementem admisit; eo enim confluxere non pauci pagumque iustam in oppidi formam adauxerunt; parœcialis insuper illuc translata est Ecclesia, Guillemombruni antè defixa, cum interea Magna mater noua loci patrona cumulandis auctu quotidiano miraculis potenter insisteret, atque id causæ fuit, vt Vrbanus V. Christi vicarius anno Pontificatus sui tertio Quesacensis huius Ecclesiæ prioratum in denorum Canoniciorum Collegium erexerit, quorum in domicilium castellum excitauit situ opereque munitissimum. Dein nonnulla, tum ad statum quotidianorum sacrificiorum numerum, tum ad locupletiorem Ecclesiæ ornatum cultumque piè prudenterque sancita reliquit; quin & aurea argenteaque supellectili magnificè templum instruxit, & Auenione, Quesacum, salutatum Deiparam venit. Verùm cùm sparso latè per Galliam terrore Caluiniani omnia antiquæ religionis monumenta disiicerent, Quesacēsem Virginis Matris ædem immani sacrilegio compilarunt, quidquid in ea sacræ supellectilis fuit, aut succensis ignibus concremarunt, aut profanos conuerterunt in vsus. Quin nec impias consceleratasque manus ab augusta Christiparæ effigie abstinuerunt, quam impuri confregere ganeones, non ferentes virginalem illam faciem sua sibi flagitia tacitè exprobrantem. Procedente tempore abacta est importuna hæc antimarianorum colluuies, restauratum est templum, Dei Genitricis imago ad germanam veteris formam expressa, in quam æquè ac in priorem iconem vim miraculorum operatricem supernè Deus infu-

Tēplum Deiparæ Quesacensi conditur.

Collegium Canonicorū erigitur.

Vrbanus V. Quesac. tēplum adit.

Diruitur ab haeret. templum.

Restauratur cum Deiparæ statua.

Admiranda nibi olim edita. dit, è quibus pauca referre constitui nondum literarum monumentis consignata, quæ Marianus haud inuitè perleget lector.

Priore loco peruetus enarrabo prodigium, quod & magnum miraculum in memorialibus tabulis nonnullis hæretico turbine exemptis appellatur, in quibus asseritur adolescẽtem Biterris non procul oriundum surdum, mutum, cæcum, mox vt Quesacum venit, ac Deiparam religiosè salutauit, triplici hac corporis infirmitate liberatum, cuius rei testes recensiti sunt non pauci. Antiquæ huic Marianã virtute partæ curationi recentiores nonnullas attexam. Syluester Marcillacus Mimatensium Præsul, & Gabalitanus Comes paralysi non ita pridem affectus, vnum è domesticis Quesacum misit dato ei mandato, vt in illibatæ Virginis æde extractam cantu missam celebrari curaret; post

Recentia miracula. peractum ritè sacrificium extemplo conualuit æger, & in æternum valetudinis sibi miraculo redditæ monumentum subalaria fulcra, Sacerdotalem insuper trabeam Quesacensi Deiparæ templo donum dedit. Petrus Botuellius consimiliter ex paralysi decumbens, Diuæ Virginis Quesacensis opem supplex implorauit, edito (Caluinianus quippe erat) Catholicæ religionis amplectendæ voto, aditoque sa-

Sanati paralytici cræ virginis templo, membrorum quibus captus erat vsum, ac pristinas vires recuperauit, sed (quæ hominum est inconstantia) cùm singulari virginis ope difficilem curatu morbum depulisset, Caluinianum virus non exuit; igitur voti quod nuncuparat immemor, aut fortasse contemptor, idem in morbi genus incidit, ægerque omnino perstitit, donec iterato piè voto, & eiurata hæresi secundò conualuit; nunc Catholicorum adscriptus est cœtui, & ab hæretica familia procul dissitus, ne cùm mentem ab errorum sordibus expurgarit, fœdiùs in eas prolabatur. Contigit id anno 1651. Carolus item Mazellus 16. annorum adolescens Paralyticus par omnino inuocatæ Virginis auxilium expertus est, nam Sacramentis in Quesacensi Ecclesia religiosè susceptis, extemplo absque vllo adminiculo pedibus institit. Acceptum hoc sanitatis ab ægroto munus an 1654. Maij 14. Hæc de sanctissima Numinis totiusque humani generis parente referre meritò debui. Nunc reliqua sparsa per Galliam turbamenta prosequamur.

Condæus Fera potitur Hoc tempore hostium armis Fera in Picardia cesserat, cui statim vrbi regiorum insidias veritus, forte præsidium Condæus imposuerat, Francisco Personio in præfectum electo; illinc in Germaniam magnis itineribus contenderat auxiliares à protestantibus copias postulaturus, quòd supplementa sectæ Gallica regis cohortibus multò inferiora viderentur: hæc cùm Regi explorata forent, triplicem conscripsit exercitum in periclitantes regni partes transportandum, tres-

que iis ductores præfecit fortitudine & prudentia præliarium casuum moderatrice insignes, Matignonum Marescallum ad Feram oppugnãdam immittit, Bironum in Aquitaniam contra Nauarrum proficisci iubet, quam in prouinciam quia proniore semper animo Bironus fuerat, idcirco mitiùs eam habitum iri sperabat, optabatque Rex Nauarrum non vsque eò regio milite premi, quin virium aliquid ei superesset, quod in Meduanos sibi diu infensos exereret, Meduanum verò, ne fœderis principibus omni dignitate interdiceret, in Delphinatum contra Lesdiguierium destinat, sic à prouido Rege partibus regni debilioribus consultum, quò planum foret toto hoc, quo ab armis temperatum erat, otio, præclaram hunc artem esse meditatum, qua negotia profligandæ rebellioni necessaria partiretur in plures, eosque peridoneos ab omnibus iudicatos; nec enim Christianæ pietatis munia, quibus tum maximè intendebat Rex, quibusque bellicam elanguescere virtutem mentiebantur nonnulli, quidquam de regio robore subduxerunt, firmauit potiùs exercituum Deus Regis animum cum triplici hoc exercitu de Numinis hostibus triumphaturi. Meduanus Muram oppidum, tumultuario opere à Lesdiguierio munitum obsidione vallat, actisque cuniculis eius propugnacula disiicit, quibus obtriti sunt oppidani viceni supra centenos: qui hac ex clade superstites erant, in arcem perfugiunt, quinis munimentis in forcipis speciem extructis in colle firmatam, mox ob aquæ penuriam siti exusti Meduano cedere coacti sunt absque graui certamine, Regiorumque periculo.

Triplicem Rex parat exercitum.

Meduanus Murã capit.

Meduano Muram euertisse haud visum est satis, nisi pariter peruicaces Delphinatium mentes subrueret, quod victoriæ genus hoc nobilius est, quò difficilius esse putatur induratam hominum proteruiam, quam saxeas ædificiorum moles subigere, nam qua erat morum comitate paulatim in hæreticorum animos illabi, fouere impensiùs nobilitatem, molles ei aditus indulgere, largis promissionibus alere, beneficiis demereri instituit, quæ præcipuæ sunt artes nectendæ cum peruicacibus etiam amicitiæ, quibus solerter hic vsus, Delphinates Regi sibique hugonotos obstrinxit, prouinciam vniuersam pacauit, id denique absque armorum præsidio consequutus est, quod vix innumeris præliis plurima cæde cruentatis confici posset; adeò verum est efferatis Martis furoribus præpollere clementiam, si hostem comitate prouocet, aggerendis certet beneficiis, prosternat vt erigat, erigat vt coronet. Lesdiguierius ipse obuiâ Meduani humanitate delinitus, vnis his amicitiæ laqueis irretiri se posse perdocuit. Bironus non segniùs agebat in Aquitania occupatis locis aliquot, vnde non mediocriter

Delphinates hæreticos demulcet.

Bironus strenuè in Aquit. dimicat.

sectariorum accisæ sunt vires, inde Occitaniam peragrans, paribusque signans victoriis, ad Iordani insulam equi casu per lubricam viam lapsantis excussus est, ac crure duobus locis confracto retractus, cùm bellicis impar esset muneribus, armorum imperium in Carolum filium vix puberem transtulit, quod is viridi planè fortitudine gessit.

Fracto crure rem Carolo filio cōmittit.

Denique non improsperi Matignoni fuere conatus, Feram enim tametsi non sine nobilium multorum, quos secum duxerat, strage ad deditionem compulit. Has magni illi ductores Regis auspiciis freti pugnas fortunato satis successu pugnabant, dum perduellium mentes quod magis est arduum, Rex oppugnare contenderet, oblatâ itaque sapere deinceps pollicentibus veniâ, diploma tertio Iunij 1580. condidit, quo rata cuncta esse iussit, quæ eorundem in gratiam edicta longè ante præcesserant, cauitque ne quis eos deinceps vlla in re lædere attentaret, qui priuata in domo pacatè abiectisque armis deinceps agere in animum inducerent; itaque hinc factum est, vt complures longo bellorum tædio fatigati, maximè cùm sancita esset præteritorum obliuio regias ad partes redierint; redintegrata fuit pax, in qua regem inter & Nauarrum componenda sequester electus Alençonius Gursonii Comitis ædes petiit cum Nauarro Regis nomine colloquuturus, eódem Ludouicus Borbonius Monpenserii Dux, & Pomponius Bellieutus profecti sunt, hos proximè subsequutus est Arturus Cossæus. Cœtû ab vtriusque partis Magnatibus inito: auditæ confestim sectariorum expostulationes, noua sibi semper indulgeri petentium, vetera verò abrogari querentium; id autem contingere affirmabant aut quòd ardētiore Proreges in sectam odio deflagrarent, aut quæ condiderat Rex edicta interpretarentur malignius. Exin variæ partes inter rixæ conflatæ, quò citiùs consopirentur, in certa conuentum est capita, nouaque sectariis indulta sunt munera. Tantus quippe pacis amor Regem incesserat, vt eius instituendæ, altiusque fundandæ causa, de regia etiam non modicum autoritate delibari sineret. Blæsis tum agebat Rex eóque diuerterat quasi ad salubrius cælum, & à pestilentiæ lue Parisiis tum grassante remotum.

Matignonus Feram recuperat.

Institutus Regiorum procerū cœtus.

Multa secta indulta.

Inualuerat in vrbe hac Galliæ principe atrocissima morbi vis, quæ quadraginta capitum millia depasta horrendum sanè superstitibus spectaculum præbuit; & quanquam cumulatior longè vilis plebeculæ, quàm ditiorum strages foret, qui periculum imminens vitaturi varias variis in locis sedes defixerant, locupletibus tamen haud innoxius hic morbus fuit, quorum in ædes hospitibus vacuas nocturni diurnique fures irrumpebant, cuncta impunè direpturi; depellebat ipsis omnem contrahendæ luis metum in-

Lues Parisiis atrocissima.

Huius occasione Latrocinia & prædæ fiunt.

satiabilis prædandi libido, non minùs quàm lues ipsa exitiabilis. Ad arcendam immanem latrocinantium vim inanes penè fuerunt Præsidum curæ, & vix vllius roboris fuit mercatorum præfecti authoritas. Palabundus pestilentiæ præiuerat morbus, quem Verucecinum aut Coquelucham appellabant in Hispania ferè lethalis, apud Gallos verò mansuetior, hic tamen per totum serpsit exercitum, exin crebris varia Galliæ loca funeribus cumulauit, Ea tabes inferiorem primò dorsi spinam insolita plerumque occupabat horrore, cui grauedo capitis succedebat, tùm frequens tussis, grauisque pectori languor, ac in lethalem febrem plerumque degenerans. Neglectus hic morbus plerumque in salutem vertit, medicatis poculis & venæ sectione intendebatur, hoc periit Anna Philippi Regis vxor. Gregorius XIII. Pontifex Maximus eodem conflictatus vltimum vitæ periculum adiit. Et hic, quasi à cædibus regno toto aggerandis ferrum quieuisset, à Numine hostis est immissus scelerum vindex, quæ id temporis Galliam ferè totam inundarant; sic noxio sanguine, aut purulenta tabe repurgatum Galliæ corpus, quæ quasi reflorescentibus superstitum membris ad pacis otium aspirabat, atque hæc auspicatò cœpta, breui interrupta fuisset occasione rixæ inter Mompenserium affectæ iam ætatis & Ludouicum Niuerni Ducem exortæ, ni mox Regis ac Reginæ interuentu magno Catholicæ rei bono pristinam in concordiam rediissent. Magnatum vt pellucent noxæ, multosque in prauam sui æmulationem facilè perducunt; ita & si quæ oriantur inter eos discordiæ, tegi minimè possunt, magnumque reip. detrimentum pariunt dum in suam quisque factionem hominum multitudinem trahunt.

Verucecinus morbus.

Dum castigandis hominum noxis pestilentiæ lues inserpetet, moribus ad perfectum reuehendis impigrè ab sacri Ordinis Proceribus Meloduni laborabatur, quo in conuentu cùm proponerentur pleraque ad Ecclesiasticũ statum pertinentia, quæ augustiorem in formam redigenda viderentur, Ordinis totius suffragiis delectus est Arnaldus Pontacus Vasatensis Episcopus, vir singulari pietate doctrinaque insignis, qui proficisceretur ad Regem, ad quem orationem habuit liberrimam illam quidem, sed prudentia multa conditam, in qua tantis, quæ Galliam premerent cladibus amoliendis necessariam ostendit collapsæ disciplinæ restaurationem, ac prudentem præsulum tanto muneri idoneorũ delectum, quæ vt disciplina magis ac magis effloresceret, emendationem ex œcumenicæ Synodi Tridentinæ præscripto petendã esse ostendit, quam vt promulgari fineret, Cleri totius nomine supplex à Rege postulauit. In Præsulũ verò delectu multa peccari

Meloduni de morũ refor. agitur.

Arnaldi Pontaci Oratio ad Regem.

ostendit cum non leui onerandæ Regis conscientiæ periculo; molestum item sibi, reliquisque Cleri Primoribus graue contestatus est, quòd supra viginti Episcopatus deserti Præsulibus essent, quorum reditus locupletandis profanorum hominum familiis addiceretur: hancine eorum esse mentem qui opima hæc sacerdotia fundarant, iis vt, Ecclesiastico cultu omni abdicato, ad perfruendas commodè voluptates heluones abuterentur nonnulli, sacrumque Christi patrimonium non sine religionis contemptu in lustris popinisque decoquerent; cœnobia denique non pauca esse recensuit, quæ pueris, ac fœminis nobilibus præsertim traderentur in prædam. Ad quæ Rex omnia sic respondit, vt de Concilii Tridentini promulgatione maturè deliberaturum se promitteret, curaturumque deinceps, vt non nisi piis animarum pastoribus committeretur Ecclesiasticum regimen, qui editis Christianæ sanctitatis exemplis, eiusdem amorem altè in commissi sibi gregis mentibus imprimerent. Imposito huic conuentui fine, Præsules omnes, quibus immixti erant Ecclesiastici proceres alii, Regem adierunt, à quo per Nicolaum Angeleriū Briocensem in Armorica Præsulem etiam atque etiam postularunt, vt Concilii promulgationem in Gallia permitteret, cùm id firmum aduersus hæreses censeretur præsidium, in quo dominatus esset veritatis Spiritus, qui spiritum erroris proturbaret atque conficeret, cœlesti eius afflatu difflatum iri falsissima Caluini contra religionem dogmata; meminisset à sancto Remigio Francorum Apostolo profectam hanc vocem, quæ oraculi loco semper habita fuit, tandiu triumphaturam de hostibus suis Galliam, quandiu Reges aleret Catholicæ prouehendæ rei studiosos, quod arreptum à Clodouæo confestim oraculum est, & ad successores Reges cum Francico sceptro transmissum.

Respondet Rex.

Postulatur promulgatio Concilij Tridentini.

Sub id Ioannes Monlucius Valentinus Episcopus Tolosæ ex morbo decumbens Pliniano huic effato veritatem suam asseruit Optimos esse nos, dum infirmi sumus; tunc enim Deum, tunc homines nos esse meminimus; atque vtinam tales esse sani perseueraremus, quales nos futuros profitemur infirmi, hic tum Romanam religionem castè integréque professus est, Paulus alter fortior cùm infirmaretur; sicque suspicionem hæresis absterfit, quâ tum in Gallia, tum Romæ præsertim laborabat, moriturus Societatis IESV Patres euocari iussit, quorum ex monitis totus penderet, eorumque ductu arduum æternitatis iter emetiretur; quare si aulæ plus nimio deditus pleraque de religione proloquutus erat, quæ præsulem dedecerent, hæc omnia postremo vitæ actu piè, generoséque refutauit. Cæterùm Doctrinæ, ingeniique præstantia quanta in eo fuerit, æstimari haud facilè

Pius Monlucij Valentini Præsulis obitus.

potest, vix enim præclaris his animi dotibus pares habuit aliquos, superiorem neminem. Fato etiam concessit Alençonius multarum palmarum auidus adolescens, pluribus dignus, vix vnius compos; plus satis edoctus inane plerumque illud esse, quod extra Galliam, culmen dignitatis ambitur, Hæreticorum item genium hunc esse, quas diutiùs aluerunt spes, momento atterere; illusum quippe huic fuit ab Angla Regina per promissas ac repromissas matrimoniales tabulas, à Belgis per dignitates oblatas, seròque didicit Regis fratri tutius nihil esse, quàm si pro Rege & cum Rege sit semper, hostiumque loco ducendos, qui inter regia cognatione deuinctos iurgiorũ semina spargunt. Calendis Maij sanguine è toto corpore prorumpente, quasi venis è citatiore equitatione perruptis decubuit; die verò Iunij decima procuratus omnibus ritè sacramentis viuere desiit. Sunt qui accelerat am illi dolo mortem asserant, & venenatæ potionis apparuisse vestigia; corpore fuit modico, scitè tamen compacto, summa in suos comitate, in hostes clementiâ, nimius ambitu, animi inquies, consilij præceps, quæ potissimum vitia iuniorum Principum vitam dehonestant, deficiente prudentiæ in lubrica hac ætate temperamento. Postremis testamenti codicillis hæc mœrens expresserat. Complurium fortunas, luctus, gemitusque mecum in tumulum infero, nec integrum mihi fuit complures in obsequio mihi præstando facultatibus suis exhaustos solari vlla mercede, & gratiarum vicem reponere. Mœrorem igitur meum ex parte Rex lenies, iis si, pro ea qua fratrem amplecteris charitate, prospectum esse velis: hoc vnum tibi iustitiæ quantocyus adimplendæ munus committo, legaturus vtique tibi tanquam hæredi, si quæ mei iuris imperia forent. Id ergo præstare non grauaberis, vt in exequiis meis, quod pompæ detrahi cupio, subleuandæ famulorum meorum inopiæ impendatur, vt lamentari condiscant, non quòd profusæ pro Alençonio facultates suæ sint, sed quòd præreptus ille sibi fuerit, qui eas cumulatè reddiderit. Parentalia Lutetiæ Parisiorum celebrata, quibus Rex cum Regina interfuit præter Regum morem à feralibus huiusmodi cœtibus abstinentium., Demortui corpus in Sandionysianis Maiorum Regum monumentis conditum. Dignus æuo maiore iuuenis fuit vix tricesimum prætergressus annum, sed in Reges ipsos imperium est mortis cæco quodam ruentis impetu, fortes ætatesque hominum discriminare insuetæ. Encomiasticam in funere orationem habuit Reginaldus Belnensis Archiepiscopus Bituricensis eius Cancellarius, in qua vix res ab eo in Belgio gestas attigit, has enim cùm ambiguæ famæ essent, tanquam scopulum Regis iussu prætereuectus est, aliis quippe capiti-

Moritur Alençonius.

Postrema eius Verba.

Pietas.

Iustitia.

Oratio funebris ab Archiep. Bitur. habita.

bus ampla satis Regii Iuuenis perrexi poterat laus, quod scitè præstitit Orator omnes eloquentiæ vires exerens, quibus regiæ stirpis magnitudinem attolleret, qui titulus reliquis facilè præstabat dignitatū prærogatiuis, & quia iuueni præcox obrigerat fatum, multa de ineluctabili mortis necessitate præfatus est, quæ adultas mortalium spes omnes elidat, præclaris heroum ad summa semper tendentium conatibus inuideat, seniorum ad ianuas præsto sit semper, florentem iuuenum gregem ex insidiis adoriatur, Mortale esse quidquid mortalium in deliciis est, ideoque non vt immortale amandum; exiguum esse quod viuimus, atque ex hoc perexiguo nimium quantum nobis deradi; plurimum enim è concessâ nobis vitæ vsurâ deplent ægritudines, sollicitudines detrahunt, magnam partem teneri & inutiles anni sibi vendicant. Hæc orator compositis & elegantibus verbis cum non modico auditorum plausu, frugeque disseruit.

Redintegratur fœderatorum factio & cur?

Alençonii requietē sequuti sunt crebri discordiarum turbines, nam quæ euoluto annorū aliquot spatio suopte impetu nullaque adhibita vi conciderat, aut concidisse videbatur fœderatorum factio, peiùs longè quàm olim exarsit, incendentibus Catholicorum Proceribus, nam extincto Regis fratre nondum vxorato, & Rege post decimum coniugii annum improle, ac propagandæ sobolis spe propemodum casso, manifestam hinc religioni cladem à Nauarro regni hærede importandam colligebant. Nam quòd florentissimum Angliæ regnum in tam abhorrentes à veteri cultu opiniones prolapsum fuerit, Henrico VIII. Angliæ Regi vitio datum esse meminerant, pluribus nuptiis, iisque ex legibus infami; è fœda enim huius libidine errorum virus diminauit, quod Insulâ totâ sparsum est, quæ deinde Mariæ eiusdem filiæ ac Reginæ studio pristinū ad religionis decus reuocata, easdem ad ineptias, dum imperaret Elizabetha, reuoluta est, hæc enim sub specioso virginis habitu, tam incenso studio corruptam fouit protestantium religionem, vt pro ea stabilenda sanctissimos Catholici ritus Sacerdotes crudelissimis mactari suppliciis iusserit, atque hinc factum, vt prauis Reginæ dogmatis innumeri ferè adhæserint, enim verò non tantùm ad Principum mores, sed ad eam etiam quam profitentur religionem dilabuntur facilè subditi, quodque illi arripuerint vitæ institutum, honestum sibi & vtile parant, imò Principum mores imitari, genus quoddam obsequii credunt. Hæc præfati Proceres Nauarrum Caluinianæ sectæ innutritum id ausurum in Gallia, si regni tandem compos fieret asserebant; quod Henricus & Elizabetha moliti in Anglia fuerant; hunc aut oblatâ obsequentibus gratiâ, aut stricto in obsistentes ferro pestilens Caluinianæ religionis venenum

proseminaturum

profeminaturum vbique, nec se agnituram deinceps Galliam exuto Romanæ fidei candore, atra mox errorum fuligine deturpādam; quocirca fœderatorum & armis & animis opus esse, debilitanda in Gallia hæresis membra, dum hæreticum Regem nondum haberet in caput, cuius patrocinio & autoritate subnixa profligari deinde non posset.

Hæc fœderati tacitè primùm inter se mussare auditi, tum apertè proloqui, maximè cùm Rex (vt referunt aliqui) inertiore diffluens otio, non apud plebeios tantùm, sed & apud nobilitatem ipsam cuiluisset: cùm sparsus rumor esset haud ita pronum eum esse, & affectum erga Catholicos; item quod Geneuensium patrocinium suscepisset, quod sectarijs conuentuum agendorum copiam faceret: quæ omnia mirè sollicitum Regem habebant à sectariis semper auersum, sed mollioribus armis, quàm quæ fœderati obtruderent, oppugnandos eos esse iudicantem. Hic cùm inscius haud quaquam esset Galliæ regnum ad Nauarrum quippe legitimum hæredem, deuoluendum, si humanitus aliquid sibi contingeret, & portenti instar in Gallia fore Regem aliquem esse non Catholicum, regias eò curas omnes intendit, vt Nauarrum ab Religionis, cui mordicus adhærebat, inanitate abductum ad Romanæ fidei veritatem transferret; quod vt faciliùs assequeretur, explorandum in primis censuit quorsum pertinerent hugonotorum consilia, quid nunc, quid ad extremum moliri satagerent; & quia publicis in conuentibus penitiores plerumque mentium recessus apertam proferuntur in lucem, his colloquendi apud Montalbanum potestatem fecit, atque eò missus qui occultas eorum artes rimaretur Pomponius Bellievrus. Illic à sectariis actum præsertim est de variis opprimendæ factionis viis, & promptissimam ad hoc sibi Regis opem & gratiam fore sperabant, si Guisium, quem rebatur ipse factionis principem, oblata hac occasione opprimeret. Sub id Nogaretium Espernonium gratia plurimùm in aula pollentem ad Nauarrum proficisci Rex iussit, ei vt salutaria de mutanda religione consilia ingereret, commoneretque propter diuturnam eius in errore tuendo pertinaciam fœderatis vires animosque in dies accrescere, vnum hunc ab iis animo verboque destinari, contra quem & assurrexerint multi, & plures adhuc è summâ nobilitate assurrecturi sint; in hac religionis disparitate regni pacem salutemque consistere minimè posse: Regem Alençonio morte sublato eum potissimum delegisse, quem fratris loco deinceps haberet, transmitteretque dotale Galliæ regnum, ni vota sua interuerteret dissonus ille fidei cultus, quem in Rege Galli nunquam toleraturi sint. Ad hæc nihil optatius esse Regi quàm eius consortio frui; hunc regiorum consiliorum par-

Espernonius ad Nauarrū missus.

ticipem ac principem fore, velle preterea cum eo partiri Gallicorum negotiorum molem immensam, quò toti olim ponderi sustinendo insuescat.

Hortatur vt Caluin. errores deponat.

Praua consilia Nauarro suggerunt prædicantes.

Pia hæc monita Nauarro suggerebat Espernonius, quibus haud dissentire videbatur, sed Ministrorum ingruentium grex à præclaris hisce Principem absterrebat consiliis, Nam cùm in Rege turpis esse putetur sententiæ mutatio, leuitati mentis ascriptum iri dicebant, si haustam ab incunabulis fidem & à progenitoribus sibi cum regno transmissam inani obtinendi regni alterius spe prolectatus abiiceret; in sapientem hoc maximè cadere, vt è præteritarum rerum intuitu, de iis quæ venturæ sunt, sententiam ferat; id si diligenter præstetur, humanam rarò collabi prudentiam: quare si ad ea quæ antè contigerant, mentem appelleret, sagaciterque cuncta disquireret, intellecturum plus satis aut nihil aut certè fidei perparum in ingentibus illis pollicitationibus collocandum; nec aliò dilabendum esse, eorum vt inanitatem agnosceret, semetipsum tantùm inspiceret toties amplissima quæque regni sperare iussum, toties ludificatum, & quanquam absque vllo fallendi consilio magnifica sponderet Rex, difficulter tamen promissa facturum, quòd attritæ magnâ ex parte Gallicæ vires essent, ac propterea Regis apud subditos ferè omnes imminuta videretur autoritas. Denique si Caluinianum dogma eiurare in animum induceret, haud propterea conciliaturum sibi Catholicorum animos, interpretaturos quippe plerosque omnes non Romanam ab eo religionem, sed laruam religionis ad tempus indutam, mox cùm votorum summa attigerit, exuendam. Hæc obtendebant Prædicantes hæretici, Marmetus præsertim nescio quis, Neracensis Pastor, stomachante identidem qui tum aderat Antonio Rupilaureo, hic politica ratione Ministrum euicturus, Eia (inquit) Marmete, Maroticas hinc cantilenas, illinc verò Galliæ sceptrum & diadema coràm statue, an tu Nauarro autor sis, vt rhythmicis cantionibus istis non tam ad lucernam, quàm ad amphoram elaboratis imperium Gallicum postpositum velit. Irrita fuit Espernonij ad Nauarrum oratio Ministrorum clamoribus expugnatum, fidem quidem obligatam iam diu Regi habere se dixit, tamen non satis nominis sui splendori consulturum censuit, si toties quasi anxius mentis & inquies religionem demutaret, decretum itaque omnino sibi in ea quam à puero hausisset, stare firmiter; quòd si nouo quodam lumine collustratus Catholicorum in partes transire statueret, id neutiquam præstiturum se absque explanatis sibi priùs per Doctores aliquot Catholicæ religionis mysteriis, apud sectarios controuerti solitis, quo persuasum foret omni-

Iocularè Rupilaurei dictum.

Irrita ad Nauarrum legatio.

bus nolle se in religionis causa dolo grassari, quæ regnis omnibus præhaberi meritò debet. Certum item ac exploratum sibi esse adiecit diuina ope subnixo haud quaquam præualituram fœderatorum vim; acuant (inquit) omnes in me ferrum, in salutem meam factiosi conspirent; eos ego mactabo prout meriti sunt, infestorum mihi hostium capita conteram, securus victoriæ, adnexæque conatibus meis felicitatis.

Re igitur improsperè gesta Espernonius Regem adiit pessimè apud Catholicos legationis eius nomine audientem, nam fœderati in res suas vnicè intenti subdolè tentatum aliquid suspicabantur, quasi Espernonio datum ab Rege negotiũ fuisset Nauarri in occultum quoddam aduersus Catholicos fœdus sollicitandi; atque ita Galliæ regnum destinari hæretico, & quod peius videbatur, relapso, qui sacrilega contra Orthodoxorum religionem arma Galliæque vires conuerteret, addebant & illud sæpius repetitum, prostare satis hæc labefactatæ religionis exempla, cùm variis in locis, tum præsertim in Anglia, vbi tot erecta sint pegmata continuandæ aduersus Catholicos carnificinæ, perfurere totâ hac insulâ hæreticæ Reginæ gladium infinitorum sanguine cruentatum; templa Sacerdotibus, cœnobia Monachis exhauriri, sanctissimos Ecclesiarum administros ex ipsis Ecclesiarum asylis barbara quadam feritate ad lanienam raptari; propiùs nihil iam esse, quàm vt consimile horroris & crudelitatis theatrum excitetur in Gallia; atque vt hæc altiùs omnium animis defigerentur, Christianorum Anglorum supplicia, veriùs martyria viuis expressa coloribus palàm exhibebant, triste ad recordationem exemplar & ad precauendum simile, vtile documentum; ægrè id etiam ferebant Catholici, quòd in equestrem cruralis fasciolæ ordinem allectus ab Angla fuisset Henricus Rex; hæc enim arcani cuiusdam fœderis cum hæretica iungendi primordia esse vulgabant; alia etiam atque alia malignè interpretabantur, quę subditos ab Rege distraherent cõscientiâ freto, & à gratia hæreticis impertienda, aut ineunda cum iisdem societate alieno: & quia obtrectatio pronis auribus accipitur, credebatur id à plerisque. Nẽpe ex aduentitiis omnibus crescit suspicio, & cum suspicione audacia. Rei sunt cõplures non quòd quidquam in se criminis admiserint, sed quòd humanæ in disquirendo coniecturæ peccarint; ideò suspicacium somniis & ludibriis subjacet hominum fama probine verè an secus sint homines, raró indagatur; grauiora & maiora veris proponit anticipata opinio.

Fœderati malè suspicantur de Rege.

Anglorũ Cathol. martyria repræsẽtant.

Ab opinione pendemus.

Latissimè spargebantur suspiciones huiusmodi de rege commotæ, è primatis enim ædibus in quadriuia, illinc in oppida incredibili cele-

ritate permeabant, iamque complurium animis ficta hæc opinio insederat pronum in Hæreticos Regem esse, expedienda itaque pro religione verique cultu Numinis arma, hæresim sine mora profligandam, exterminandos eius esse cultores; sic regi Regiæque familiæ apprimè consultum iri, cuius existimationi labis aliquid allini videbatur. Hæc cùm perferrentur ad Regem, passimque cœtus à fœderatis haberentur, clandestini delectus fierent, omnia denique ad intestinum bellum comparata esse viderentur, exarsit illico Rex aduersus coniurationis autores, qui sparsis mendaciis plebeculam ad arma capienda sollicitarent. Ac principio quidem disturbaturus quidquid factio inchoarat, ad S. Germani castellum edictum condidit, quo cœtus societatesque prohibuit, pœnâ in eos qui criminis huius comperti essent, aut alios ad idem impellerent læsæ majestatis sancitâ; idque diploma ad senatum mitti iussit, quod in eo recitatum est, tristi potiùs omnium silentio quam assensu, fera nimis esse remedia obiectantium; prætereà non futilibus scriptis, sed igne & ferro adultam & corroboratam factionem expugnandam esse mussantium; nec parcendum omnino ferro ducebat Henricus Rex, vt debilitaretur factio, ac importunior obtrectandi minueretur libertas; expertus siquidem haud ita pridem fuerat Petrus Bellauilla quid exedendum sibi interat temeritas linguæ, maximè si Regum majestatem concerpat. Is è Perticensi nobilitate cò vesaniæ proruperat, vt editâ in Regem satyrâ priuatam eius vitam, ac præcipuos regni Consiliarios petulantissimè insectari non dubitaret. Atque hæc conuitiandi licentia à Religionis libertate petita (Caluinianus quippe erat) congruâ pœnâ, quæ mutire post hæc eundem non fineret, mulctata iure fuit, Lutetiam enim ductus, in platea vrbis majore ante publicas ædes publico spectaculo suspensus est, quòd propter criminis atrocitatem nobilitatis prærogatiuâ excidisset, Corpus denique cum famoso libello combustum, quod à sectariis indignè acceptum est causantibus tam graui, tamque probrosâ pœnâ expiandam minimè fuisse culpam, quæ intra verba aut scripta stetisset, quasi verò lingua vniuersitas iniquitatis non sit; ideoque punienda, quia coërcenda iniquitas.

Edictum in clandestinos cœtus.

Bellauilla famosæ satyræ scriptor suspendio necatus.



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB EODEM HENRICO III. REGE.

LIBER OCTAVVS.

Ab Anno Christi 1584. *ad Annum* 1587.



Vindicatâ nominis sui contumeliâ, ad irrogatas Numini castigandas iniurias progressus Henricus Rex, sacrilega in Deum ac Cælites omnes petulantium linguarum probra, repetitis quæ iam antè condiderat edictis seuerè inhibuit; sic corruptam superiorum temporum licentiâ nobilium sibi famulantium aulam, in eam quam sperabat frugem opportunè reduxit; consimile aut maius etiam aliquantò studium ad repurgandum hæresi regnum allaturus, nisi contumacior hæc pestis

Henricus Rex blasphemias coërcet.

curaturi etiam Regis manum autoritatemque respueret. Ne tamen nobilissimum hoc opus abiecisse prorsus videretur, vt lentiora, sic & mitiora remedia contulit, sequutus indolem ad indulgendum pronam & ignoscendum; indeque factum est vt hæresim quæ detestabilis erat Galliæ struma sic demum exsecari præciperet, vt parceretur hæreticis; satis pœnarum daturos affirmans, eos si à præfecturis, quibus acriter inhiant plerumque mortales, earundemque spe deinceps obtinendarum excluderet. Præterea in dispensanda Regum more gratia, statuit longè cumulatiore perfruituros Catholicos, quàm Hugonotos aulæ asseclas, & iure id quidem, nam rectè sapientes admonent dignis conferenda esse beneficia, quæ cum sine delectu tribuimus, magis proiicimus quàm damus. Hæc hæreticorum deiectio cùm in Catholicorum decus & sublationem verteret, secus tamen interpretabantur horum plerique, diligenterque cauebant, ne se strophis huiusmodi semel iterumque delusos deinceps circumueniri permitterent; notam quippe satis esse Henrici Regis calliditatem, ac simulandi peritiam, tametsi longo circunfusus precantium agmine; Christi, qui suprema est veritas, in cruce pendentis simulacrum prætenderet, haud facilè flagellantium sacco tegi posse quæ Rex in Catholicos ac religionem ipsam iam pridem aluerat alebatque de nouo consilia; citò laruâ decussâ ruituram personatam hanc Christianæ religionis pompam; quantò sanctius, aptiùsque regiæ dignitati faceret, si ablegatis his fucatæ pietatis, ad quæ non astringitur operibus, in hæc quæ suarum sunt partium diligẽter incumberet, si populum vectigalium oneret fatiscentem subleuaret, si primores de Romana religione bene meritos gratiâ suâ non excluderet, eosque ab aula & publicæ rei gubernatione non semoueret; vt eorum in locum sufficeret, qui Catholicorum quidem nomen ambirent, hæreticorum verò, Nauarri præsertim partes omni ope tueri nunquam absisterent.

Præcipua regni munera Catholicis indulget.

Id perperam interpretantur etiam Catholici.

Hunc in modum edisserebant fœderatorum Principes nonnulli, Regisque continui, atque è quorundam opinione progrediebantur vltra, quam decuisset Regum asseclas; nam si quid in Henrico Rege næui tum erat, non continuò traducere & vulgare debuerant; sed molliore quadam viâ Regem aggredi, excusare quod temporum iniquitate peccatũ erat, meminisse denique haud facilè coërceri Regum iram, sed in eos à quibus violatos se putant, ruptis obicibus more torrentis effundi, quod denique contigit, & in eorum perniciem vertit; verùm vt sic agerent, obligari se religione dicebant; vel ipsa sanguinis profusione Romanam tutandam esse fidem, quam à Nauarro Rege hæretico, & ab Henrico Galliæ Rege Nauarri vt suspicabantur

Sacrum fœdus ad fidei tutelã institutum.

fautore malè iam haberi censebat, peiùs verò habendam augurabantur. Atque hic conflandæ, aut renouandæ potiùs societatis scopus obtentusque præcipuus fuit, quam societatē seu sanctum quod appellabant fœdus, sacris in Ecclesiarum exedris mirum in modum promouebant Oratores sacri, atque vt auditores ad illud ineundum pellicerent, adhibebant omnem eloquentiæ vim; Romanam religionem diurnis nocturnisque grassantium luporum insidiis circunsessam esse affirmabant, quam qui è tantis extricarent periculis & in tuto collocarent; enim verò inter Ecclesiasticos heroes meritò cooptandos esse prædicabant. Hæc cùm peracri oratione exponerent, eos in auditoribus conciebant motus, vt præclarum omnes sibi putarent pro Christiana religione defendenda, profliganda verò hæreticorum nouitate fortiter emori, quamobrem, qui in fœderatorum societatem commigrarent, accedebant noui quotidie commilitones, primariæ dignationis viri; quanquam horum non pauci priuatas potiùs offensiones vlturi, quàm studio religionis inducti ascribi se petebant in fœdus, præsertim quòd indignè ferrent extorres ex aula se esse, regis amicitiā in iuuenum gregem nihil tale promeritorum sine vllo delectu traductā; aut quod ingenti quam deuorauerant, spe frustrarentur à Rege, quos inter censebantur Guido Lansacus, Franciscus Sanlucius, aliique fortè non pauci. At Vinio iustior inerat expostulandi causa, quòd in variarum præfecturarum & meritorum regiorum despensatione prę-teritus semper fuisset, non his vtique indignus muneribus, cùm Regem, ne à catapúltariis iaculatoribus necaretur, corpore suo texisset, id autem adeò certum & exploratum esse, vt nemo nesciret, nemo non prædicaret vbique; dissimulabat verò Rex beneficium, aut non satis agnoscebat, quasi Regem profiteri suppuderet, ei se debere vitam qui ipsum inter & hostes medium se constituerat, hostilesque pilas pectore tanquam clypeo exceperat; præclari huius facinoris conscios non modò quotquot in Rupellensi obsidione Duces ac milites ad fuerant; sed locupletiores esse testes dicebat, quæ in corpore missilibus igneis pro Rege pluribus locis per fosso impressę superérant cicatrices.

Commendatur ab Ecclesiasticis oratoribus.

Queruntur proceres in dignitatum dispēsatione præteriri se

Vinius præsertim iustè queri videtur.

Ioannes Emericus Villierii toparcha, Mandelotus Lugduni Gubernator cum fœderatis societatē inierant; Archiepiscopus ipse Lugdunensis morum grauitate & prudentia nemini secundus eidem fœderi subscripserat, tum vt religioni magnis dissensionū fluctibus ia ctatæ succurreret, tum vt Guisiorum, quorum in fide & amicitia momenti plurimum reponebat, transiret in partes; tum etiam vt exulceratum se ab Espernonio, & infra dignitatem habitum demonstraret, cuius opera nihil propius factum esse resciierat, quàm vt ex aula, imò etiam

In fœderatorum societatem ascribūtur Primates.

è Regis gratia cum non leui famæ suæ iactura decideret. In idem etiam fœdus vltrò coalescebant viri admodum graues supremarum curiarum Præsides constituti, senatores item, causarum patroni, aliique complures, quorum hic edere nomina, nihil ad propositum interesse puto. Accedebant Ordinis sacri proceres, Cardinales, Præsules, quorum autoritate subnixa debilis adhuc fore videbatur factio, nisi à Regii sanguinis Principe firmamentum aliquod & dignitatem hauriret: quocirca circunspectantibus perquam accuratè societatis initæ proceribus ac quærentibus vnum aliquem, in quem tota fœderis moles incumberet, occurrit illico Cardinalis Borbonius, quem obiectâ potiundi Gallici regni illecebrâ primùm aggressi, exposuere deinde calamitosum collabentis regni statum: cui vt subueniret, cùm ab antiqua maiorum Regum pietate, tum à sacra purpura satis excitabatur: atque vt non cassam adeundi regni spem esse demonstrarēt è regia eum stirpe oriundum esse monebant, Nauarri patruum, regiis Principibus reliquis grandiorem natu, saltem cum Nauarro de regij sanguinis prærogatiua contendere posse, cui haud dubiè Romanæ religionis, quam profiteretur, intuitu, præponendus foret, collecturus etiam armata ad id euincendum fœderatorum suffragia, atque hinc conficiebant auctius longe incrementum accepturam esse societatem, exclusis à regni spe Principibus Caluiniana lue imbutis, quod omni ope moliebantur, ne videlicet in Gallia portentorum experte monstrosus hic ederetur partus, qui hæretico è capite, membris verò compingeretur Catholicis: quò autem spem regni maiorem Cardinalis hauriret, non solùm Orthodoxorum votis, sed etiam legum pro eo pugnantium vi in amplissimum & hæreditarium regnum induci asseuerabant, & quia flagrantior est cunctis affectibus dominandi cupiditas, haud difficulter irrepserunt in Cardinalis animum, his non modò non repugnantis, sed ea vltrò appetentis. Gestiebat gaudio senex inualidus tum propter regni spem, quod tanquam successionis iure suum ambiebat, securus conscientiæ, id si adiret, tum maximè quod à partibus is potissimum deligeretur, vt collabentem religionem erigeret, quam pessundaturus foret Nauarrus si clauum regni teneret: nam si modici regni possessor in eam adeò violenter insurgeret, quid porro moliturus non esset, si vtroque regno potitus, vires ad eandem labefactandam adunaret. Atque hic in fœderatis animorum sensus, nihil tum in ore frequentius.

Cardinales.

Præsules.

In fœdus idē allicitur Cardin. Borbonius spe Gallici Sceptri proposita.

Interea Cardinalis amplissimos iis honores impertiri à quibus tantopere coleretur, ac Guisiis præsertim, eorumque sequi arbitria omnino statuit, quin & se fœderis principem appellari sustinuit, vnde

Card Borbonius Dux fœderis.

vnde qui hæc propiùs aduertebant, in Cardinali simile quid Camelo inesse festinè iocabantur, incuruare quippe eum coram fœderatis genua, dum graui regni moli ceruicem subiiceret. Sed eneruis adhuc factio seu *liga* erat (sic enim gallicè vocabatur) absque pecuniarum robore, quarum comparanda ingens vis erat; vnde autem pararetur, non anxiè ad modum inquirebatur, cùm exploratum esset Regem Catholicum non passurum quidquam hac in re à fœderatis desiderari; nam cum Peronæ nata primùm esset hæc factio, neutiquam id displicere sibi ostenderat, ex intricatis impeditisque Galliæ rebus Hispaniensem haud ex vano nascituram pacem præsagiens, Galli siquidem intestinis bellis occupati hostile nihil in Belgio protestantibus Belgis moliri poterant. Præterea non tantùm Romanæ religionis interesse putabat, vt Nauarrus omni adeundi Galliæ regni spe deiiceretur, sed hispanicarum rerum statum idem omnino exigere non dissimulabat, nam præreptam Maioribus suis Regibus ab Hispano Nauarram flagrantibus votis expetebat Nauarrus, indignéque ferebat ex hæreditario deturbari se regno, ludificari se Regem ab extraneo Rege tot sceptrorum potiente, pluribus adhuc regnis inhianti; vnde ne aperto marte abstractum sibi regnum repetere comparatis viribus instaret, eum coniuratis factionis armis profligari vehementer optabat Philippus, atque ad augendum fœderis illius robur largè de suo pollicebatur & magnificè: nec tamen quam cum Henrico Galliæ Rege pepigerat pacem disturbare per hanc occasionem vllatenus attentabat; nam si Alençonius copiis fretus ab Henrico Rege instructis in Belgarum dominationem ac tutelam tam festinus accurrerat, quos repentina rebellio à pristino Catholicorum Regum iugo distraxerat; nihil asperius in Galliæ regem ausurum se palam affirmabat; si hæreticos è Christianissimo regno deiicere eorumque Duci Nauarro regnandi spem omnem adimere conaretur; sedatè tulisse se arma Gallica in dotalem Austriacorum prouinciam transportata; non ægrè igitur Henrico Regi futurum, si Hispanicus miles immitteretur in Galliam, qui exterminata perduellium omnium fœce, tranquillaret potiùs regnum, quàm obturbaret.

Fœdus sine pecuniis eneru.

Opes pollicetur Rex Catholicus.

Tanto subnixi patrono mirum in modum accreuere fœderatorum animi, quare non iam de bellico præsidio solliciti quod certò ex Hispania sperabatur, pridie Cal. Ianuar. an 1585. ne quid turbidè aggrederentur, in Ionuillæ arce conuentum ineunt, quò Philippi Catholici Regis nomine Ioannes Baptista Taxis sancti Iacobi eques, exercituum curator, & Ioannes Moreus Rhodiensis item eques interuenere, Adfuerunt Catholicorum Principum Franciæ nomine Franciscus Ron-

Fœderatorū cœtus Ionuillæ.

Adsunt Hispani & Galli.

cerollius Meneuilla, Caroli Borbonii Cardinalis primi regii sanguinis Principis ac legitimi regni hæredis (hos enim sibi vendicabat titulos) Procurator; Henricus ipse Guisæ Dux, ac Meduanus eius frater tum suo, tum Ludouici Cardinalis fratris, Caroli Aumalii & Caroli Ellebouii patruelium nomine; atque vt fieri assolet, initio præfati sunt ob id potissimum conuenisse se, vt Catholicæ Religioni, quàm saluam & incolumem omnibus in regni partibus optarent, communibus armis succurrerent; eius impugnatores profligarent: pro hac autem ab hostibus telis fraudibusque defendenda, crebra Regi vota precesque in cassum obtulisse dixerunt. Itaque cùm non infestas minùs Belgicas prouincias, quàm Gallicas haberet hæresis, ac non leue periculum foret, ne latiùs longiúsque proserpendo, virus in Europã se totam diffunderet Apostolorum, aut Apostolicorum virorum laboribus excultam, veraque olim religione imbutam, tum ne post cælestes illos satus copiosa, quæ sperabatur messis, intercideret, in has Proceres fœderati conditiones cogi se dixerunt, vt si absque mascula, & legitima sobole Henricum Galliæ Regem emori contingeret, Cardinalis Borbonius tanquam legitimus & proximus regni hæres annitentibus fœderis principibus Rex legitimus renũciaretur, cùm ei non regii tantùm sanguinis prærogatiua, sed & religionis causa quàm Galliæ semper Reges coluere, suffragaretur. Latũ præterea vt à regni successione eunčti Principes excluderẽtur, qui hæretici iam erant, aut relapsi, aut hæreticorum fautores. Item quia superstite adhuc Rege occultis in Galliæ regimen artibus irrepere conabantur Hugonoti, sancitum est, vt iis per fœderatorum arma præcideretur omnis ad id assequendum via; statutumque, vt vnius Catholicæ religionis cultus foueretur in regno, cæteræ verò religiones tanquam impiæ regnique perturbatrices exularent, Hæreticorum item grex aut proscriberetur è Gallia, aut Orthodoxorum armis subačtus à Caluinianis profitendis erroribus absisteret. Postulatum insuper, vt Cardinalis post partum sibi regnum ad hæc omnia quàm ocyssimè præstanda regias curas omnes intenderet.

Quid hoc in cõuẽtu actũ?

Excludũtur hæretici à Gallico sceptro.

Et religiones præter Romanam omnes.

Et quia multi per id temporis in Ecclesiam & Ecclesiasticos ritus abusus irrepserant, rogatus est Cardinalis idem, vt Concilii Tridentini decreta ac constitutiones toto regno promulgari seruarique curaret, tum etiam vt obstringeret se, tum suo, tum successorum Regum nomine, nunquam se fœdus cum Turco percussurum, neque assensurum, aut his vnquam subscripturum, quæ nefarius hostis contra Orthodoxam religionem strueret, prohibiturum item se promitteret, ne ex per mare deinceps excursiones fierent, quæ liberam Hispanis In-

Decreta ad Ecclesiasticos tollendos abusus.

Fœderatis Quid spopõderit Rex Catholicus.

diam versus nauigationem impedirent. Ad pleraque alia Cardinalis adigebatur Hispanicis rebus accommodata, quibus vt aliquid Philippus Rex Catholicus in grati animi specimen reponeret, quinquaginta in singulos menses aureorum millia factioni prouchendæ spopondit, regiam insuper Cardinali Borbonio, Guisiis Principibus, alisque fœderatis aduersus impugnatores pollicitus opem. Inducti etiam fœderati ad auxilium Philippo vicissim præstandum, cunctisque viribus enitendum, vt loca, quibus à sectariis Philippus spoliatus fuerat, restituerentur, ac nominatim Cameracensis vrbs, cum arce & apparatu omni bellico, quo priusquam caperetur, instructa fuerat. Quòd si Philippus ipse iusto hæc marte repetere aggrederetur, decretum est, vt cum eo fœderati principes arma consociarent, cumque milite & commeatu iuuare tenerentur: Cautum denique est, ne Rex Catholicus idem & Principes Catholici fœderati cum Rege Christianissimo, aut alio quouis Principe agere aut pacisci aggrederentur, nisi ex vtriusque partis assensu. *Quid Cath. Regi fœderati.*

Hæc in vniuersum à fœderatis stabilita, malorum, quæ postmodum miseram Galliam attriuerunt, fuere primordia, quodque salutare regno putabatur, vt à scriptoribus traditur, in perniciem vertit, malè consulto in pluribus Deo. Nam fœderati quanquam incredibile in nouandis renouandisque factionibus propagandæ religionis studium præ se ferrent; tamen (quod iidem affirmant autores) externi Principis artes, opemque implorare non decuit, nec quidquam id profuit, quin & veriùs obfuit, nam cùm vindicandæ ab hostium iniuria religionis obtentu Rex Catholicus in Galliam per armatos irrumperet, age verò an non florentissimum hoc regnum tot regnis, quorum est compos, adiungere poterat, aut fortasse cupiebat; ita est, optima quæque consilia à pietate profecta, aut corrumpit omninò, aut adulterat superueniens ditionis propagandæ cupiditas. atque id cùm notum esset Proceribus aliquot Gallis, qui Austriacam dominationem ferre non poterant, fœderatorum temeritatem nimiamque in peregrinis arcessendis auxiliis festinationem apertè damnabant, Et hanc non vsquequaque Deo cordi conspirationem fuisse probauit satis euentus pro vtraque parte lugubris & cruentus: clariùs etiam patefactum à Numinis ipsius oraculo, Romano scilicet Pontifice, Gregorio XIII. qui Cardinalis Pelleuei precibus, vt factioni assentiretur enixè rogantis, non modò non annuit, sed obfirmatus obstitit semper. Sic enim ille, dum vehementiùs instarent fœderis patroni, In Henricum Galliæ Regem subscribere quî potero, aut agam in eum hostiliter quem Romanæ cathedræ præ reliquis principibus addictum *Extraneas opes accersere nihil profuit.* *Rom. Pontifex assentiri Fœderi recusauit.*

mancipatumque esse non ignoro. At subsunt pleræque rationes, quæ secus facere iubeant, & ad exerendum Apostolicum gladium vel inuitum impellant? Verùm abditæ sunt rationes huiusmodi, & in vnis conscientiæ latebris delitescunt, quæ si accuratiùs expendanrur confutari haud difficulter poterunt. Quare incensum illud fœderatorum erga Romanam fidem studium laudabat quàm maximè, vt autem noxia aduersus Henricum Regem arma expedirent, assentiri sanè non poterat, dum exploratius aliquid, quod sequeretur, tempus afferret, cunctando igitur curialium Pōtificiorum more cuncta ferè protelantium, nihil ab Roma in gratiam fœderatorum expressum.

Atque hæc omnia tametsi clàm agerentur, Henricum Regem minimè latebant, cuius in autoritatem perinde ac destinatum in scopum districta hæc videbantur Procerum tela; arcano itaque cum intimis aulæ Magnatibus instituto colloquio, idoneas dissipandæ coniurationis aperiri sibi vias orat, iubetque promant liberè salutares Regi, regnoque futuras sententias. Espernonius Dux, Chiuernius Cancellarius, Toparcha Doüs dissimulandum omnino Regi metum innuebant, contrà verò audacter aduersus hostes insistendum, præterea eum Nauarro & Hugonotis iungendam esse armorum societatē; vesanis fœderatorum conatibus maturè occurrendum imbecillis turbidisque futuris; quod plerumque coniuratis contingit, dum quod consultandum proponunt, in plurium non satis prudentium arbitria distrahitur, segniùs item progressuros eosdem afferebant, quòd lentiora prodeant à pugnantium opinionum conflictu sanciendæ pacis aut continuandi belli consilia: in eo verò cardinem verti, vt extemplo tollerentur hæc inchoatæ coniurationis semina, priusquam adolescerent, nondum satis arctè cōpactos interse fœderatorum animos, desparatum iri ex facili, si regia horum auribus arma instreperent; inutiles imò noxias fore moras omnes, dum factum iam antè decussset, quod faciendum iam in commune sanciebatur, nullos adhuc Guisio præsto esse conscriptos exercitus, imbellem tantùm turbam ex Ecclesiasticis & nobilibus aliquot temerè conflatam eius sub signis conspici, Quantulum tandem id aduersus Regis copias longè potentiores, numero quippe, viribusque, addo etiam, ominis ipsius felicitate maiores, ac proinde seruilem in modum conceptum in Regem facinus vindicaturas, Monebant etiam Consiliarii proceres ijdem Philippum Regem Catholicum tumultibus Belgicis adeò irretitum, vt ægrè admodum externis se bellis implicari permitteret, non facilè neglecturum sua, alienis vt curandis inuigilaret: hunc Philippi genium esse Gallorum mentes promissorum magnitudine proritare

Consultant proceres de dissoluendo fœdere.

Armorum vis necessaria.

Suadent aliqui implorāda hæreticorum arma.

quò turbulentos gentis conatus infringat, hunc simul atque hi refrixerint, fidem fallere turpe minimè ducturum, dum votorum summa attigerit, Romanum Pōtificem ob spiritualia tantùm arma timendum, quæ nunquam in Regem Regiosque exerturus sit, quippe qui à factione semper abhorruerit, indignum ratus eum Regem Ecclesiasticis fulminibus percellere, qui immunis à scelere sit. Addebant præterea collectam è singulis regni partibus nobilitatis pubem ad ipsum Regis nutum cum armis ad futuram, Heluetios renouato recens fœdere agminatim ad regia signa confluxuros: Nauarrum, & Hugonotos nihil tam in votis habere, quam vt arma sua cum Regiis ad propulsandam factionis huius vim omnem coniungant, atterantque infame illud corpus è tam discrepantibus membris coagmentatum, atque eò generosiùs illud profligent, quò infestiores, nisi occuparint, hostes experturi sint. Nullibi non exploratum esse exorientis mali primordia, nisi præmaturè rescindantur, inualescere semper, ferro ignique pestem exsecandam, quæ inerti curatione, cùm primùm nasceretur, irritata veriùs, quàm oppugnata fuerat, militaribus cœptis martio quodam æstu festinatis prosperos sæpiu euentus obtingere, nec cæcæ continuò temeritati tribuendum, ad quod nobilis hæc flamma bellatorum medullis inæstuans bellatores ipsos impellit.

Sic disserebant illi non satis ad Galliæ res & religionis splendorem apposite, quę omnia refellebant Ioyosæus Dux, Renatus Villequerius, Pomponius Bellieurus, Villaregius regius à sanctioribus negotiis libellio; nam si contra Lotharingos Rex mouere in animum induceret; priuatisque congrediendum esset armis, hunc inualidiorem fore dicebant, quàm vt in apertum se se campum inferre deberet; aleamque tentare belli, omnium, quæ indicta hactenus fuerant, periculosissimi, neque enim soli oppugnandi erant Lotharingi, sed innumeri propè Lotharingorum asseclæ, debellandus insuper hæreticorum grex, vno verbo Catholicorum & hugonotorum factio gemina, cuius vtriusque hostem se vltoremque profitebatur; quòd si vires vtriusque reputaret attentiùs, vsque eò creuisse deprehenderet, vt non vanos in regibus ipsis metus efficere possent, opulentiores quippe regni totius prouincias alterutri subiacere iam parti, Pictones, Aquitanos, Vascones, Occitanos, non exiguam Delphinatus portionem, quantas, quamque opimas prouincias! Nauarri signa sequuturas: Guisiis verò mācipatam esse Campaniam & Burgundiam, Picardiam, Lugdunensem tractum, Prouinciam, eorundemque imperiis deuotam, & consecratam esse Lutetiam, amplissimam Regis *Refelluntur.*

sedem, ciuitatem regni totius dominam. Quantulæ tandem posthæc ab hostibus occupata supersunt Regi vires ac prouinciæ, quòd si tamen cum hostibus tot vrbium, totque prouinciarum robore fultis, ac multitudine ferè innumerabilibus experiri sustineat, nonne manifestum rei inauspicatò gerendæ periculum aditurus est, cùm à commeatibus imparatus, sine milite, sine arcibus receptui destinatis congressurus sit, nonne deridiculo futurus hostibus est, non verò terrori? atqui regium est non terrore minùs, quàm armorum vi subditorum rebellionem proterere. Contrà verò si auxiliares copias ab hæreticis postulet, grande sanè nomini suo probrum inuret, ingentemque Catholicorum omnium inuidiam, odiumque subibit, Parisiensium præsertim, apud quos sparsis vbique de se mendaciis fidem conciliaturus sit, speciosum insuper Catholico Regi fouendi cum Catholicis fœderis obtentum relicturus. Præterea, quod metuendum est magis, Romanus Pontifex, qui alienum semper ab hac factione animum gessit, martia certè, aut Ecclesiastica saltem arma contra Regis dolos immittet, simulatæ pietatis inuolucro, hæc enim mens eius erit, contectos. Porrò quale quantumque ab hæreticis speratur auxilium exhaustis ferè bonis omnibus, exsuccisque, quibus inopes tantùm ad solatium ædes supersint, quas ægrè admodum deserturi sint, vt ad bella proficiscantur, bellorum labores plusquam vota ferrent, experti; quique vix se se commissuri sint Regis fidei, cùm hunc infestum sibi semper habuerint; manere adhuc alta mẽte repostam Parisiensem hugonotorum stragem, cuius ipse autor præcipuus, incentorque habitus sit, nimio plus suspicacem esse Hæreticorum gregem, qui idcirco iactaturi sint non tam se ad iungenda cum Henrico Rege arma, quam ad retia, quibus iterum ab Henrico inuoluantur, accitos; non firmam satis Catholicos inter & hæreticos societatem iniri, inter moribus & religione dispares, imbecillos omnino esse animorum nexus, quare congruentiorem dissipandæ Catholicorum factionis viam hanc esse, si factiosorum primores, qui non magnificè satis acceptos se à Rege conquesti sunt, collatis vltrò beneficiis demereri Rex satagat, euellendas primò factionis totius radices, quò factio tota concidat, ac in primis Guisios omni ratione placandos, aliosque quorum autoritate fœderati subnixi à Rege desciuerint, eius ad obsequium redituri, quàm mox eorum fautores Rex sibi conciliarit, Aulicos itaque haud quaquam iis denegandos imò vltrò impertiendos esse honores, quos ipsi armatâ forte manu peterent, sic tuta omnia & expedita fore, reditutos gregatim omnes ad officium, cùm quod armis prosequebantur, obtinuerint.

Regis arma non iungenda cum hæreticis.

Fœderati honoribus placandi.

Hæc potior visa esse factionis profligandæ via, cui minùs subesset offendiculi. Nam Hæreticorum vires euocare ad debellandum Catholicorum fœdus pro Religione certantium, peius sanè morbo remedium esse videbatur, quàm sinistri enim Europam totam peruagaturi fuissent rumores, quámque Christianissimo Rege indigni. An non iactatum à plerisque fuisset adeo defectum viribus Regem, vt conflatum subditorum suorum manipulum conterere non potuerit, nisi horum in cladem, Romanæ religionis hostium vires implorasset. Hæc dum attentiùs Medicæa reputaret, saniori iuxtà ac sanctiori sententiæ subscripsit. In eam pariter conuenerunt aulici ferè omnes, indignum rati Christianissimi Regis arma Caluinianorum contagione fœdari; quare fœderatorum primores aulicis muneribus demerendos esse censuerunt. Dissentiebat tamen Espernonius, veritus, ne quantum fœderatis concederetur, tantùm subduceretur aulicis præcipuâ apud Regem gratiâ florentibus; & hic inter gratiosos facilè princeps erat, aut vt esset, adlaborabat; nec Espernonio repugnabat omnino Henricus Rex, cui permolestum erat futurum, quos ipse iamdiu ad dignitates euexisset, momento de fastigio deiicere, eorumque disturbare fortunam, quo locus daretur fœderatis gratiâ Principis ob defectionem indignis. Præterea, si Guisiis, quos vastiore plerique animo esse dicebant, ideoque altioris appetentes fortunæ, pristini concederentur in aulam aditus, pristinos quoque honores, quasque olim gesserant præfecturas, restituendas esse dicebant, quàm porro graue Regi futurum erat, quos omni regimine remotos esse voluerat, eos, quasi decretum prius damnaret, ad supremos iterum regni gradus promouere. Inter ancipites illos mentis æstus consultiùs facturum se putauit Rex, si Nauarri animum pertentari adhuc circa religionem iuberet, an spem faceret aliquam Caluinianæ prauitatis eiurãdæ, quod & Principibus reliquis eisdẽ implicatis erroribus significari volebat; nam si Orthodoxæ veritati manus darent, enim verò factionem funditus ruiturã interpretabatur; constituto quippe regni hærede, quid tandem haberent fœderati quod conqueri, quodque armis impugnare meritò possent. Notum erat insuper conquieturos Romæ fœderatorum legatos, dum certò constaret Galliæ Regnum transmittendum esse Catholico; populum vanis rumoribus terroribusque delusum à quotidianis questubus temperaturum, Ecclesiasticos modum aliquẽ clamoribus esse facturos, dum ex suggestibus lugendum propè depositæ religionis statum enuntiant; proceres ipsos, quos honorum repulsa ad sanciendum hoc fœdus perpulerat, ambitioni frænũ iniecturos, sic denique peruidebat Rex consopien-

Pertentatus Nauarræ fides, sed frustra.

dam illam esse flammam, quæ fatali quodam incendio Galliam vniuersam populatura videbatur. Sed obfirmato erat Nauarrus erga sectæ cultum animo, reliqui proceres Pardorum instar imbutam semel errorum varietate mentem mutare vix poterant.

Postulatur Rex in Belgarum patronum.

Dum hæc animo Rex agitaret, perhonorifica Belgarum legatio in Galliam appulsa est quam Siluanecti primùm subsistere, deinde Lutetiam clam venire Rex iussit. Rogabatur ab Ordinibus, fineret se Alençonio recens morte prærepto, in Belgarum patronum adoptari, exosam quippe Belgis omnibus dominationem Hispanicam esse, mollius verò futurum Gallicum iugum, cui pronam Ordines ceruicem submittere pararent, itaque in cõmunem Galliæ Belgiique hostem arma Gallica mittere ne grauaretur, antiquam cum Belgis sociis amicitiam renouaret; quæ nunquam certiùs quàm præstandis auxiliis, & armorum communione probatur. Rex principio clam omnibus legationem admisit, ne Philippo Regi Catholico expostulandi ansam daret, sed cùm ab Hispaniensibus administris Gallicam factionem propalam adiuuari rumor pertulisset, egit etiam ipse palàm cum Ordinum legatis; atque vt aulicus obtinuit mos non deerant ex aulicorum turba cõplures, qui ad conciliandam sibi Regis gratiam Belgarum Legatos auspicatò in Galliam aduenisse assererent, ac cum iis tametsi religione dissonis iungendam arctè societatem, regnique fines vbi se se daret occasio longè, latéque proferendos, opulentissimas Regi offerri prouincias, nobilissimas vrbes, Martis laboribus excultissimas gẽtes miniméque reiiciendas, præsertim cùm Hispani pacem Gallicam occultis interturbare machinis, factionem totam humeris sustentare, variisque eam pollicitationibus alere pergerent, Regium ac penè diuinum opus exequi, qui calamitosis manum & opem accommodant, regni tumultus opportuniore nulla via comprimi posse, quàmsi extra regni fines probandæ per arma Virtutis quæratur occasio, atque hanc vltro se se dare, quæ repudianda nullatenus sit, imò, si coràm non adesset, accersenda diligentiùs. Quanquam his aut similibus quæ Regi suggerebãtur honesti aliquid decorique inesse crederetur, ea tamẽ cœptare arduum omnino ac difficile videbatur, nam quî poterat Rex vires Gallicas in alienas transportare prouincias eo maximè tempore, quo reficiendo post innumeras clades Gallico regno magnum erant momentum allaturæ. Hinc Regem sollicitum habebat Catholicorum defectio, illinc multò sollicitiorem Hæreticorum rebellio, parum ergo prudenter bella suscepisset in Belgio, qui in Gallia sua quotidianis oppugnabatur motibus, in qua turpiùs deficiente militum ope profligandus erat, quàm honestè apud Belgarum Ordines triumphaturus.

Rationes cur Belgis subueniendum sit.

Cõfutantur.

turus.

turus. Sanè haud temerè addubitabatur, an armorum felicitatem allaturus esset in Belgium, quæ sæpius eius expectationem frustrata erat in Gallico regno; nam sperato plerumque carent successu auxilia, quæ populis afferuntur à Rege suo distractis, qui priori dominationi assueti ægrè admodum exerno se premi iugo sustinent; vnde aut inertes, aut nullas euocato ad auxilium Principi operas nauant; quin & sæpiùs quem eiurarunt Principem repetunt, vtriusque cui paruerunt domini, nunc serui, nunc proditores effecti.

Hæc cùm in vtramque partem agitaret Henricus, Mediceæ matris sententiâ permotus; Ordinum legato, vultu ad Gallicam comitatem porrecto hunc in modum respondit, ægrè sibi admodum esse quòd his duriter à principe suo factum esse intelligeret, atque eò grauiore mærore se affici, quòd ipsis in præsentia subuenire minimè posset, quod & inita cum ipsis amicitia, ac priuatum regis decus flagitaret; sperare se tamen, si auspicatius tempus adueniret, experturos Ordines quàm non frustra faciant populi, dum accisis rebus suis, aut periclitantibus, in Regis Galliæ fidem & clientelam confugiunt; redirent itaque ad suos, nuntiarentque pronam hanc Regis de Ordinibus benè merendi voluntatem. Atque hæc, tametsi nihil admodum Ordinibus profutura, non ferenda censuit Bernardinus Mendoza Philippi apud Regem Orator, Regem antea obtestatus ne homines à Deo, hominibusque desertos, cùm horum ipsi desertores priùs fuissent, conscientiâ teste conuictos, ab sacrorum Quæsitorum tribunali dudum in Hispania proscriptos, ac idcirco de obtinenda principis gratia desperantes admitteret, nec conditiones ab iis offerendas acciperet, cùm aliena polliciturі forent, non sua; existimationi itaque suæ consuleret, eam non satis vtique defensurus, si Rex Christianissimus cùm sit, hæreticorum causam aduersus Catholicum Regem tueretur; reputaret secum pro ea, quam innatam haberet, prudentia, non Philippo tantùm Regi nociturum se, sed Principibus etiam aliis, quorum præcipuè interfit, ne conflata huiusmodi è perduellione & contumacia monstra perfugium vspiam adinueniant, mulctari potiùs ea debere seuerissimis pœnis, aut internis permitti scelerum suorum furiis, quæ tædis ardentibus sceleratos perterrent, neque vnquam tutò consistere sinunt. Ad quæ Henricus Rex, & iure gentium & Belgarum à Francis ortorum proximitate ad opem se iis præstandam induci, ne ad id tamen aggrediatur, prohiberi se fœdere cum Philippo Hispaniarum Rege contracto, quod violare nefas esse putaret; tametsi exploratum haberet ea clàm à Philippo non ita pridem tentata, quæ mutuam inter ipsos amicitiam dissoluere possent. Cæterum in consul-

Regis Oratio ad Legatos.

Queritur Bernardinus Mendoza.

tandis rebus neminem vnum esse, à cuius consilio pendeat, Regem se esse, atque adeò voluntatum omnium suarum arbitrum, in sinu pacem se aut bellum portare, atque horum alterurrum cùm libuerit effundere posse. Denique quantopere Gallorum Reges ab aliis differrent, haud satis Mendozam intelligere; ad eos vnos omnibus retrò seculis tanquam ad pacis arbitros externarum gentium querelas esse delatas, non putandos continuò perduelles esse, qui ad eos tanquam ad Irenarchas perfugerint, nec contumacium querelas auditurum se qui oppressis tantùm, non verò rebellibus opem afferre statuerit, nihil non mouisse Belgas, quò Philippi Regis gratiam demereri possent, obstitisse semper piis horum conatibus nonnullorum auaritiam, qui bellum, quod ad res suas accommodant, paci natura sua inerti sterilique prætulerint; solenne id esse Galliæ Regibus, vt quacunque incesserint, illustria benignitatis suæ trophæa semper erigant, hanc Maiorum suorum Regum desponsam gloriam esse, quam sibi ab illis transmissam ad posteros quoque Reges transmissurus sit.

Gallia Reges in quo ab aliis differant.

Mendozam sic affatus est Henricus haud satis gnarum, quonam hæc ambiguè satis dicta pertinerent, hic tamen belli faces, si quas aduersus Hispanum excitaturus erat Rex, occupare ac in Regem ipsum retorquere festinauit; nam è vestigio ad Guisios & Cardinalem Borbonium accurrit, relatoque Regis responso, iaci semina prænuntiauit grauissimi tū in Gallia, tum in Belgio excitãdi belli; infidos Belgas esse Deo Regique Philippo, perduellionis Belgicæ defensorem Henricum Regem ascitum; Hæreticorum legatos honorificè ab illo acceptos, honorificentiùs dimissos, quibus opprimendum priùs os fuerat, quàm regias ipsi aures postulatorum suorum iniquitate polluerent; instat itaque vehementer, vt promissorum memores Romanam religionem à maioribus suis cultam, ac in Gallia Belgioque propagatam defendendam suscipiant, Hispaniensem iam adesse pecuniam, conscriptos vndique milites, parata ad impetum in hostes faciendum reliqua; tum ducenta ducatorum aureorum millia Guisæ Duci in manus tradere instirit, quæ omnia Guisium suapte naturâ belli auidum scientemque, ad fortia quæque aggredienda festinantem vt velociùs etiam curreret, impulerūt; de hoc Hispaniēsis Regis auxilio Catholicis fœderatis impertiēdo dubitari non poterat, cùm hic tot antè fideiussores apposuisset, quot Hispanienses nummos præmiserat. Prouehebantur mirum in modum fœderatorum res, cùm interea periclitaretur Regis autoritas inter geminas factiones medii constituti, nec satis gnari quarum alteram primùm aggrederetur, cùm vtramque simul coercere non posset. Cúmque hæc omnia regni turbamenta contingerent,

Mendoza fœderatos Hispaniensi datâ pecuniâ ad cœptum opus stimulat.

Rex sobolem à Dei Genitrice exposcit.

quòd nulla tum regiâ prole susceptâ hæreticus in Regem assumendus esse videretur, magnam Matrem illibatam Dei Genitricem regio munere locupletandam esse duxit Rex, vt huius ope, quam nemini hactenus denegasset, virilem sobolem impetraret, expectata enim iam diu hæc illi totique regno nuptiarum fuerat messis. Cùm ergo Lauretanam Patronam Cœli terræque Reginam bellicis implicatus negotiis visere ipse minimè posset, vnum aliquem è Galliæ proceribus eò destinauit, qui donarium Regium, simulque Regiam mentem & obsequium rite dedicaret. Scyphus erat egregius ex excauatâ gemmâ, lapidem Lazuli vocant, veteres sapphirum appellabant; eius operculum è crystallo, quod auro vndique cinctum clarissimis lapillis internitebat, cuius in summitate prominebat Angelus aureus lilium prætendens adamantinum, scyphi pes smaragdinus auro substernebatur, collucentibus stellarum instar hinc inde sparsis per ambitum vnionibus, in ima smaragdi parte voti causa, eiusque qui nuncuparat, Regis nomen hoc disticho scriptum legebatur. ***Regium munus Lauretanæ Virgini missum.***

Vt, quæ Prole tuâ Mundum Regina beasti,
Et Regem, & Regnum Prole beare velis.

Henricus III. Franc. & Polon. Rex.

Anno M. D. LXXXIV.

Missa hæc à Rege fuerunt non exaudito quidem ad voluntatem, sed quod sperare fas est, ad Regni salutem; vnde cum ratum fuerit donum, non omninò votum irritum fuit. Coniecerat haud dubiè benignitatis oculos in alium Henricum Deipara à Numine destinatum iam regni hæredem, rediturum breui ad Catholici gregis caulas, è quibus non tam sponte sua, quàm rabularum prædicantium dolis distractus abscesserat; qui reipublicæ Christianæ profuit plurimùm vel vno dato in Regem Ludouico XIII. filio, de cuius illustribus factis, editisque prodigiis nullæ non loquuntur literæ, nullaque conticescet posteritas, quæ omnia Patris sui decora transmissurus est posteris Regibus Ludouicus XIV. delapsum cælo pignus votorum in pretium, quibus fatigati sunt Cœlites, diu Francorum ad preces surdi, quia magna postulabant, dum parem Iusto Patri filium in Regem exposcerent, quem tandem expresserunt è cælo vt in vnionibus lentè fundandis auaro, ita in Adeodatis indulgendis Regibus cunctabundo. Præter vota Lauretanæ Virgini ritè nūcupata, hoc etiam adiiciendum ***Ludouici XIII. Laus.*** ***Ludouicus XIV. cæleste munus.***

existimauit Henricus Rex, vt supplicationes crebras variis in locis institui iuberet, quibus Cælum ad vota sua inflecteret, ac fructu nuptiarum aliquo potiretur; quod vnicum pacandæ post tot clades Galliæ remedium esse videbatur, sed aliud Deo cælitibusque visum, occulto mortalibus omnibus consilio, nunquam tamen iniusto.

Prolis itaque destitutus auxilio, omnes ad pacandum per se regnum perscrutatus est vias, ac imprimis seuerè inhibuit, ne se inscio militum delectus quacunque regni parte haberentur, dato negotio Prouinciarum Præsidibus, vrbiumque præfectis, vt si quos rebellionem incœptantes nanciscerentur, in eos confestim ad æris campani pulsum per subitaneas copias irruerent funditusque delerent; missis item ad prouinciarum præsides literis vnicum spectari à se Catholicæ religionis incrementum asseruit, sine qua pax certa stabiliri non possit. Et principio quidem intentis in se fœderatorum machinis non apertè obsistebat, palam verò obstitit, cùm periculosius ab ijs incendium parari animaduertit: Maiestatis quippe interesse putabat imperare subditis, non imperari; expugnare, non expugnari, ne quid verò non æquum satis tentaret obtrectantiumque linguis obnoxium, cauit omnino, ne quid cum hæreticis iniret commercii, Deo fretus scilicet & viribus suis, quas mox coniurationi difflandæ impares omnino intellexit, nam Heluetii ad dena millia pro Rege conscripti vix in Galliæ intima penetrare poterant infessis per fœderatos itineribus, Burgundia quippe, Campania, Lugdunensis ager aliaque circùm sparsa loca fœderatorum partibus adhærebant. Gaspar item Schöbergius equitum turmas ab Germania pro Rege petiturus, captus custodiæque traditus fuerat Lotharingi Ducis mandato, cum Gentilibus Guisiis conspirantis in fœdus. Nobilitas præterea in obsequio Regi præstando inertior, populusque imperatis crebrò tributis, impensisque bellicis exinanitus aut nulla, aut lentiora suppeditabat auxilia, quæ omnia Regem ab incœpto absterrebant nunquam plenè dominaturum, quin subditorum animos sibi deuinciret, quos ferè omnes per id temporis ab se alienatos habebat. His omnibus sublimiùs attollebat se factio, impuniùsque volitabat secura tum maximè sui, cùm Regis inclinatæ res forent; & quia expertes consilii conspirationes rara comitatur felicitas; fœderati, ne quid non sibi prosperum eueniret, Cardinalem Borbonium ex aula quam primùm vt excederet, compulerunt, quasi hunc inuitaret sanctissimum verni ieiunii tempus ad Archiepiscopalem Rothomagensium diœcesim lustrandam, qui mos est Præsulibus sponsas suas visere pœnitentiæ cinere oblitas, Gallioni tamen Cardinalis substitit, quò ad eum salutandum Picardiæ

Heluetii regiarũ partiũ arcentur à fœderatis.

Gaspar Schöbergius custodiæ traditur.

confluxit nobilitas; illinc Peronam deductus, quæ vrbs fœderi primordia dederat, post noua cum Guisio, Meduano, Aumalo & Ellebouio ducibus instituta colloquia scriptum hoc Cal. Aprilis vulgarunt an 1585. Non desunt tamen qui non à Cardinale, sed Cardinalis nomine promulgatum asserant, huiusmodi autem erat.

Cùm multis ab hinc annis grassanti Galliâ totâ hæreseon pesti segnioribus remediis hactenus occursum esse constet, regnumque varias in partes distraxerit religionum diuersitas, plus etiam damni allatura, si aliquando Regi parere cogamur heretico, & relapso: Nobis ob illustrem Primarii stirpis Regiæ Principis prærogatiuam Ecclesiasticæque purpuræ decus prouidendum diligenter est, ne Catholicæ religionis cultus in Christianissimi Principis regno vnquam intercidat, pro qua defendenda omnis cùm Catholicorum omnium, tum præsertim purpuratorum Patrum labor & vita rectè honestèque impenditur. Id autem vt assequi possimus, arma capienda esse duximus, illico posituri, si Rex Galliæ tot calamitatibus attritæ, ac labanti præsertim religioni succurrat, atque in id maximè regias curas, vires, autoritatemque conuertat, quo testatum externis Principibus faciat Majorum se inhærere vestigiis religiosumque hunc ignem in regia Valesiorum Principum stirpe confoueri, qui Diuum Ludouicum ad barbaras etiam nationes Christo Romanæque religioni aggregandas semper incendit. Vtinam hanc Regi mentem insinuet Optimorum consiliorum parens Deus, & sublatis tumultuum Gallicorum causis, amplissimo regno optatam diu tranquillitatem, animorumque & religionis vnitatem indulgeat.

Cardinalis Borbonij monita ad fœderatos.

Hæc & pleraque alia solius Caroli Borbonii Cardinalis nomine subscripta sunt, quo tempore fœderati Reginam aggestarum laudum cumulo delinire satagebant, dum eam esse dicerent quæ tot exantlatis pro republica laboribus nutantem Galliam, ac collabentem in ea religionem fulsisset; si quis adhuc religioni superesset halitus, hoc ab ea suppeditatum esse robur; non Regum modò, quos enixa erat, sed amantissimam esse patriæ Gallorumque omnium parentem, regni columen, pietatis altricem, magnum illud quidem esse, atque huiusmodi, vt oratorum omnium linguis prædicari meritò debeat, at quantò excelsius futurum, si tantis pro Religionis, regnique tuitione conatibus perpetuitatem adiungat. His blandimentorum laqueis irretita Regina, aut certam fœderatos prosperæ sortis vocabat in spem, aut eam crebris hilaris vultus inuitamentis simulabat, cùm interea non parcerent operæ fœderati, ciuiliter prudentes, dum adulatorum erga Reginam,

Laudes medicea à fœderatis datæ

partes agerent ; lingua iuxtà ac ferro metuendi ; siquidem tum occultis machinationibus, tum aperta vi complures ab iis intercipiebantur vrbes, Virodunum captum, Tullum post depulsos Regis administros vltro deditum ; Diuodurum Mediomatricum penè in eorundem potestatem cesserat, ni cauisset diligenter Espernonius, ne splendidissima vrbs à Rege suo deficeret ; Massilia item prodita, sed mox Regi post aliquorum necem restituta. Interim ne vacaret ob opere Guisius, cum expeditis equitum turmis Peronam excurrit, indéque Cardinalem Borbonium per Augustam Suessionum Catalaunum ad Matronam magno comitatu deduxit coram fœderato sistendum exercitu, vt congressuris militibus ingentium promissorum largitate robur & animos daret.

Ab iisdem intercipiuntur vrbes.

Pungebatur, imò & cruentabatur propemodum Rex, dum regiam autoritatem & scriptis, & aperto marte opugnari quotidie cerneret, vnde Caroli Cardinalis scriptum nouo scripto refellendum esse censuit, cuius initio quæ & quanta pro accuranda regni tranquillitate peregerat, eleganter explicat ; quam tamen importuna factiosorum turba violare conabatur ; tum in Proceribus, vt saniorem mentem induerent, commonendis fatigatum se esse testatur, nihilque amplius consequutum se queritur, quàm si surdorum in aures verba misisset ; obduxisse iam eos callum peruicaciæ, tamque crassis inuolutos esse tenebris, vt quam verbis obtendunt religionis defensionem, sceleratis factis euertant ; consiliis eos abundare quàm optimis, quæ tamen præcipiti temeritate corrumpant, iis autem in viam reducendis veritatis lumen preferre se velle ostendit, quæ præconceptarum ab ipsis opinionum falsitatem detegat ; pateatque singulis quàm procul aberrent fœderati à scopo, quo recta & sine frustratione collimare se iactant.

Admonitio Cardin. Borbonij à Rege refellitur.

Addebat parum reuerenter facere subditos, dum omnia Principum suorum edicta ad trutinam vocant, ac examine seueriore discutiunt ; arcana esse Regum consilia, eáque salutaria, quæ celari par sit, ne patefacta in irritum cadant ; nisi pacem inter subditos religione dispares conciliasset, ingenti clade opprimendam fuisse Galliam, ab externis vndique confluxuris hostibus occupandam, quot bonorum direptiones ? quot interneciones ? matronarum dehonestamenta conspectura tum erat & conquestura Gallia vniuersa, dum omnia latrocinantium auaritiæ, hostium feritati fœditatique patuissent. Quòd si toto illo constitutæ pacis tempore frugis nihil, aut perparum ab hæreticis impetratum fuerit, atratique perstiterint semper Aethiopes huiusmodi, non culpandas tamen horum edomandorum artes &

Non curiosius examinanda Principis decreta.

remedia, quasi verò tantum indulgeatur prudentiæ, scopum vt semper attingere possit; aut sapienter inchoata non corrumpat interdum gubernantium negligentia, aut liuor. At licet adeò obfirmata sit hæreticorum rebellio, vt nec bello, nec pace domari potuerit, hoc tamen publicatæ paci tribuendum esse demonstrauit, quòd hostium gladii à cædibus aggerandis feriati fuerint, quòd Ecclesiastici opimis sacerdotiorũ suorum fructibus non caruerint, quòd nobilibus quies, mercatoribus libera nundinandi restituta fuerit potestas, quòd plebeis exercendorum, excolendorumque agrorum opportunitas adfuerit, vnde solari paupertatem potuerint. Denique nemo vnus est, cui non commoda pax aduenerit, tametsi forsitan, aut ingrata, aut inimica. Cùm autem pietatis officiis, & æqua iuris dispensatione fulciatur totius Gallici corporis moles, in id incubuisse se semper asseruit, ne alterius virtutis inclinatione corpus vniuersum collabasceret; nec magnificentiùs hæc de se, quàm veriùs pronuntiare; enimvero peridoneos à se delectos esse viros, quos Ecclesiis adgubernandis præficeret; edidisse item se ea pietatis documenta, quibus ad Christianorum morum integritatem subditos sibi populos prouocaret; nec pios incassum cecidisse conatus, cùm resipuerint Catholicorum non pauci, hæretici verò ipsi non exiguo numero ad indagandam veritatis viam, eamque constanter insistendam regiæ pietatis exemplis illecti, quos prius adamarant, errores eiurarint. Cùm alia pleraque à fœderatis obiecta diluisset, omnes comprecatus est vt obliteratâ præteritorum memoriâ societatem hanc discordiarum infinitarum altricem dissoluerent, extraneos auxiliares in suam quemque prouinciam dimitterent, anteuerterent ingenti hominum stragi à sicariis & nebulonibus edendæ, qui cùm sua abligurierint, in hoc ascribi se fœdus postulaturi sint, hoc impuniùs prædaturi, quò plures defensores habituri sint, hoc properantiùs ad cædes aggressuri, quò exploratius habuerint carnificinam hanc specioso sacri fœderis nomine cohonestandam, hortatus etiam est, vt fidentiùs multò secum agere inciperent, perpenderentque Regem ægrè vindicis personam induere, lubentiùs patris; populorum pastores Reges esse, sicque olim appellatos, raro verò censores, insitum sibi à natura paternum erga suos amorem, quem regiis, vbi se se dederit occasio, benefactis abundè testaturus sit.

Hæc apud surdos cantata parùm admodum in verbis reponentes; alia denique super alia adiecta sunt scripta, quibus à se alii in alios inuidiam deriuabant, nihil sanè profutura, cùm minimè crederentur. Calamitosus sanè lugubrisque Galliæ status hic erat, cum alter alteri diffideret, cùm inter blanda verborum inuitamenta quotidianæ struc-

Calamitosus Galliæ status.

rentur insidiæ, cùm mutua penè vetarentur alloquia, quæ barbaras inter gentes retenta sunt semper. Hæc omnia ciuilis belli multis cædibus cruentandi fuerunt initia, quo captæ, direptæ, incensæque sunt vrbes, quo primores cæsi complures, quo factioni, eorum qui factionis ipsius principes habebantur, litatum est sanguine, quo in ipsum vnctum Domini (quod replicare formidat animus) paricidales iniectæ sunt manus, quo Gallia Catholicô Rege orbata tantùm non paruit hæretico, quem diuina bonitas à se propter falsam religionem auersum ad sanctiora sacra perduxit; atque is hoc ipso quo acriùs factio inualescebat, tempore, honestum ad orthodoxorum castra reditum meditabatur, vt concideret omnis factionis in arma tum ruentis, ruituræque deinceps obtentus, quòd sceptro immineret Nauarrus, cui fœderati subesse nolebant, quia hæretico ac relapso, hæresimque indubitanter Galliâ totâ sparsuro; Quod relapsi nomen quippe versatilis animi signum ferre Nauarrus non poterat; neque hæreticum se pertinacem appellari sinebat, cum apertæ sibi veritati refragari minimè vellet, sed ne hac in re, in qua salutis cardo vertitur, temerè quid ageret; cupere se affirmabat super rebus in fide controuerti solitis peritos audire Doctores. Quòd verò post Sanbartholomæanam cædem, quam à puero religionem hausisset, mutasse diceretur, in promptu habere se, quo factum huiusmodi excusare posset, nempe id se non sponte fecisse, sed coactum, versabatur quippe ante oculos tot miserè pereuntiùm strages, quibus propè erat vt adnumeraretur, nisi horribilem illam tempestatem religionis simulatione vitasset; liberum autem id minimè putari, quod vis, aut metus extorserit, cùm itaque mens nunquam in propositam sibi Romanam religionem consensisset, relapsi notam sibi falsò impingi, nec relapsum se esse, cùm nunquam cecidisset.

Alia atque alia Nauarrus adiecit, quibus innocentiam suam tueretur iustumque in Regem obsequium testatum relinqueret, cuius cum bonâ veniâ, in caput suum mentiri dicebat, quotquot maligno dente factis suis obstreperent; denique quidquid cædis futurum timebatur, breue in compendium redigi postulabat, vtque sibi liceret singulari certamine aut duobus secum, pluribusque aduersus totidem hostili ex parte delectos priuatam hanc controuersiam dirimere, id honori futurum Guisio si ad monomachiam à præcellentioris longè dignitatis principe prouocaretur: sperare se Deum partis vtriusque ius in futuro victore proditurum, eum autem fore se præsumebat, sic Regi quietem, regno, populoque pacem comparandam, sopiendos ciuiles motus exigui cruoris dispendio, sic denique intestina proceres

Nauarrus singulare certamen petit ad tollendas rixas.

inter

inter odia sublatis horum incentoribus extinguenda. Purgauit etiam quod sibi exprobrabatur, exitiale nempe in Romanam Religionem odiũ, neque enim (vt retorquebat) illius hostis esse poterat, cùm pluribus lacessitus iniuriis Monachos ac sacerdotes nusquam à suis violari sustinuisset; Caluinianæ quidem causæ fautorem extitisse se semper, sed haud propterea infamibus Christianarum rerum direptionibus & sacrilegiis mentem, manũsque contaminasse, horum nemini ab se iniuriosè factum, Agennensium implorare se fidem, à quibus quandiu inter eos egit, nihil querelarum apud Regem peruenerit: notissimum id Monpenserio Duci, Maiorum suorum religioni citra fucum addictissimo; exploratum id denique Bironio, Archiepiscopo Viennensi & Villaregio, qui Aginnum profecti, cùm ex oppidanis identidem quærerent, an damni aliquid aut molestiæ à Nauarri militibus accepissent, hi nihil sibi ab iis incommodatum esse dixerunt. Addidit etiam nihil à se iis in locis, in quibus supremum obtineret dominium, à parentis suæ excessu circa Romanam eandem religionem turbatum, cùmque Benearni iampridem Catholicæ religionis vsus sublatus esset, nihilominus Oloronensi & Iascurrensi Præsulibus immota stetisse, stareque adhuc vectigalia: in iis verò Nauarræ, quas possideret, reliquiis amplam liberamque vtriusque religionis profitendæ facultatem esse concessam; iniquiùs ergo secum agi, dum hostis Romanæ vocatur Ecclesiæ, quam ne obturbari quidem in prouinciis hæreditario sibi iure debitis hactenus siuerit, nec vnquam permissurus sit; etsi eidem aggregari se à regia constantia alienum esse putet, donec euellatur hic à quo angitur scrupulus, in Romana Ecclesia, quæ singularem sanctitatem profiteri se dicit, haud sana esse omnia; deprauata quippe in eius doctrina pleraque; plura in disciplina corrupta, quæ emendari per probos peritosque Doctores oporteat; atque hanc dissidiorum, calamitatumque originem esse fere vnicam. Nam si in Romana religione nulla esset corruptela, omnes in eius gremium sine mora conuolarent, qui id tamen facturos se negant, ne deprauatæ illius matris deprauati quoque sint filii. *Eiusdem Apologia.*

Hactenus Nauarrus nihil sibi fidei apud homines facturus, cùm hunc infidum Numini crederent, & anticipata iam esset hæc opinio, quæ euelli non poterat: vnde quotidiano Procerum nouorum accessu augebatur societas, pro aris congredi & periclitari ambientium, quod honestate plenum discrimen esse ducebant, in quo vinci iuxta ac vincere gloriosum foret; Quare cùm scriptis hinc inde commeantibus diffidentes eminus placari non possent, cominus armis decernendum fuit, quæ pessima rerum componendarum est ratio bello *Armorum damn...*

enim exasperantur magis, quàm domantur ingenia. Ad arma itaque procurrebatur, intercipiebantur vrbes, Lugdunum fœderatis per Mandelotum vrbis gubernatorem assertum; hic enim impotenter ferens arcem Caroli IX. iussu inibi extructam, per Espernonium Passagio suæ factionis homini fuisse commissam; indèque iniectum sibi frænum, & dedecus ratus, quasi gubernatoris alterius subiiciendus esset dominio, rationem apud se iniit, qua populi viribus fretus arcem disturbare posset, simulque iustum partiendæ ex æquo potestatis metum excuteret. Igitur vulgato per vrbem rumore, quasi mox ad portas adfuturi essent hæretici, aggressurique tetrum aliquod facinus; plebs suopte impetu ad noua semper molienda procliuis, & à fœderatis incitata vehementiùs, arcem confestim inuadit paucis admodum præsidiariis infessam, conscensoque propugnaculo, quod è regione vrbis erat, hanc à fundamentis nullo penè resistente diruit. Rex etsi conceptum hinc altè dolorem hausisset, dissimulandum tamen ratus, Espernonium audaciæ tantæ vindictam expetentem ab se repulit; valuit quippe Mandeloti apud Regem purgatio, dum in plebis furorem, nullis cùm impotentiùs exarserit, frænis cohibendæ culpam retulit; ac ne hic Regis gratiâ excideret, haud segniter elaborauit Villaregius, priuatam inde rem non mediocriter aucturus, nam locupletissimam Mandeloti filiam Carolo Halincurio filio destinabat vxorem, quas in nuptias haud difficulter consentiebat Mandelotus, ideoque à fœderatis auocandus esse dicebatur: quare non multò post à Rege monitus de libero Heluetiis per Lugdunensem agrum transitu dando, vt in Burgundiam, ac Campaniam à fœderatis occupatam irrumperent, iussis illico paruit: valuitque eadam Regis autoritas in Ludouico Gonzaga Niuernij duce partibus suis aggregando, qui hoc iucundiùs fœderi per literas ad Cardinalem Borbonium, & Guisium datas nuncium remisit, quo molestior erat, qui eum exedebat scrupulus, illud identidem, non absque mentis vellicatione, suggerens, priuato contra Principis voluntatem arma sumere nefas esse, ideóque minimè tolerandum; vias se indagasse omnes, quibus animum religione præpeditum exolueret; nihil adhuc ancipiti sibi, fluctuantique certi repertum; nunquam Catholicorum hoc fœdus pontificio nutu probatum: nullum super hoc ab Roma datum esse responsum: protelasse semper Pontificiam curiam, quod ferè fit, dum iis, quibus assentiendum esse non iudicat, apertè dissentire non audet.

Arx Lugdunensis destruitur.

Niuernij Dux à fœderatis deficit.

Insperata hæc Niuernij defectio fœderatos vehementer torquebat, veritos ne serperet hoc latiùs desertionis exemplum, aliosque ad simile aliquid tentandum impelleret, quod breui contigit. At-

que hæc licèt fœderatorum vires nonnihil infringerent; augebantur tamen aliunde plurimorum accessu in supplementum aduolantium; spargebatur etiam hic rumor, qui à fœderatis segregati essent, eos aut auaritiâ, aut ambitione suadente, quod potentiorum est vitium, defecisse, sicque præposteris rationibus vsos, quò nempe regis gratiam aucupati, præcipuas quasque regni præfecturas inuaderent. Tantus porrò fœderatorum erat numerus, tam concordes, etiam inter conditione dispares, animi, tamque constantes processus, vt certam sibi, cùm inclinatæ tum essent Regis partes, victoriam pollicerentur. Nam proniores in Guisium, quàm in Regem erant Heluetii, defensuri, aggressurique Guisiorum sub signis, cùm defensionem solam Regi, non hostium prouocationem spondereent. Atque hinc certò colligebat Rex, ab Heluetijs sic animo comparatis, nihil aut parum admodum expectandum: Deinde cùm bifariam diuisa hæc natio pro fœderatis contra Regios (nam sena inde hominum millia Guisius obtinuerat) & pro Regiis contra fœderatos dimicatura esset, segnius pugnatura esse videbatur: rarò enim ab Heluetiis contra Heluetios confligitur, vixque hostiles animos gerunt, quos arctior complexa est patriæ charitas: reliquum itaque erat, vt è Gallia Regi vires pararentur, quæ perexiguæ, & intutæ tum erant, cùm Primorum complures ab eo ad fœderatorum partes transirent. *Patriæ Charitas Heluetios colligat*

Cùm hæc omnia incredibili mœrore Regem afficerent, angebat tamen eum præcipuè Parisiensium fœderi non occultè, sed palam adscriptorum factio; tum etiam arcana, & strictior nonnullorum coniunctio, qui fœderatorum armis fauebant impensiùs, atque in id clam incumbebant, vt Lutetiam totam ad rebellandum inducerent, Regemque ipsum attinerent; dum fœderatæ aduenissent copiæ, quarum in stipendium trecenta iam aureorum millia è priuatorũ opibus collecta iam fuerant. Rex de his per Nicolaum Poulainium, virum sibi addictum fidumque, certior factus, ne paratis in caput suum interciperetur insidiis, ex vrbe regni principe excedere statuit. Verùm occurrebat animo, per sui absentiam Parisienses grauius aliquid molituros, tardari quippe horum nonnullos, ne quid in Regem machinarentur ipsâ Regiæ maiestatis præsentiâ; verebatur insuper ne à plerisque maleuolè confingeretur, spargereturque in plebem, timere Regem, qui timeri iure debuisset; latebras eum circumspectare, cuius erat per singulas regni prouincias latè sui nominis explicare terrorẽ. Quamobrem Parisiis commorari decreuit, vbi veteribus prætorianis custodibus nouos addidit: quinque supra quadraginta lecti erant nobiles, quos præterquam quòd in familiam suam allectos ali curauit, centum *Lutetia fœderata.*

institerunt, vt quàm ocyssime, ac sine ambagibus, aut in pacem Catholicorum rebus accommodam, aut in bellum idque minimè dubium consentiret; quod Reginæ displicuit nihil super hac re tentaturæ, quin nuncij ab Rege aduenissent, ad quem Mironum Archiatrum destinarat. Instantibus iterum ac vrgentibus fœderatis, vix quatriduanas Regina exorauit inducias, quibus elapsis hanc Regis filii mentem esse significauit, vt in Gallico regno Catholica Apostolica Romana fides coleretur perpetuò, per quam ad id vsque tempor istregnum effloruerat; decretum itaque Regi hæreses omnes proscribere Gallicorum tumultuum concitatrices, copioso Nobilitatis sanguine cruentas, imbuendasque deinceps, si diutiùs in Christianissimi Principis regno toletaretur hæc lues; cùm itaque præcipua fouendæ in Gallia Majorum religionis sollicitudo anxias fœderatorum mentes haberet, eorum esse, quæ ad id necessaria forent, adiumenta conferre; quocirca iustum militum in stipendium pecunias erogare ne grauarentur, cæteraque ad rem cibariam pertinentia, atque hac maximè petitione eneruandas fœderis vires, imò totam expugnandam coniurationem arbitrabatur, cum ad imminentis belli huius impensas Clerus præsertim & populus cogendus foret, quibus id acerbissimum erat futurum: fœderatis enim se se aggregarant præconceptâ imminuendorum vectigalium spe, quæ tamen alendi exercitus causâ auctiora longè & locupletiora esse oportebat. Ad has metas cùm hærerent fœderati magnates, triduanam ad respondendum moram postularunt, postque rem in consilium sæpius adductam, versatam, discussamque, deliberatum est neutiquam admittenda Regis esse postulata, ne quam ipse apud populum nimia tributorum exactione conflarat sibi inuidiam, in eandem ipsi incurrerent, si paribus plebem oneribus aggrauarent. Responsum itaque, fœderatorum non esse nouos ad rem bellicam sumptus suppeditare; explorare dignaretur Rex ipse vires suas, iisque commodùm vteretur, non cunctandum esse diutiùs; optare se condi à Rege edictum aduersus Hæreticos, securitatis verò tesseram sibi concedi, quòd si horum copia non fieret, arma capturos se, ducturosque eò vbi fœderis res auctiores fore sperarent; iamque ne vana loqui, aut incassum minari viderentur, copias aliquot aduersus Heluetios destinarant, aut intercluseras iis aditum, aut si resisterent, oppressuras nempe nec artibus aquilas falli sinit acies perspicax; nec leones retibus patitur capi generositas insita.

Medica a pecuniam ad bella postulat.

Negant fœderati.

Regina quid super hac re agendum foret, addubitans; c & diu moram poposcit, obtinuitque: monitoque confestim Rege, Ludouico

Auilæ è Cypro insula oriundo, Equiti honorario suo negotium dat, vt è vestigio Franciscum Circassium itidem Cyprium Cardinalis Borbonij domesticum adeat, oretque vt, quia Borbonij continuus erat, noratque penitiores eius sensus, effœtum iam senem auocet ab inquietâ fœderatorum societate, canos eius cum infinitis angoribus ad tumulum perducturâ: id cùm Circassius sæpius attentasset, pergeretque etiamnum senis minimè mali sollicitare animum, interuenit furtim Lansacus arte aulica è longo imbutus, primarius Reginæ cubicularius, sensimque ac quasi pede presso se se in conclaue insinuat, tum com ter iuxtà ac reuerenter salutato Cardinale hunc in modum edisserit. *E si principem te fœderis communibus votis adoptarint fœderati Proceres, isque tibi potissimum delatus sit honor, quod è regio sanguine originem ducas, tamen plurimum ex hac honoris prærogatiua à nonnullis fœderis promotoribus tibi detrahitur, cùm in eos multùm tibi dignitate inferiores, omnis transferatur autoritas. Ergo infestissimus hic per Europam vniuersam manabit rumor, eorum clientem te esse, alienarumque cupiditatum mancipium. Verùm dicent aliqui ob vnum tantùm religionis in regno conseruandæ studium seruilibus Cardinalem destinatum obsequiis, nihil autem vsque adeo vile atque abiectũ esse quod non in immensam altitudinem erigat procurata religio. Ego certè quod opponerem nihil haberem, si certò constaret pro religione duntaxat arma corripi, non verò pro inani quadam religionis specie, sique sacrum sanciretur fœdus, non verò intestinum pararetur ac funestissimum bellum. Ecquod enim religionis studium in factiosis esse queat, ad fœdus illud deuolutis, vt vano religionis obtentu priuatæ rei sub seruiant, religiosumque id omne ducant, quod vsui suo accommodatum agnouerint. Ergo ne æquo animo Cardinalis ferre queat delectum se senem in tanta dignitate constitutum ad tam viles præstandas operas? nonne venit in mentem sibi à fœderatis coram illudi, coarctari autoritatẽ, abiici se indignè vt alii ad eas, quas spe deuorarunt opes & dignitates assurgant: quod cùm indignum sit, tum certè ferendum id minus est, quòd omnis hæc personata religionis, aut fœderis scena aduersus Principem composita sit, non Catholicum minùs, quàm legitimum Gallis omnibus impositum Regem; nihil sanè causæ est, quamobrem Borboniam stirpem funditus interire permittas, quod haud dubiè euenturum est, si ipse primarius Borbonij sanguinis Princeps iam diu Ecclesiæ consecratus, atque id ætatis, quæ suscipiendæ proli idonea non sit, Borbonios Nepotes sinas atteri. è quibus oriundi sperẽtur alii atque alij Reges imò æternanda Christianissimorum Regum series, quæ auitæ religionis & publicæ tranquillitatis columen futura sit semper:* addebat miraturos omnes *hunc è pacis fautore, ciuilium nunc tumultuum incentorem effectum, quod*

Lansaci Oratio ad Card. Borbonium, vt se à fœderatis seiungat.

cùm à sacro eius magistratu abberreat, tum etiam ab effœta senis ætate, cui mortem haud dubiè acceleraturum sit ingratum hoc regendi fœderis munus arreptum; sanctius illud fore, Numinique longè acceptius, si nepotibus suis à fidei veritate aberrantibus vera religionis amorem insinuet, non vero ciuilis belli tempestatibus eosdem inuoluat.

Hæc apud senem & imbecillum pronunciata, paululùm eum de priore fouendi fœderis sententia dimouebant, anxium iam, multúmque sollicitum, vtri se se parti traderet; quod fœderatis accerbissimum fuit, cùm hoc vacillante fœderis culmine lapsuri plerique nobiles forent, ac quemadmodum arbores persurente vento emotæ aliæ super alias corruunt, & pondere suo fatiscentes deuoluunt, ita Cardinalis, dum primùm in sententia titubare conspectus est, varios secum ad eandem mentis inconstantiam pertracturus videbatur. Verùm fœderati, eorumque duces, qui alios viderant ventos, aliasque tempestates, à fœderis tutela absterreri non potuerunt, imò vt alios in eodem fouendo constabilirent, nullis se priuatis commodis ad id inchoandum inductos esse contestati sunt, quod tamen criminabantur Regii, sacrum itaque fœdus esse, vniusque religionis intuitu conflatum esse pronuntiarunt, atque vt quàm verè sincereque loquerētur, omnibus planum fieret, vnum si ab Rege impetrarent, se suosque, dignitates omnes, ac prouinciarum præfecturas depossituros spoponderunt; condi autem à Rege cupiebant edictum, quo vni Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ locum in Gallia relinqueret, exturbatis sectis omnibus, meris somniantium hominum commentis, non religionibus, sed religionum simulacris: postulabāt insuper publicis muneribus indignos ab Rege pronuntiari, qui hæretica labe contacti essent. Enim verò qui fidi Regi esse poterant, qui Deo infidos se vellent? aut purum & integrum ad regendas prouincias animum afferre: qui noxiis opinionibus corruptum iam haberent: bello præterea sectam adoriendam esse ducebant, quippe cessuram armis, quæ perspectæ veritati resisteret. Atque his omnibus liuidorum conatus retundere satagebant, quorum maledictis cuncti pene lacerabantur; quasi vni illi essent, qui religionis specie importunam ambitionem suam conuelarent, quò rerum culmen attingerent, & Gallicæ, vt ita dicam gazæ soli, exclusis reliquis omnibus, incubarent. His sincerè intrepideque pronuntiatis, ac Regi per nobiles aliquot significatis, ad fouendum impensiùs fœdus inflammabatur Cardinalis Borbonius, fœderatorum enim consilia, eò spectare videbat, quò à sanctissimis religionis orthodoxæ propagatoribus collimatum fuerat semper: putabatque eorum, ac Guisiorum præsertim, res cum ipsa Numinis causa

Anxius & dubius hæret Cardinalis.

Fœdus sacrū esse probant fœderati.

Quid pro religionis tuitione postularent à Rege.

coniunctas cùm illustrissimam hanc familiam, vnde fortissimi prodiissent heroes, ad prima regni decora extulisset ardens religionis studium, quod tum maximè enituerat, cùm Gedeoni non absimiles gladium in impia hostium castra nunquam non triumphaturum distringerent.

Postremum fœderatorum postulatum, in quod Cardinalis Borbonius consensit, consignatum literis, & ab iisdem obsignatum nono Iulii an. 1585. Reginæ oblatum est, quod illa per Mironum medicum ad Henricum Regem transmisit; vnáque exposuit quid Regi consulendum in præsens videretur; nimirum fœderatis, in iis quæ ad religionem spectarent, assentiendum omnino esse; non aliter quippe rescissum iri fœdus obfirmatis iam ad religionis defensionem animis. Quod si ab iis quæ proponebantur Rex assensum cohiberet, admonebat sapienter Regina exacerbandos ob hanc repulsam animos odiaque in illum acrius inflammanda. Hæc cùm seriò reputaret Henricus, Reginæ statim obsequutus est matri: ad eam itaque Villaregium præmisit, ac post paulò Espernonium, vt cum fœderatorum ducibus honestis conditionibus Nemorosii transigerent, quò septimo Iulii Medicæa, Regiique profecti erant. Partis vtriusque assensu decretum est, vt omnis è Gallia præter Romanam, ab Rege proscriberetur religio; vt Ministri sectæ pastores post edicti promulgationem regno excederent: vt Hæretici, qui in regno comperti fuissent, pœnâ capitis & bonorum proscriptione rebellionem luerent: vt subitaneum denuntiaretur his bellum: vt bipartitæ Iudicum classes ad causas sectariorum iudicandas abolerentur: vt à dignitatibus & muneribus publicis arcerentur quicunque à Catholica, Apostolica, Romana religione dissentirent, eamque publicè professi non essent. Additum prætera, vt præter ordinarias præfecturas Lotharingi Principes vrbes aliquot cum præsidio Regis sumptibus alendo securitatis causa possiderent: nempe, Catalaunum & Fanum Desiderii, Augustam Suessionum, Durocortorum Remorum, Dinanum & Concham; Diuionis arcem & oppidum, castrum item Belnense, Virodunum denique vbi regiis impensis extrueretur arx, quod in opus destinata sunt centena aureorum millia Guisio Duci persoluenda, Præsidiariæ item cohortes Cardinali Borbonio, vt & Principibus iisdem assignata, quæ omnia fœderatis concessa sunt, indignantibus & frementibus cæteris, aut tristi silentio edicti promulgationem excipientibus, quasi nouas inde, easque atrocissimas ciuilis belli clades nascituras præsagirent.

Decreta aduersus hæreticos.

Vrbes Lotharingis concessæ.

Eminebat inter omnes præsertim Henricus Mommorancius Septimaniæ gubernator, fœderatorum factione alienus, & aduersus eorum inuitamenta

Mommorancius à fœderatis auersus.

inuitamenta immotus, nam cùm potentissimæ familiæ clientelis; & amplissimæ,quam regebat, prouinciæ viribus subnixus esset, magnum sanè adiumentum parti suæ fore sperabant fœderati, eum si in fœderis societatem pellicerent; nec ingentia promissa deerant, crebrique à Cardinale Borbonio nuncii pristinæ beneuolentiæ memoriam refricantes, quæ eos in aula coniunxerat, quæ tamen omnia vni Regis obsequio posthabenda duxit Mommorancius; monuitque Cardinalem Borbonium, vt à fœderis promotorum fraudibus diligenter caueret, quos in politicis exagitatos, vt ipse factionis patronus esset ambiisse dicebat, nempe vt specioso se Principis nomine communirent, quasi regiæ maiestatis violatores esse non possent, qui regiæ stirpis Cardinalis imperiis incitati aduersus Regem arma tractarent. Admonebat præterea per conspirationes huiusmodi, tametsi necessitatis, aut religionis, aut publicæ vtilitatis speciem aliquam præ se ferrent, parari bellum inextricabile, & victis & victoribus noxium ob id vnum quia ciuile: cædere enim & cædi in ciuili hoc Martis campo iuxtà habetur reip. non minus lugendæ cum suos vincit, quàm cùm debellatur à suis: Nec minùs ægrè ferebat Nauarrus pacem hanc cum fœderatis sancitam quippe sibi suisque non parùm (vt rebatur) infestam. Condæum etiam angebat huius edicti promulgatio, solenni ad perpetuitatem sacramento, ab vtraque parte firmati, Hi ambo cum Mommorancio, Septimaniæ (vti iam dixi) præfecto ad Sanctum Paulum in Laureacensi agro congressi, scriptum vulgarunt decimo Augusti, quo Lotharingorum Principum potentiam inuidiosè carpebant, eos esse affirmantes, qui à Francisci II. tempore contra regii sanguinis principes arma tulerant, quò eos aut successione, aut successionis spe deturbarent: alia pleraque contra Lotharingos probra iaciebant, quæ hic repetere aut refellere non patitur præfixorum huic operi limitum ratio.

Card. Borboniū capit.

Nauarrus ægre fert regios inter & fœderatos conuenire.

Condæus pariter.

Scriptū contra Lotharingos.

Rex nihil hoc scripto commotus Nauarrum proposito potiundi regni illicio mitigare statuit, dum secundum Romanam religionem sapere se velle sponderet; honorificam igitur ad eum legationem destinauit misso Philippo Lenoncurio postea Cardinale, orauitque ne assensum denegaret, quo minus intra tempus edicto comprehensum cuncta Caluinianæ religionis suspenderentur munia, dum opportunæ inirentur rationes, quibus vtrique parti commodè fieri posset: optauit insuper Rex vt idem auxiliares longius prouehi copias vetaret, donec priuatum cum Regina iniisset colloquium. Ad hoc Nauarrus Neraci tum agens, immortales se Regi gratias habere respondit ob eam propensam in se voluntatem, quam cùm multis in rebus testatam re-

Legatis ad se missis quid Nauarrus responderit.

liquisset, tum præsertim in turbulentissimo hoc Gallicarum rerum statu: Verùm cùm longè potior sit æternæ felicitatis perfruitio, quàm perbreuis perituri regni vsura, inconsultè facturum se dixit, si sempiternis caduca bona præponeret. Præterea non esse hominis, multò minùs Regis, constabilitam semel religionis violare constantiam, si nihil hac in religione turpe, ac errori proximum sit; quod si mendax, fucique plena existimetur Caluiniana religio, detrahant (inquit) Doctores impositam laruam, hanc meretricem & infamem esse commonstrent: contrà verò in Catholica A. R. religione vnam eamque tutam inesse salutis viam ostendant, & hanc sine cunctatione arrepturum se spopondit. Quod ad auxiliares copias spectat, nec ab se sisti posse, imò nec debere significauit. Nam cum milites martis æstibus incalescentes aduenissent, haud dubiè si cunctati eos iussisset, omne planè in iis elanguisset animi robur. Sic legatorum verbis verba duntaxat Nauarrus rependit, reque infectâ vtrinque discessum.

Gregorius XIII. Pontifex abstinet spiritualibus armis.

At non verbis tantùm agebatur vbique, sed præter fœderatorum, spirituales etiam aduersus Nauarrum & Condæum Gregorii Pontificis implorabantur vires, annitente Nicolao Cardinale Pelleuæo. Rogabatur quippe Christi Vicarius vt binos hos principes diris deuoueret Ecclesiasticis; atque vt id faciliùs à se impetrari fineret, admonebant, quam à Deo accepisset, in tam illustribus proculcandis capitibus manifestandam esse potentiam. Id verò quanti momenti foret, accuratè perpendens Ecclesiæ vniuersæ Pastor, aberrantes greges pristinas ad Religionis caulas comitate potiùs quam Apostolica seueritate reuocandos esse duxit: vnde & fœderatorum semper votis obstitit procrastinans semper, quò incensam eorum spem aleret, quam non impleuit tamen, breui enim viuere desiit. Priusquam tamen mortalitatem expleret, felici Principum Iaponiorum in vrbem aduentu mœrorem quem è Borboniorum Principum contumaciâ ceperat, haud mediocriter leniit. Primitiæ propemodum erant Iaponicæ vineæ diurnis nocturnisque sancti Xauerii Indiarum Apostoli sudoribus excultæ, cui venti, tempestates, maria ipsa, & infidi Bonziorum & Ethnicorum aliorum greges iuge præstabant obsequium, dum hæreticorum Gallorum vsque eò obfirmata esset peruicacia, vt Doctorum penè infinitorum vocibus, scriptis, Regum autoritati, fulminantibus fœderatorum armis, apertæque veritati obstreperet: perinde quasi iratus hoc illis Deus improperaret, insinuaturæ se se in mentes vestras veritati restitistis, Ecce ad remotissimas conuertimur gentes. Et sanè ad Deum confluebant Iaponensium agmina, Xauerii vnius voce sanctitateque debellata: Tanti quippe est audire vocem Apostoli, qui

Iaponis Principes legatos admittit.

dum pia piéque apud auditores eloquitur, sacros ad virtutum amorem ignes iniicit; vt hinc liquidò appareat haud omnino igneas illas extinctas esse linguas, quas in augustissimum Apostolorum senatum Spiritus veritatis & amoris infudit.

Fuerunt autem Adolescentes hi Principes, Christiana verè pietate ac modestiâ insignes, dignique omnino, qui subactam Iaponiorum reliquorum ad Euangelicos Christi satus accipiendos indolem repræsentarent *Mancius Isus, Fiungia Regis nepos*, *Michaël Gingiuus Protasii Regis Arimæ frater*. His se comites dederant e primaria Iaponiæ nobilitate adolescentes item duo *Martinus Fara*, & *Iulianus Nacanra* paribus virtutibus inclyti, qui omnes ab Hispaniæ Rege magnificè habiti, & à magno Hetruriæ Duce lautè curati, Romam triumphali quadam specie inierunt. Visa quoque cum iis triũphare religio, quam adultam iam in Iaponia esse nunciabant. Accurrebat innumera hominum vis, qui principes ætate florentes eminus cominusque intuerentur, cultu quidem sermonéque cum Italis dissonos, virtute verò & religione pares, quam vt in sublimi positam theatro conspicerent, tot emensi iam maria fuerant, tot syrtes enauigarant, tam grauibus perfuncti erant periculis. Ingressi sunt vrbem vigesimo secundo Martii an. 1585. triennio toto in itinere consumpto; ac postridie, solenni pompâ ad Gregorium Pontificem, qui eos regia in aula, Cardinalium, Principum, Antistitumque coronâ de more cinctus ad solitum pedum osculum perhumaniter excepit. Tum literæ è Iaponica lingua latinæ factæ oblatæ Pontifici, recitatæque sunt, in quibus tam singularis Iaponiorum Principum erga religionem amor expressus visebatur, vt nôn modò Cardinales, sed & Pontifex ipse lacrymas interioris lætitiæ testes vbertim profûnderet. Iuuat ipsas literarum inscriptiones referre, ac primò Francisci Regis Bungi huiusmodi erat inscriptio; *Adorando & Cæli Regis locum obtinenti Magno & Sanctissimo Papæ*, subscriptio verò *Sanctissimis pedibus Beatitudinis vestræ substratus F. R. B.* Protasius sic inscripserat *Reddatur Epistola magno illi & Sancto Domino, quem adoro Dei vices gerentem.* Omuranorum verò Princeps. *Sublatis manibus adorans offero hæc Sanctissimo Domino Papæ Magni Dei vices gerenti:* sic verò subscripserat. *Ego D. Bartholomeus sanctis eius pedibus humi substratus.* Hæc efflorescentis in Iaponiæ regnis Ecclesiæ primordia vberrimam sanctitatis, sanctorumque messem appromittebant, quæ omnia hoc ipso, quo scribo tempore, magno religionis detrimento consepulta omnino iacent: iuuatque cum antiquo exclamare vate Heu vbi prisca fides! quæ sic proscripta est, vt qui eandem reuehere conantur Apostolici viri, omni suppliciorum

Iaponiorum Principum nomina.

Iapon. Literæ.

Penè iam interiit fides in Iaponia.

immanitate, quam nec veteres inuenere tyranni, lacerentur; aut enim illustres in foueis animas, aut in erectis supernè patibulis ponunt, nunc sublimes in Cœlum, nunc ad ima terræ demersi pretiosissimæ vitæ prodigi nobilissima consummant martyria, nec pœniteret profectò testem veritatis spargere sanguinem, nisi ferè sterilis hic esset, & parturiendorum Christo fidelium parum ferax, adeò insanientis populi mentes occupauit superstitio, & tyrannica regulorum ira in sacros Euangelii propagatores excanduit. E Iaponio regno incredibile dictu est quot è Societate IESV sodales per cruentatam hanc martyrii viam ad Cælum euolarint aucturi purpuratorum pugilum numerum, à quibus simile olim decursum est iter, arduum sanè & difficile, sed compendiosum & benignè crudele; quæ duæ potissimum res Laurentianas etiam flammas quasi superfuso cælitùs rore temperarunt, Stephani saxa emollierunt, aut in gemmas commutarunt Protomartyri coronando.

Societatis IESV Martyres in Iaponia.

Iaponenses, cùm quæ reliqua sunt Romanæ antiquitatis vestigia, locaque alia veteri religione consecrata incredibili pietatis sensu perlustrarent, è terris sublatus est Gregorius Pontifex, cuius visendi, ac venerandi causa, è tam longinquis regnis aduenerant: obiit autem octauo Aprilis, nimiâ pituitâ fauces obstruente extinctus, anno ætatis octogesimo tertio, aditi pontificatus tertio decimo nondum absoluto, rite quidem oleo sancto ad postremam luctam inunctus, impastus tamen, ob importuni morbi genus, Angelicum panem afferri prohibentis. De huius laudibus panegyricam orationem instituit Stephanus Tuccius Societatis IESV Sacerdos; nec defuit Oratori magno argumentum par, imò longè excelsius: enimverò de Ecclesia & tota republica Christiana optimè mereri sẽper instituit Põtifex adeò pronus in beneficia per omnes terrarũ oras spargenda, vt benignitatẽ & munificentiã eius in sinũ defluxisse haud immeritò prædicarint infiniti. Præcipua Sanctissimi viri cura fuit omnes quotquot Christiani nominis essent paterna charitate complecti, terrenumque iis & celestem diuini verbi procurare cibũ, ne in via qua cælum aditur deficerent: hic enim extructis doctrinæ pietatisque vbiquefere terrarũ gymnasiis, quæ amplis vectigalibus instruxit; infinitos aluit iuuenes, quos omni scientiarum genere, ac virtutũ armis præsertim roboratos, aduersus errantium hominum greges immisit splendida de confutatis erroribus spolia relaturos: Lithuanis Vilnensem scholam instituit: Pragensem Boëmis; Marcomannis Omolucensem; Viennensem Austriacis: Gracensem Stiriacis; Claudiopolitanam Dacis; Dilinganam Noricis; Fuldensem Saxonibus; Mussipontanam Scotis & Hibernis; Remensem Anglis;

Gregorij XIII. obitus

Gesta.

Virtutes.

Collegia ab eo instituta.

Mediolanensem Heluetiis, partiturus Seipsum, si commodè potuisset, suis & Ecclesiæ filiis, vt inter eos, pontificios partitus erat prouentus, præter quos ac seminaria ybique ferè ab se erecta & dotata, vicies centena aureorum millia in egenos distribuit, dec es verò centena millia Virginibus matrimonio collocandis impendit, Apostolici thesauri non tam Dominus quàm œconomus; cui vt & veteri huic Imperatori frustra illuxisse credita dies est, quæ benignitatis eius conscia non fuerit: in qua aut Pauperis non subleuarit inopiam, aut mœrore dejectum non erexerit obiecto illo tranquillæ frontis sereno, quo densas mœstitiæ nubes in infinitis penè discussit. *Munificentia.*

Hic ergo cùm leni admodum esset ingenio nunquam induci potuit, vt seueriùs Nauarrum acciperet, quam principi tanto reuerentiam non habuit Sixtus V. Pontifex in Gregorii sedem subrogatus: mirumque fuit in nouo Pôtifice ex humillimâ familiâ oriundo tam sublimes fuisse animos: nam Patrem habuit rurestri opere victum quæritantem, matrem inopem; quos ille sordidos natales adeò non erubuit, vt de iis gloriari palam soleret, quæ Apostolica verè gloria fuit, Christique digna vicario spontaneam Christi abiectionem consectante; atque in hoc ipso non facetè minùs quàm sanctè iocari solitus erat, cùm perillustri se domo natum esse affirmaret, quippe quæ cùm tecto nudata esset, illapsum omni ex parte solem admitteret; hi erant Ecclesiæ principis eruditi sales, & ad hominum eruditionem idonei, ne scilicet de fumosis majorum suorum imaginibus Ineptè superbirent mortales. Hic Pontifex Felix Perretus antea dictus viuidam illam & solertem indolem ad promouenda rite Ecclesiæ totius negotia semper attulit, & quia nimiâ curatorum segnitie collapsa plerisque in locis morum erat disciplina, eam vt in integrum restauraret totis animi viribus incubuit: nam dominantem variis in locis insultantemque licentiam iuris seueritate coercuit, conditisque in exules, homicidas, latrones, eorumque receptatores edictis acerbissimis, latè nominis sui terrorem circumtulit, vnde nihil tam crebrò plebis in ore versabatur quàm hic sermo, querimonia potius, dilapsis veteris licentiæ temporibus Sixti tandem aduenisse tempora. Sileo præcipua Pontificis huius gesta, sparsasque per Italiã totã sollicitio res euras, vasto enim animo pari opus est sphæra: stylũ itaque ad ea quæ nobis sunt propiora reduco. Sixtus ergo morosioris lõgè ingenii quãGregorius, seu illã morũ seueritatem à natura traxisset, seu ab austerioribus Frãciscanæ familiæ legibus, è cuius instituto adolescens vixerat seu quòd (vt diuersa sunt, & in peius plerumque prona mortalium iudicia, vel ea quæ iusta sunt honestaque perperam interpretantium). *Sixti V. Pontif. Ortus.* *Eius fortitudo in comprimenda licentia.*

Nominis hinc excelsitatem affectaret, Nauarrum & Condæum Apostolicis adortus est armis: Henricum deinde Galliæ Regem etiam atque etiam hortatus est, vt in animum sæpius reuocaret, quod in inauguratione sua præstiterat sacramentum; exolueretque, quod astante Principum coronâ spoponderat Deo, meritas pœnas repetituro, si falleret. Quare regias in id vnum curas conuerteret, vt hæreses omnes, ipsaque hæreseon semina, omnes denique nouitiorum errorum tenebras è candidissimo, hoc est liligero regno sine mora perturbaret. Apostolicæ diræ non perterruere Principes, cùm ad peiora audendi incenderint magis. Hinc intelliget, lector, quàm molliter juxta ac reuerenter habendi sint Principes, a quibus vix quidquam per vim exprimas, cùm palmarium id putent, palmarum in modum, difficultatum ponderibus obluctari.

Leniter habendi Principes.

Non otiabantur interim arma, nam in Aquitania, Septimania, Delphinatu pleraque tum ab hugonotis capiebantur, & diripiebantur oppida; quod dum ad Regem perlatum esset, statuit illico, adhibito Procerum consilio, furentem hanc sectariorum audaciam coercere, nouo in eos edicto Lutetiæ condito, quod in senatu, postulante regio Cognitore promulgatũ est, quo priorem hugonotis gratiam concessam, ne ob temporis moram insolescerent, breuius ad tempus contraxit. Nam quidquid è semestri spatio per mensis Iulii edictum, ad fidei Catholicæ professionem aut deferendum regnum indulto supererat, ad quintum decimum diem restrinxit; exemptis inde fœminis, quas ob sexus imbecillitatem toto gaudere priuilegio iussit. Item eorum bona, qui arma nondum deposuissent recognosci præcepit, quæ mobilia forent hastæ subiici, immobilium fructus ad ærarii supplementum conferri, ac in nouos belli sumptus impendi mandauit. Alia atque alia contra sectarios incassum sancita sunt: quæque ad eos subigendos comparata vis erat, ad defensionem acriùs impulit, quasi cedere nescios nisi penitus frangerentur. Regium hoc edictum alio ab se reposito Nauarrus oppugnare molitur; hic permulta veteri more, de sua eáque diuturnâ iniuriarum tolerantiâ priuato in cœtu præfatus, quasi scopus esset vnicus in quem acutissima hostium tela distringerentur, decreuit, Bergeraci cùm esset, vt Catholicorum, eorumque nobilium bona pariter bellicos in sumptus diuiderentur: sic ex æquo, non pari tamen iure, ab vtroque Rege certabatur, excusabatque hanc alienæ distrahendæ rei insolentiam Nauarrus, dum pro patria salute regnique incolumitate arma cepisse se contestaretur, quod fœderati perditum irent: eius autem ruinæ mox per eosdem (vt aiebat) futuræ tanto timore ac horrore quatiebatur, vt incanuisse se in

Loca quædã inuadũt hæretici.

Decretũ cõtra hæreticos.

Decretum Nauarri cõtra Catholicos.

hac defixum cogitatione asseruerit. Verùm & hoc se metu eximere, inclinatæ Galliæ saluti prospicere, resque fœderatorum atterere poterat, Maiorum si religionem adamasset, quod vnicum testabat persanandis tot malis remedium; sed vt Regi Reginæque hoc monentibus identidem obsequeretur, prohibebat nouitius Ministrorum grex ad constantiam in noua religione tenendam adhortantium: quasi verò in errore tuendo constantia stare possit, non potiùs contumacia, & obfirmata Deo Regique repugnandi libido.

Tradunt scriptores, Turenium Vicecomitem veritum, ne sectæ fidem Nauarrus desereret, fidos ei è Caluinianâ disciplinâ speculatores apposuisse, qui dicta factaque, quin & ipsos Principis nutus obseruarent: atque hic si tandem Catholicorum ad castra remeasset, Turenius id ab hugonotis expresserat; eorum vt præses in Septimania, Aquitania, Delphinatu, ac Prouincia renunciaretur: imò & Gallicarum omnium Ecclesiarum caput, si Condæo Principi emori contingeret. Nec enim dissimulabat interdum Nauarrus internis se ad Majorum religionem afflatibus excitari; sed extinguebat tamen cælestes illos monitus, vtque non tantum sectæ professorem se, verùm & adiutorem præstaret, exquisitissimos militum delectus comparabat, quos in fœderatos immitteret; in eoque quotidie versabatur, vt arces omnes sibi obnoxias fortissimis præsidiis communiret; vt quos nactus erat milites ludicra inter ipsos armorum tractatione ad serios bellorum euentus erudiret, spei tum maximè plenus, quòd refrixissent inflammata priùs in ipsum Catholicorum Præsulum odia, commiseratione Borboniæ familiæ Ecclesiasticis armis appetitæ, quod ius à Pontifice assumptum ægrè admodum ferebant, querebanturque horum nõnulli ea ab Romà torqueri fulmina, quæ Gallicanas (vt aiebant) immunitates infringerent: quare gestiebat animo, cùm religione solutos, aut propediem soluendos hostium plerosque certò sciret, quos ad arma contra Borbonios Principes capienda angor & sollicitatio cõscientiæ impulerat. Sed haud quaquam resiliebant à proposito fœderati: acrius etiam cum veteribus odiis noua exardescebant bella. Ligeris oram legebat Meduanus cum mille quingentis Germanis equitibus, leuis item armaturæ quadringentis, & quinis peditum millibus, alii atque alii lectas in Bituricensi, & Seligoniensi agro cohortes Meduanis pariter turmis adiungebant. Emmanuel Lotharingus Mercurianus Dux, Armoricæ præses, Pictones cum valido exercitu populabundus inuaserat.

Nauarri pro tuenda secta peruicax animus.

Armantur Catholici.

Nauarrus qui hostilis exercitus molem in Aquitaniam, vastissimum Martis campum, effundendam persenserat, hanc vltro sibi de-

fendendam prrouinciam sumpsit; id se commodè facturum ratus, cùm multos hac ex prouincia proceres sibi conciliasset, quos adiutores sibi fore sperabat. Præterea haud procul erat Rupella, vnde omnia militiæ instrumenta siue ad rem frumentariam, siue ad æra militaria exportari haud difficulter poterant: Condæo verò ad Santonas vt cum legionibus festinaret persuasit, Mercuriani vires nondum satis auctas validioribus repressurus; quod cùm hic præsensisset, enimverò temerè facturum se putauit, si fortiorem opperiretur hostem, cuius ipse cum suis triumphum adornaret: potentiori itaque cedendum ratus Fontenaium in perfugium delegit, cùm ecce portis vrbis exclusus intra ipsa vrbis suburbia cum suis pernoctare cogitur, quam ille repulsam indignè tulit, quippe sibi admodum periculosam, maximè cùm instaret à tergo Condæus fidens animis, & repentinam hostium fugam in omen tracturus victoriæ. At quidquid minarum Mercurianus Fontenais intentaret; habebat sanè quò se se tueretur loci præfectus: non enim vt hostem excluserat, quem commeatu, aliisque ad curãda corpora necessariis abundè iuuerat, sed intra vrbis mœnia eum admitti prohibuerat, cùm nihil super hac re de Regis voluntate constaret, sine cuius nutu haud facilè quibuscunque, tametsi pro Rege pugnantibus reserandæ sunt ciuitatum portæ. Addunt aliqui repulsum idcirco Mercurianum, quòd licet Regi regiisque proceribus adhærerent Ciuitatis primores, fœderatis tamen infesti atque infensi essent. Cùm propiùs accessissent hostes atrocibus aliquot certaminibus pugnatum est, resistentibus fortiter Catholicis, & quod virium sibi deerat animorum excelsitate supplentibus; sed Mercurianus, ne residente tandem suorum, quos pauciores habebat virtute à Condæanis vinceretur intempesta nocte, quæ acre cruentumque bellum diremerat, tacitè nullo tympanorum bombo, aut tubarum clangore audito, conclamari vasa iubet, ac festinatis itineribus impastos milites suos, ne, dum corpora curarent, interueniret hostis, Ligerim versus ducit: in hac tamen fugæ festinatione, quod ferè fit, tardiores à Condeanis Equitibus intercepti sunt, parsque impedimentorum amissa. Illinc contra nobiles aliquot Catholicarum partium exercitus ductus, qui ad Mercurianum accurrebant, suppetias, sed tardiores laturi: horum plerique aut occidione occisi, aut capti, quibus non nisi grandi persoluto ære pristina fuit restituta libertas.

Dux Mercurii Fontenaio regiciitur.

Mercuriani à Condæanis vincuntur.

Condæus prosperis his successibus lætus arces & oppida Rupellæ finitima occupauit, fidens animo perinde quasi victoriam in sinu ac potestate, ac nunquam inde recessuram haberet, vsque adeò hæc Condeanis suffragabatur conatibus. Verùm post paulò, ad Regios commodùm

modum versa est ea occasione, quam paucis aperiam. Iacopolis, vulgò Broagium ad Santonum insulas in littore maris ab Regiis partibus stabat, eratque hoc oppidum & ipsa loci naturâ, & præsidiariorum opere strenuè communitum: hoc tamen Rupellenses maritimâ, terrestri verò Cōdæani expugnatione inuadunt, nam hactenus in tenuibus fere & ignobilibus locis aggrediendis omnis coarctatus fuerat Principis labor. Iacopoli præerat Franciscus Spinæus Sanlucius, cum quo stationarii aderant non animis minus, quàm viribus pollentes, auxiliares etiam eò venerant nobiles è finitimis castris acciti, probaturi hoc in rerum articulo nobilitatis esse non tam vitam spectare, quàm gloriam. Hoc igitur oppidum cùm obsidione terrestri arctè cinxisset Condæus, superuenit illico nuntius, qui Andegauensem arcem à Rupimortio Halloto, & Fraxineo aliisque Nauarri asseclis per proditionem captam esse referret, quò captata priùs militum gratiâ se se furtim penetrarant, occisis qui arcere parabant, præsidiariorum non paucis; sed cum pari dolo ciuitatem in potestatem redigere conarentur, horum aliquot simulatæ ciuium amicitiæ temerè confisos in tentato mortis terrore in vincula trusos, breuique quam machinati fuerant proditionem, capite expiaturos, quod vt infame supplicium deuitarent, vrbisque simul potiundæ certam spem facerent, supplices ad Condæum missas esse literas, à quo promptius, quàm à Nauarro, qui procul aberat, sperabatur auxilium.

Broagium à sectariis inuaditur.

Porrò Andegauum nobilissima vrbs est amœno in loco trans Ligerim sita: ingentem ciuium numerum intra mœnia claudit, iurisprudentiæ scholis, aliisque scientiarum gymnasiis amplissimarum ciuitatum academiis non inferior. Princeps ergo pingui obiectæ sibi prædæ inhians, simulque exercitus sui trans Ligerim transportandi studio incensus, quod Hugonotorum rebus commodum fore censebat, huc præcipuè curas intendit; vt experiretur vtrum, cùm de arce partes vtrinque digladiarentur, vrbem ipse occupare militari dolo posset: cupiditatem augebat vrbis ipsius dignitas, victori decus haud modicum paritura, quapropter ab Broagii obsidione absistens, ad quam Sammemium cum exiguis viribus reliquerat, magnis itineribus Andegauum ducit, nihil difficultatum agminatim se se obtrudentium timore permotus, inducendarum quippe in vrbem contra Regios copiarum certam in spem venerat, & abalienādarum ciuium mentium à fœderatorum societate, atque eo pacto vrbis ipsius occupandæ; quæ vt suscepta perficeret, catapultarios magno numero secum ire iussit: iamque Ligerim qui præcipuus erat obex, nauigiis annonam vinariam conuehentibus impositus haud difficulter traiecerat, cùm

Andegaui situs laus.

Cōdæus Andegauum occupare conatur.

Claromontium subsidiarias cohortes ducentem obuium lætus excepit, auspicata hactenus omnia nactus, & fortunatiora postmodum opperiens, nisi, vt iam dixi, variis, inopinisque casibus obnoxius foret militantium labor. Procedebant ergo cum legionibus Condæus & Claromontius, Sangelasio cum aliquot equitum turmis ad explorandum loci genium præire iusso, cùm interea Andegauensis arx vt iam dicam ab Catholicis teneretur, Halloto in vincula dato, peremptoque Fraxineo, Catholicorum animos & fiduciam haud mediocriter auxerant, hinc carolus Cossæus Brissaci Comes, vrbis præfectus; illinc, qui pariter superuenerat Henricus Ioyosæus Bucagii Comes, Prouinciæ Gubernator, ad quos recens accesserat Annas Ioyosæus Bucagii frater, Ludouicus Campanus Susæ Comes aliique cum delectis copiis ad dissipatum rei nuntium aduolarant, tantò promptiores ac fortiores operas collaturi, quanto calamitosior res futura videbatur, si amplissima hæc vrbs in hugonotorum potestatem deuenisset. Rupimottio, ne mitiùs quàm aliis fieret, duplici catapultaria glande morsillata est, quarum altera linguam ei excidit nec sine arcano quodam, vt nonnulli interpretati sunt, fato, quòd compositis ad illaqueandos præsidiarios fraudibus aliquot in arcem furtim irrupisset; altera guttur eidem trajecit.

Condæani Ludificatur ab Andegauensibus.

Præsidiarii Duce suo orbati cum regiis, certis conditionibus transigunt, arcemque Præfecto ab Rege imposito tradunt, quorum cùm inscius esset Condæus magnis itineribus festinabat; sequebetur exercitus, quem quò tutiùs ad Andegauenses transportaret, varias in turmas partitus fuerat, id vbi primùm Andegauensibus iam arce potitis innotuit, in vrbana suburbia fossis & propugnaculis cõmunita, omne præsidiariorũ robur transferunt, tumque maximè arcem Catholicis partibus redditam à Condæanis intellectum est, cùm his appropinquantibus, nulla in aduentantis auxilij signum festo bombo tormenta perstreperent; sed in ipsos glandibus suis instructa laxarentur; hi tamen nihilo secius, dum martii calerent impetus, furentibus animis irrumpebant, repellebantur; instabant, violentiùs etiam retundebantur; cruentabatur dimicantium campus copioso partis vtriusque sanguine, nec plagarum sensum admittebat obsidentium ardor, donec, quod Gallorum est vitium, post primam, aut secundam impressionem elanguesceret. Id cùm Princeps seriùs agnouisset, receptui cani iussit, ne plures è suis nullo operæ pretio oppidanorum telis appetiti conciderent; tutum tamen dilabentibus copiis diuturno iam labore confectis, desperabatur effugium, & quia non ex voto res processerat, dolebat illis vehementer quod aut maiora viribus suis cum Phae-

tonte postulassent; aut non attendissent satis ad incertas fortunæ (quòd aiunt multi) in campo dominantis vices, quas longè antè prospicere, & euitare, aut emendare prudentiæ munus censetur, quæ præcipuum ac fortissimum in Imperatore telum est crebriùs hostes profligaturo si non modò recta, sed & rectè & peropportunè imperare consuescat. Condæus septus vndique tum regiis militibus cum laude congressuris, tum rusticanis calonibus iniurias sibi factas per indecora tela vindicaturis, suos omnes viribus auxilioque defectos, tutiore qua possent insistere viâ, desperatæ propè saluti consulere iubet, ipse verò concubia nocte cum exiguo comitatu per Cenomanos in inferiorem Normaniam, conscensâque inde naui in insulam Grenezæam Anglicæ ditionis trajecit. Reliqui dimissis impedimentis hac illac palantes, partim euaserunt incolumes, partim cum gregariis à Villaticis interempti sunt, exiguæque dignationis viris. Sic dissipatus tandem est Condæi exercitus, vnàque accisæ hæreticorum vires; Broagij pariter soluta est obsidio.

Fugantur.

Dissipatur exercitus.

Broagiensis obsidio soluitur.

Condæus impetratis ab Angliæ Regina nauibus, grandique ære accepto Rupellam regreditur, atque hic licet periculosa hac expeditione defunctus esset, haud propterea desponderunt animos Hugonoti, continuis Aquitaniam, Septimaniam, & Delphinatum armis infestantes. Et atrocissimum sanè ab iis imminebat bellum, cui tum armorum, tum recentium edictorum robore anteuertere adnitebatur Henricus Rex Condæanis præsertim infensus; quo tempore cùm pleraque ab eo contra perduelles sancienda peterent fœderatorum primores, ac præsertim vt Concilii Tridentini decreta publicari, custodirique sineret; postulatum id omnino reijciendum existimauit, quippe non tempestiuum satis, ideoque ad commodiora tempora reseruandum, causatus tot & tantis negotiorum se molibus obrui, vt quæ turbida tum erant componere, quàm noua, eáque à multis refellenda inducere, consultius esse iudicaret. Per id temporis edictorum seueritatem exosa nobilitas, sectæ addita, ac in Aquitaniam progressura Henrico Turrio Turenæ Vicecomiti, magno Catholicorum damno socias vires adiunxit. Hic roborato inde exercitu per Petrocorios & Cadurcos populando, latè excurrit, Liburnum in Insulæ, Duranique confinio, quod commeatui bellico peropportunum est oppidum, frustra tentauit; vt autem ingentibus collectæ nobilitatis conatibus p[illegible] aliquid aggrederetur, in Lemouices ducit, Tutelamque aduersus co[illegible]lectas numerosi exercitus vires non satis securam inito prælio debellauit. Hæc in Lemouicensium agro exigua satis vrbs est, vario tam[illegible] mercimoniorum genere nobilis, ab Ioanne XXII. Episcopali dignit[illegible]

Condæus ab Angliæ regina iuuatur.

Turene Vicecomes loca quædam intercipit.

Tutela capitur.

aucta, tribus constans suburbiis, quæ ipsam vrbis magnitudinem facilè vincunt; montibus vndique cingitur, & amne alluitur, qui secundum mœnia labens suburbium inferius interfluit, in quod quæ carissima Oppidani habebant, abstruserant effrænes prædatorum impetus elusuri. Tureniani in hoc primò suburbium irrumpunt, Franciscanorum cœnobium diruunt, tumultuaria obsessorum munimenta dissipant, capitur vnà suburbium aliud, Oppidani ab hoste vndique oppugnati in vrbem quasi ad vltimum fortunarum capitisque asylum perfugiunt, dum interea quidquid vspiam ausa est militaris licentia, in suburbia iam iam capta Tureniani profunderent. Inde ad vrbem ipsam versa vis est; in abigendis tamen diuidendisque prædis dum occuparetur miles, senileuibus integrandis præliis consumpti sunt dies; cumque longè maior oppidanorum, quàm obsidentium clades foret, ne funditus interiret vrbs tota, cum Hugonotis colloqui placuit, ac post crebras tergiuersationes in eo conuenerunt, vt oppidani certam victori pecuniam adnumerarent, pacemque iniquis conditionibus tametsi necessariis redimerent. His peractis hac illac dilapsæ sunt Tureni copiæ, quo tempore Matignonus post solutam Iacopolis seu Broagij obsidionem, loca quæ à sectariis tenebantur, populabundus incursat, quorum res animique pariter ob infelicem Condæi expeditionem conciderant, qui cum idcirco segniùs resisterent, Matignono hostilia vbique agere, ac lapsantes hæreticos proculcare facile fuit.

Vrbs diripitur.

Intestinis partiu odiis tota tum maximè Gallia conflagrabat intendentibus faces Hugonotis, promptúque erat Henrico Regi tumultus hos omnes opprimere fœderatorum præsertim armis subnixo, nisi nostratibus hæreticis animos addidisset obuius Elizabethæ Angliæ Reginæ fauor, suppetiæque sæpius iisdem oblatæ, tum etiam pluquā agrestis eiusdē Reginæ in torquendis Romanæ fidei cultoribus barbaries; nam vt recentis adhuc Ecclesiæ alumnis crimini dari solebat ab Ethnicis, si nimia siccitate sterilesceret agri aut profusiore imbriū copia fruges computrescerent. Ita & quidquid in Anglia aut improsperè gestum, aut proditoriè factum aut susceptū fuerat, Anglicanis Catholicis quasi calamitatū omniū autoribus impingebatur id totum, quare mirū non erat, si Regina hæc Iesabel altera, sceptri sui retinentissima atrocibus in Catholicos fulminaret edictis, quos ex insula & quod pictatis erat reliquū, exturbare nitebatur, haud satis gnara quantum ad perpetuandā regni felicitatē interfit pios & alta virtute præditos habere secum viros, qui librandū in principum capita a iusto iudice ac vltore Deo fulmen auertāt. Verū in sacerdotes præsertim, & Societatis IESV

Anglia Regina in Catholicos persæuit.

Sacerdotes exitiale odium, iramque conuciterat, quippe ab hæreticorum institutis, & à nouo Anglicanæ Ecclesiæ monstro, cuius caput fœmina esset, alienissimos, quos iussit intra quadragesimũ ab edicti promulgatione diem procul facessere omnes, pro læsæ majestatis reis habendos, si post euolutum hoc tempus interciperentur in regno; horum autem receptatores pœnis homicidarũ addixit. Ac ne tãtum in prouectæ iam ætatis viros crudelis existeret, in imbellem etiam florentẽque ætatẽ atrociter sæuiit, dũ iuuenes Anglos per varia seminaria extra insulã sparsos, intra semestre spatiũ redire in Angliã, ac sibi se tãquã Reginæ submittere iussit, qui verò iuuenibus remeare nolentibus æris aliquid aut idonea alia tolerãdæ vitæ subsidia mitterẽt, eos perpetuo exilio, bonorũque suorũ proscriptione mulctari præcepit; quæ omnia ab hæreticâ Reginâ sancita inexplebile eius in Orthodoxã religionẽ odiũ apertè demõstrant. Priusquã ex infortunatâ hac insulâ pedem efferamus, legẽtium oculis subiicere iuuat primariæ Ecclesiæ speciẽ aliquam in Anglicanis Martyribus gnauiter expressã. Pleni tum carceres erant innocẽtiæ inter vincula triũmphantis; audiebantur inter immaniũ catenarũ stridores piè Numini supplicantiũ voces; emicabant omniũ in ore oculisque gestientis lætitiæ signa minimè dubia, quod cum Diuo Paulo vincti essent in Domino, ac perferẽdis pariter cum eo cõtumelijs digni habiti essent; at cælesti præsertim gaudio cumulabantur, cùm quasi vilissima patriæ suæ purgamẽta in lõginquas trãsportarentur regiones, aut cum de feruilibus pẽdentes patibulis decoras obire mortes cogerẽtur, aut carnificũ secures largo cruore imbuerẽt, aut alio supplicij genere excruciati mortalitatẽ exuerẽt, beatã immortalitatẽ inchoaturi. Non molliebatur fuso piorum sanguine Regina crudelissima, sed laceratis & excarnificatis tot sanctis superrat eadem semper Medea cædes cædibus cumulatura, sicque omnibus probatura, quàm iniustè ius dispensetur, tracteturque ferrum ab hæretica fœmina, quàm aut ambitio, aut rabies, aut vtraque res simul efferauerit.

Impia eius edicta.

Martyres Anglicani.

Lugebantur interea à spectatoribus multis beati Martyres, cùm hi ad paratũ carnificinæ pegma siccis oculis hilarique vultu raptarentur, sed nemo vberiores quàm Maria Scotiæ Regina fletus exciuit, in qua illustre planè documentũ eluxit barbarũ in modũ lacessitæ, nunquam tamen violatæ Christianæ patientiæ. Vicenos fere annos in Anglicanis exegit custodiis; excubãtes aduersariorũ oculos, & suspicaces animosè pertulit, contumacem præterea hostium in nutibus obseruandis malignèque interpretãdis cõstantiam; vix vnum aliquem habuit innocentiæ suæ patronum præter cõscientiam; Rea peracta est quia innocens, quia Catholica, quia ad Angliæ solium iure prouehenda, depulsâ inde

Maria Scotorum Reginæ Martyrium.

Reginâ nothâ & hæreticâ. Confingebantur quidem in ipsam crimina, quæ diluere vel ipse Gallicus poterat candor, quem in Gallia, cùm Francisci II. coniux esset, adbiberat; Et si quid aliquando deliquit, tum certè maximè, dum in Scotiam suam auitum Maiorum suorum regnum, ac suum pariter remigrauit, grauiùs tamen peccauit, cùm in Angliam soluit, Elizabetham experrura furiam, quam sobrinam appellabat; sed facilis huic errori paratur venia, fidos ad hospites, suique similes proficisci se credidit, quos infidos hostes & carnifices sensit; nam quasi vna aliqua de infimæ plebis quisquiliis fœmina, aut iam coronatum aut iure coronandum triplici diademate caput ad ferale pegma attulit anglicanâ securi truncandum, quo præsertim tempore eorum omnium, qui spectatores aduenerant, aucta est comploratio, dum hæc heroina non tam in sistendis suis, cum nullas profunderet, quàm in alienis comprimendis lacrymis occuparetur; nam ingens hoc regiæ maiestatis inter mortales dehonestamentum, turpem hanc maculã Stuartiæ dignitati, tam augusto sanguini ab impia Regina, & nefariis eius consultoribus inustam; tetrum illud facinus nunquam ab immanibus Scythis aut Cannibalis meditatum, ab hæreticis non meditatum tantùm, sed barbarâ quadam feritate peractum, animo plane regio, immotâ pertinacique penè patientiâ tolerauit, angorum memor & dolorũ, quibus discruciatus olim mundi reparator in patibulo fuit. Atque ex hac Christi de cruce pendentis effigie, quam illa manu coram prætendebat, cuique morientia & postrema iungebat oscula masculum quoddam in se robur deriuabat, quo se ad crudelem Elizabethæ sententiam, durũque subeundæ mortis imperium inflecteret. Non dubito quin venturis olim ætatibus amoris horrorisque documentum duplex hæc Regina futura sit, Maria Catholica, Elizabetha hæretica; hæc Iudicis personam iniustè sibi arrogans, illa sontis notam, & infamiam toleranter, imò & lætanter assumens, hæc crudeliter sæuiens, illa sedatè perpetiens; hæc felix infeliciter, illa feliciter infelix, hæc execranda & è mortalium fastis omnibus eradenda, illa sempiternis ornanda præconiis, Cælitum albo inserenda, & quod iam speramus, inserta: nempe sceleratorum odia Boni suas in laudes vertunt. Nihil egisti Elizabetha (cogit enim excedere propositi formam operis erumpens animo dolor) non tibi, sed Mariæ filio regnum Matris eius cruore sanxisti; innocuus hic sanguis debitas à scelestissima regina tandem pœnas exposcet Rapuisti Mariæ lucem sollicitam, ætatem ærumnis mille debilitatam, famam verò gloriamque rectè factorum adeò non abstulisti, vt auxeris; viuit, viuetque per omnium sæculorum memoriam; adeò quippe hæc non interit, cum

cùm interimi iussisti; vt quod in ea mortalitati obnoxiū erat, derasferis tantùm; quo fortunatam eidem immortalitatem afflares: fecisti quod Nerones; hæc quod martyres pertulit, Martyrum lauream assequuta. Lugubrem hanc narrationem hîc inserere decuit, in ea quippe nostrū est aliquid, tametsi in Anglia & ab Anglis consummata fuerit tragœdia, Maria quippe in Gallia educata, & Francisco II. Regi, vti iam dixi nupta fuerat. Hinc autem intelligant omnes quàm audax, quàm infidum, quámque agreste monstrum sit hæresis, quæ sacris Regum capitibus tam petulanter insultet. Nec decusso hoc Mariæ Stuartiæ capite contenta erit Anglia, hanc enim barbariem in Carolo Rege Mariæ nepote renouabit, quod idoneo loco, ni secus videbitur, referemus.

Nunc verò ad tumultus Gallicos causa religionis excitatos stylum reuocemus. Post Tutelam captam Talliaburgum Tremolliæ ditionis oppidum ad Carantonum in sectariorum potestatem venit, cuius in arce morabatur Ioanna Mommorancia Ludouici Tremollii in Melæi obsidione ante 8. annos defuncti vidua, Claudii Tremollii & Carlotæ Catharinæ parens, quam Carlotam Condæus in vxorem delegit formâ egregiâ virginem, à quibus tamen nuptiis auersa omnino erat Mommorancia, siue quòd vt dissentiret, à Rege admonita esset, siue quòd potiorem religionem haberet quàm affinitatem etiam tanto cum Principe contrahendam. Contrà verò Claudius immenso conficiendæ rei desiderio inæstuans, non sororem tantùm hæretico principi nuptui tradidit, sed & in eiusdem castra transiliit Caluinianus effectus, adeò vilescit in hominibus Catholica fides cum honorum fastigio comparata. Ex hoc coniugio repugnantibus multis, & ipsa reluctan- religione inito maximum inexpectatumque post annos aliquot fructum cepit Ecclesia; ex his siquidem nuptiis editus est Princeps studiosissimus Romanæ fidei sectator, eiusdemque propugnator acerrimus, qui post multa contra hæreticos bella feliciter gesta insignes de iis magnificè deuictis sæpius, & attritis triumphos reportauit. Sed hæc vberiùs sub Ludouico XIII. potentissimo hæresis & hæreticorum domitore differentur à nobis, vt autem res huius temporis prosequamur.

Talliaburga potiuntur sectarii.

Condæus Carlotam Tremolliam vxorem ducit.

Claudius Tremollius sectariis iungitur.

Referunt annales Francici Meduanum cum ingentibus copiis per Petrocorios, Cadurcos, & Lemouicenses progressum præmisso Sacromoro Tutelam ab hæreticorum ferocia vindicasse, quod vrbi clades ferè innumeras perpessæ hoc iucundius fuit, quò ægriùs sub cruenta hostium tempestate perdurabat, tum alia atque alia oppida sensim progrediēdo sui iuris effecit. Fortunatum tamen victoriarum

Meduanus Tutelam recuperat.

cursum inhibuit durissima, qua tentatus est, febris, Burdigalam eius depellendæ causa profectus: cùm enim rerum omnium summam alteri tradidisset, ex eo lentiùs progredi cuncta quasi veterno præpedita, languescere conspecti militum animi pacatiùs omnia quàm pugnæ moram sustinentes, flaccescebant autem quia non vrgebat Meduani præsentia, qui tandem è periculoso illo morbo recreatus, refectas illico vires in pristina Martis opera continuanda laxauit, Castellionem munitum satis locum, vt & alia pleraque intercepit; sed cùm fatiscentes copias suas tum ob tolerata diu belli incommoda, tum ob rem cibariam imminutam, iamque penè deficere non absque mœrore videret, cùm stipendia aut numquam, aut rariùs certè procederent; perstreperentque cuncta frequentiùs militum querelis, quam armis, Sesseuallum ad Regem destinat: qui nihil æris ab aula militi distribuendum summitti expostulet, cõplures è militibus sub signis & pellibus durasse sine stipendio, ægrè bellorum adiri pericula, armaque tractari sine mercede: laborare, decurrere, solem pulueremque ferre militaris esse constantiæ, sed commeatus ne desideretur, ductorum esse prouidentiæ, & propensæ in suos charitatis.

Febri laborat;

Languescunt pariter eius copiæ.

Stipēdiorũ defectu.

Meduanum prætereà sollicitum habebat Nauarrus hac illac cum exercitu volitans è binis catapultrariorum millibus, equitibus leuis armaturæ trecentis composito, quibus ad subita cuncta paratis vti consuerat militiæ peritis omnibus, cum in eius muneribus consenuissent. His autẽ copiis instructus nulli non aderat Nauarrus nunc progredienti similis, nunc regredienti propior, nunc hac, nunc illac mirabili semper celeritate copias agens, nunc reuocans; vbique cum suis, ac pro suis, ne ab regiis interciperentur, aduigilans, consilio Dux, miles manu, vtriusque munia mira ingenii dexteritate complectens; nam cùm omnia viarum discrimina notissima iamdiu haberet & selectissimam pubem disciplina militari apprimè instructam, præsto semper aderat, tum vt obsessis partium suarum vrbibus præsentem opem afferret, tum vt insequentium se hostium vires & dolos eluderet.

Vigiles Nauarri curæ

Hæc dum in Aquitania gererentur, Delphinatum pro sectariis adgubernabat Franciscus Bona Lesdiguierius, quem hac præfectura donarat Nauarrus, strenuum belli ducem, & militari prudentia clarum, à quo Dia in Vocontiis capta, mox & Montelium Ademari, postremo Ebrodunum: vtebatur autem cùm aliis machinis, tum portatilibus præsertim tormentis de quibus supra diximus, crepitacula vocant portarum potiùs pestes, quas momento aut paucis repetitis ictibus euertunt; hæ porro machinæ tantò infestiores, quantò faciliùs admouentur. His in expugnationibus prostratos sæpius fœderatos fuisse repero,

Lesdiguierius sectariis Delph. præpositus.

reperio, qui editam in suis stragem vindicaturi non tam armis quàm edictis Regem detonare compellunt in hæreticos omnes sancitis, seuerè præsertim in eos animaduersum, qui Condæum non multò antè sequuti, victi ac dissipati ab Regio milite fuerant, iis enim & arma & equi, tum si qua priuatis in ædibus bona numerarent, quasi lege talionis adempta sunt. *Condæani spoliati.*

Cùm vbique mutui perfurerent gladii, internecinaque flagrarent cum veteribus odiis bella, conspecti sunt à plerisque in Bernensi agro pareli i, perinde quasi ignibus nostris, hoc est rixis & cladibus Gallicis cælum inardesceret, quo tempore pertenuis flamma quædam terram allambere visa, subter quam horrendi mugitus auditi repentino terræ motu exciti; pars autem montis in vastos & immanes hiatus abrupta, vnde ventus adeò violentus erupit, vt vegrandes saxorum moles locis suis erutas longè propelleret. Sic odia nostra in elementis ipsis expressa, & imbuta fuso infinitorum penè interfectorum cruore, terra vlulanti similis, aut in malis nostris ingemiscenti vastum illico sinum aperuit, quo vna cum interfectorum corporibus Gallicum nefas & dominatam in Gallia crudelitatem operiret. Verùm ad certos illos Cæli monitus non attendebant satis milites: nihilo quippe segniùs nouas in cædes proruebant, maximè cùm regiis edictis in sectarios omnes sanctis omnis adempta vis esset. Atque vt fœderati aduersus perduelles recens coram Rege dequesti erant, ita Nauarrus expostulatoriis ad sacrum Ordinem, plebeium, ad nobilitatem etiam concinnatis literis Montalbani cùm ageret, quò sectariorum legati cunctis è regni prouinciis aduenerant, de sacro primùm ordine haud sine graui doloris sensu visus est queri, quòd Ecclesiastici fœderatorum (vt aiebant) ambitioni seruientes, sacrum Christi patrimonium ad religionem in specie fouendam, re autem verà ad pacem & religionem disturbandam profunderent, quæ turbidis propter mutuas altercationes temporibus salua consistere nequit; annon eorum euerberarent aures, aut alte in animos penetrarent crebræ tot cadentium & malè pereuntium execrationes in tumultuum autores prolatæ quotidianæque multorum querelæ non hostium ferro magis quam sacerdotum pecuniâ strages cumulari, armatas quidem manus ab hostium cohortibus inferri, à Sacerdotibus feriendi audaciam, pretiumque ab iisdem crudelitati constitui: verùm quorsum omnia præsertim in vnum se coniurationis tela intenta essent satis omnibus notum, à maleuolis siquidem religionem obtendi, sed friuolam inde continuandi belli occasionem arripi, cum legitimi ac liberi Concilii decretis obtemperaturum se *Parelii conspecti.* *Nauarrus de Ordine sacro queritur.*

toties significasset; ideirco permolestum sibi esse, quod iis duntaxat viris odio foret, qui præcipuam quandam apud catholicos sanctimoniam profiteri se ostendunt, à quibus tamen longè molliora sperari fas erat, mitiore siquidem (si tandem erraret ipse) via insistere debuerant, non verò Romanum adurgere Pontificem vt Ecclesiasticis in se minis detonaret. Item hoc vehementer dolere sibi asseruit, quòd factionis autores eo venissent amentiæ, vt de Regis viuentis valentis, & in ætatis flore constituti successione litem intenderent, ac regium penè fatum consiliis suis anticiparent; non victum ac depontanum Regem esse, sed viuidum ac florentem ab omnibus conspici; de subrogando ei successore tam licenter colloqui, aliud nihil esse, quàm vt eidem fatale aliquid acceleretur, conniti. Præterea cur ipsum se à Gallici regni hæreditate depulsum velint, qui Princeps Christianus hactenus fuerit, qui eundem cum fœderatis Christum humani generis reparatorem studiosissimè colat, qui sacros eosdem codices profiteatur, ac credat; quòd si horum in interpretatione discrepantes sint Doctorum sententiæ, non armorum vi, sed rationum momentis componendam rem esse, nec enim ferro, sed pondere veritatis debellari animos posse. Ad extremum supplicare se Deo dixit, vt saniorem ipsis mentem ad pacem Gallico regno, firmamque Ecclesiæ vniuersæ tranquillitatem sanciendam impertiat.

Ad nobilitatem scribit. Ad nobilitatem præterea scripsit, rogáuitque reputarent secum omnes atrocissimum ab iis moueri bellum quos superiore Rex anno tanquam perduellionis reos proscripserat; aduersus eos autem moueri qui auxiliares Regi copias aduexerant. Perscrutanti verò sibi, tam inexpectatæ mutationis causam, non aliam sibi certiorem fuisse conspectam, quàm quòd Rex iuris tunc sui ac arbitrii existeret, qui iam quod regiam planè maiestatem dedecet, in alienam demigrarit voluntatem, sordidam in seruitutem è regno dejectus; quid porrò criminis ab eo tempore Reformati in se admiserint, haud compertum esse sibi, cuius causâ hæc ipsa in eos arma vertantur, quæ pro Rege contra Regni hostes comparata fuerant, in culpa quidem fœderatos omnes non esse, plerosque enim si quid peccarint nimia religione circunuentos deliquisse, sed eorum crimen excusari minimè posse, qui totam hanc coniurationem humeris suis sustentarint, horum astu suasuque turbulentas huiusmodi ciuilium motuum excitatas esse procellas &c. Ad Ordinem tertium seu minorem (plebem sic

Item ad plebeium Ordinem. appellamus) literas pariter dedit, quibus contestatus est magnum se dolorem capere, quod plebeiorum sumptibus, ac sudoribus bellum illud alendum sit, quod ab iis conflatum est, qui priuatam

ambitionem suam publicam rem faciunt; quasi verò Gallica interitura res sit, nisi ad culmen illud conscenderint cæcâ sibi ambitione destinatum, qui vt domestica damna sarciant, hæc in infinitos extendunt, vt quæ priuata, ac vni tantùm familiæ clades annexa fuerat, per varias regni prouincias propagetur. Nec satis Nauarro fuit singulos regni ordines ad pacem per literas adhortari, Parisiensium etiam ciuitatem, quæ caput est regni, & reliquarum vrbium princeps datis literis monuit, vt Gallicorum tumultuum flammis consopitis eam Henrico Regi fidem præstaret, quam Ioanni olim Regi & Francisco primo simili fortunæ telo perculsis exhibuerat; non ignota prudentibus viris damna, quæ parturiat infida hæc coniuratio, enimuerò luculentum à Parisiensibus nonnullis specimen tum maximè datum, displicere sibi meritò hanc fœderatorum conspirationem, cùm in eroganda pro ea pecunia cunctati admodùm fuerint; cæterùm nihil in se hactenus fuisse quod iustò possint odio prosequi; nam si obijciatur religio, quod toties recantatum est crimen, nihil in se culpæ residere posse, cùm Concilii legitimè congregati decretis obsequuturus sit; quod cùm sæpius contestatus fuerit, mirari se dixit, quorsum tot clamores & terrores conciuerit Caluinianæ religionis delectus, quam si futilem prudentium, Doctorumque iudicio esse constiterit, hanc continuò eiuraturus sit. Ad literarum calcem hortatoris beneuoli vices agens, ad consectandas pacis rationes Parisienses sollicitauit, orauitque, vt quæ exemplo ipse suo sancire conabatur, æmulari non pigeret; ad fundandam, firmandamque in Gallia tranquillitatem spectare cuncta studia sua, ad hoc pariter mentes & consilia sua referrent, exemploque suo moniti ad consimiliter agendum reliquas Galliæ ciuitates inducerent. *Et ad Parisienses.*

Hæ per Galliam sparsæ in cassum fuere literæ, quia rarò creditur hostium consiliis, & si quid recti consulant, dolum aliquem latere suspicamur: ita corrumpuntur plerumque sapientes & sani monitus limpidorum more fontium, qui per fætentes tubulos aquam eiectantes, eius salubritati vitium afferunt. Nauarrus Montalbano Neracum venit, exiguo admodum vicina è nobilitate equitatu collecto, animi semper ingens, magnique tum cognomine dignus, quo tempore nunc leuioribus, nunc grauioribus prælijs dimicatum est, vis & astus nullo discrimine adhibita; arces, oppida, vrbes, quasi scopus fortitudini dolisque militaribus obiectæ, quibus parerent, aut obsequuturæ forent Dominis penè ignaræ, adeò breue temporis spatium inter eas captas aut recuperatas intercedebat: tum maximè lusit aut illusit belli sors, cui amplissimum aperuerant theatrum Henrici *Frustra fuere literæ.* *Rarò creditur hostibus.* *Vera dimicationes.*

Gallia trifariam diuisa ab Henricis ternis.

terni hostilibus inter se prælijs decertantes Valesius Rex, Nauarrus, & Guisius Dux; nam tametsi fœderatorum se societati totum immersisse videretur Henricus Galliæ Rex, idque palam ipse profiteretur, lenta tamen & inertia submittebat auxilia, Lotharingorum enim potentiam & autoritatem infestam sibi esse putabat, quantumque illis dignitatis accederet, tantum sibi detrahi existimabat, idcirco discissam ternas in partes Galliam referunt Historici propter Henricos hos ternos ternarum partium aut fautores, aut antesignanos. In immensam magnitudinem hoc opus excresceret, si quæ per hæc tempora ardescente bello, dominanteque licentia gesta sunt, fusius enarrarem, nonnulla itaque præteribo, nec enim vilia & exigui nominis loca quæ tum obsidione vallata, capta, deditaque sunt historici manum aliò properantis morari fas esse duxerim. Itaque sicut qui terrarum situm, breui quam proponunt tabella, repræsentant, consimiliter ego ciuitates, arces aliaque loca fortunæ militaris ludibrium perpessas scripto perbreui comprehendam, diutius in his duntaxat vrbibus moraturus, quæ diutiùs, priusquam dederentur, moratæ sunt hostes.

Condæus loca quædam inuadit. Catholicos cædit. Cæduntur etiam Condæani. Lavalli fratres necati.

Condæus ex Anglia redux tum Dampetram in Pictonibus cepit, Alnetum, Monde visium, Chizœum ad Botonam: lugubris fuit in Tiercellina cædenda legione apud Santones, victoria. Centum atq; eò ampliùs ab eius militibus cæsi, sauciati longè plures; nec à bellico dāno immunis condæanus fuit exercitus, nam Tremollius prima impressione ex equo Sclopeti ictu transfixo deiectus, vix altero commodato euasit, vulnerati pariter necatique alij, quos inter signifer, & ordinum ductor, & quod veterem Fabiorum memoriam necesque refricet, Lavalli fratres quaterni, sarissis partim, ignitisque pilis traiecti, partim mærore suorum è clade accepto viuere desierunt, Talliaburgi in arcis sacello simul terræ mandati ne arctissimæ fratres inter animorum coniunctioni tumulorum disparitas officeret; Historicorum commendationem iure promeriti essent, ni hanc & animorum, & armorum consociationem contra regiorum arma vertissent. Interea Nauarrus, ne torpesceret miles, Maranum cōmuniit, dumq; hac illac fidens animis cum armatis volitaret, Meduano sui intercipiendi spē non parū augebat, itque eò peruigiles hic curas intendebat, vt eò potiretur, opima inde spolia relaturus, pacem Ecclesiæ, Galliæq; redditurus, quam vel ipsa Nauarri disturbabat religio. Ille de paratis sibi insidiis à Monlucio certior factus Garumnam extemplo traiecit. Sic Meduani aduersus Nauarrum conatus frustra fuerunt, non tamen in abducenda secum Anna Caumontia, que Carancio Principi à Birono

Anna Caumontia Comitii à S. Paulo nubit.

per monomachiam cæso nupta priùs fuerat ; hanc nullâ adhibita vi raptam asserunt multi, cùm Ludouica Lustracia eiùs mater hanc Meduani Filio nuptui tradi cuperet, sed cùm dissentiret rex, Francisco Aurelianensi Comiti à S. Paulo data est coniux, quo è coniugio Leonorius prodiit, Maronianus alter Euryalus in Monspeliensi bello, cùm pro Rege & religione contrà perduelles hæreticos dimicaret, occisus, triste simul Martis rudimentum cum vita posuit præcoci fato hac in obsidione prærepta, quod sub Ludouico XIII. plenius referemus.

Hinc prodiit Leonorius in Monsp. obsid. cæsus.

Sub id Guisius Donsium Bullionij ditionis oppidum per Antoniū Sanpaulum noctu intercipit: Hæc victoria, quæ multo vtrinque sanguine stetit, edito confestim libello per varias regni prouincias promulgata est, cuius nuntius festis concionatorum vocibus exceptus est, at non sine verborum iaculis aduersus Henricum Regem Valesium non semel intortis, quasi specie tenus fœderatorum partes tueretur ; re autem vera occultus perduellium & Nauarri fautor existeret ; quæ vt in se malignè iacta refelleret, seuerissimum in hæreticos edictum condidit. Destinatus iam Dux exercitui erat in Aruernos, Velaunos, Gabalitanos, ac Ruthenos transportando Ioannes Aumontius, à quo cùm omnia ad iter idonea comparata essent, nullisque ab eodem sumptibus parceretur: in speratam inde militaris gloriæ messem, falcem iniicere maturauit Annas Ioyosæus impetrata hac ab Rege prouinciâ, semoteque ab ea Aumontio ac primum ineunte Iunio Molinas in Boiis regio planè luxu, cultuque profectus est, dumque vndique copiæ ad signa conuenire pergerent, Borbonium Acimbaldi coxendicis debilitatem medicatum aquarum vsu curaturus aduenit, substititque dies aliquot, dum affectæ corporis partes calorem, vimque natiuam admitterent. Illic dum milites præstolatur, terrum ac indignum facinus Aquis sextiis contigit, quod hic, quippe non alienum à proposito nostro carptim breuiterque perstringam.

Guisius Donsium capit.

Ioyosæus Molinas ingreditur.

Henricus Inculismensis Henricique secundi Filius nothus à Guisianorum partibus alienus, Prouinciæ præses ab Rege impositus, Philippum Altauitum Florentiâ oriundum, triremium aliquot Massiliæ præfectum summè oderat, quòd hic per occultas criminationes Reginæ animum ab se distrahere moliretur, verebaturque ne hæc quæ fictitia & commentitia appellabat, Regis ad aures peruenirent, Altauitum itaque vt ab incoeptis absisteret per familiares aliquot commoneri curarat, at ille cùm ab spargendis in eundem contumeliis minimè temperaret, rogatus

Mutua Henrici Inculismensis, & Altavitii cædes.

postremum est, ne se in Inculismensis conspectum daret, secus damno illum suo experturum, quantum sibi malum cudant, qui conuiciorum aculeis principum famam lacerare non desinunt. Altauitus quasi sui securus monita spernit, imò dum Aquis Sextiis Inculismensis ageret, eum de fenestra per vrbem inambulantem otiosè conspicit; despicatui haberi se princeps interpretatus, relictis ad ostium famulis in hospitium irrumpit, in eoque Altavitum stricto gladio se se pro viribus defensantem transuerberat, Altavitus lethali acceptâ plagâ, ac ferociorem inde audaciam sumens in inculismensem pariter irruit, eumque quanquam torpente manu arrepto pugione in inguine ferit, quo ex vulnere Princeps concidit. Sic puncto temporis geminatum procerum funus, renouatumque est facinus, quo super Aruntem, quem manu sua confecerat læsus ab eodem Brutus expirauit planè quasi alter alterum ad Manes aut sequeretur, aut præmitteret.

Ludouicus Nogaret. Espern. Dux Incolis mẽsi sufficitur.

Ad insperatũ Inculismẽsis casum Rex vehemẽter indoluit, visa quoque est Regis luctũ comitari Regina, atque hinc quàm impotens in magnatibus iracundiæ sit æstus planũ fit omnibus. Ineluctabilis nẽpe est in principibus ira: quò enim excelsior est horũ dignitas, hoc altiùs in eosdẽ penetrat iniuria, atrociore idcirco pœnâ vindicanda. Inculismensis in præfecturã sufficiẽdus erat aliquis, quis porrò subrogaretur, haud morosius quæsitũest. Pollebat inter aulicos præcipuâ apud Regẽ gratiâ Ludouicus Nogaretius Espernonij Dux, cui Prouinciæ demandatum est regimen, concessus pariter exercitus eò deducendus, Laboratum tamen est in commeatu copiis sufficiendo, quòd ærarium post crebras profusiones exinanitum foret, & populus post innumeras largitiones exhaustus. Nec cùm in Prouinciam Nogaretius appulit, quas collegerat legiones segni quodam otio torpere passus est, quibus selectissimos præfecerat Duces, Vrbes enim aliquot leuibus tentatas præliis in potestatem redegit. Interea vt Ioyosæo & Espernonio de regiæ amicitiæ prærogatiua certantibus, quorum alter ad Aruernos, ad Salyos alter destinabatur, medium sisteret se Rex, fauoris vtrique regii auram & auspicia ex æquo dispensaturus, Lugdunum perrexit, qua in vrbe quasi in vado forent omnia, aut vt morsicantes intus curas simulationis velo contegeret, catellis vndique conquirendis inutilem (vt aiunt) parumque tempori congruentem operam dedit, psittacis pariter & simiis, & huiusmodi animalibus coëmendis, alendis, eorumque curatoribus compensandis ingentem pecuniarum vim profudit, mirantibus cunctis cùm in arcto res essent, tantam Regi securitatem inesse, & in æris penuria

Vrbes aliquot recuperat.

bellorum apparatibus impendendi, abundantiam tantam tam repente exortam, quam priuatos in vsus & voluptates absumeret, intempestiuis canoratum auium garritibus indulgens, dum interea Ioyosæus reboantibus ferrearum machinarum tonitruis Malefium in Gabal s ad deditionem sine conditione compelleret, Oppidanis iratus, quòd ab iis vrbem vt sibi traderent iussis, contumelias ac militaris plena licentiæ verba reportasset: sed expressum vi tandem est, quod interpositæ non semel autoritati restiterat. Septeni ex ducibus qui circumiacentem infestis excursionibus regionem deuastarent, à popularibus ad supplicium dati. Morologium deinde ab eodem obsessum, deditum, ac post expletam militum auaritiam ex parte incensum, alia insuper oppida in Gabalitano tractu Regiis partibus adscripsit, quibus in prælijs eum de more complures aut cecidissent, aut vulnera accepissent, haud immunis ab omni casu bellico Ioyosæus fuit supra auriculam, quanquam leuiter sauciatus. In Aruernia arces aliquot cepit, emit potius magna suorum strage, quos audentiores habebat; atque ita vix euoluto bimestri spatio, omnis eius hac illac diffluxit exercitus, quo scilicet constaret bellicosam hanc nationem quorumcunque hostium armis ægrè cedere, quæ Cæsaris olim impetus, Romanasque vires aut retardauit, aut fregit.

Ioyosæus Malefium ad deditionem cogit.

Contumaces supplicio affecti.

Marologium capit.

Hæc dum in Gallia gererentur; manabat interea foras rumor, & ad Germanos vsque Principes protestantes serpebat, qui hugonotis Gallis religione affines, impotenter ferebant, versam in eos vnà cum fœderatorum armis Regis iracundiam, arcta vsque adeo est etiam inter eos amicitia, quos inuisos Deo fecit insanè de Deo quiduis opinandi licentia. Quocirca, vt Gallis Hugonotis molliore primum viâ succurrerent, perhonorificam ad Henricum Regem legationem adornarunt, quorum nomine verba fecit Hilmerus Ioannis Casimiri legatus, missum se ab Imperij Principibus astruens, vt omnium nomine Regis dexteram venerabundus oscularetur, & obsequentem eorum operam pro antiqua consuetudine officiosè deferret. Tum recitatæ sunt principum literæ, quarum hoc argumentnm erat. Agrè admodum Principibus Protestantibus esse, quod Pax hugonotis ab Rege concessa, quamque Rex ipse molli quadam in suos teneritudine suam esse diceret, per turbulentos quosdam homines, armis autoritate publica sumptis infringeretur, quin & indignius eosdem Principes ferre, quæstionem Rege iuuene ac valente de regni successione moueri, quasi verò si Regem mori contingeret, quod damnum auertat æterna Bonitas, ignorari posset is quem sanguinis prærogatiua, & ius ipsum Gallicum in regni possessione inducat; sed & incredibili mœ-

Ioyosæi milites eaduntur in Aruernia.

Legatio Protestantium Germ. ad Henr. Reg.

Protestantium literæ

rore Principes eosdem affici, quòd Rex Protestantium religionem è regno suo exturbare decreuerit, vnicâ Romana religione retentâ, quòd item tumultuum semina, bellorumque ciuilium culpam omnem in hugonotos transferat, qui huic crimini affines minimè sint, quosque innocentes Rex ipse pronuntiarit; quamobrem enixè rogari ab omnibus, Christianissimum Regem, ne quod semel tam iuste, tamque prudenter stabiliuit, turbidorum hominum consiliis interuertat; in memoriam reuocare dignetur ineluctabilem esse Optimorum Principum, quam semel dederint, fidem; nec mutanda ex facili Regum iussa, ne timerè aliquid iussisse coargui possint; corrupta quippe Principum fide regium omne decus amittitur, & Deus cum veracis titulo gaudeat, à Regum fucis & fallaciis abhorret, qui cùm spirantes Diuinitatis imagines sint, Diuinam eos fidei firmitudinem æmulari fas est. Tum, ne in hac non tam legatione quàm importunâ querelâ Dei Vicarium intactum præterirent, cuncta hæc Galliæ turbamenta Romani Pontificis autoritate conciri dicebant, cui solenne esset consimiles per Christianum Orbem vniuersum excitare tumultus, vt ex alienis damnis & periculis maius authoritati suæ pondus adderet; tum etiam vt Gallicanam libertatem innumeris Regum in Apostolicam sedem promeritis emptam conuelleret, ac dubiis de regni successione iniectis, cuncta regni iura labefactaret; ad quæ anteuertenda damna, quæ nobilissimum regnum concussura essent, ad extremum Principes Germanos omnes eosque Protestantes fidelem ac promptam operam polliceri asserunt, neque tamen in ea mente esse, vt aliquid contra ipsius nutum mouendum esse statuerent aut eiusdem immiscere se negotiis, quin potiùs in supplices omnino preces dilabi, vt ipse pro innatâ sibi prudentiâ turbidis Galliæ rebus majestatis suæ serenitatem impertiret ipsius in ore atque oculis promicantem, tum vt pace & conscientiæ libertate reuecta pacis violatores qua par foret seueritate comprimeret.

Vim contra fœderatos implorant.

Hæc non tam monita, quàm exprobrationes, aut affectatas (quod aiunt) Germanicas rixas indignè admodum accepit Rex; pressit tamen more suo succrescentes iracundiæ motus, & composito ad grauitatem simul & clementiam vultu, hæc ferè responsi loco prolocutus est. *Ex quo Christianissimi & Ecclesiæ primogeniti nomen & decus accepi, nulli sanè peperci labori, quo id honoris emereri, tuerique valerem: & quia tam auspicati tituli majestatem implere non poteram, nisi Ecclesiæ Matri quam fidei hostes violare non absisterent, omni ope subuenirem, ad id præsertim neruos & conatus regios intendi eam vt regio semper com'nunirem præsidio, regum sine mora latus hostibus*

Respondet Rex.

stibus obiecturus, vitamque hostiles inter acies haud dubitanter profusurus, dum hæc tecta saluaque consisteret; atque vt ea mente semper essem, admonebar identidem tum internis conscientiæ hortatibus, tum domesticis Regum Majorum meorum exemplis, genio denique meo incitabar vehementiùs ad pietatem, & Romanam tuendam religionem proclivi, quæ omnia constantibus etiam ante regnum aditum firmaram exemplis, cum multa pars fortitudine ac felicitate aduersus Catholicæ religionis impugnatores bella gessissem. Quod autem ad ea spectat quæ Germani Principes per missos à se legatos aut commoneri, aut significari postularique iusserunt, externis nihil mihi monitoribus opus est, cùm planissima habeam omnia, quæ pro temporum varietate induci, aut emendari in regno meo oporteat: mei nempe muneris est leges ferre, antiquare, interpretari easdem: hæc à me ad id vsque temporis rectè præstita, & præstanda deinceps. Denique rem tantam pacem esse arbitror, tamque acribus votis expetendam, vt absque vlla cunctatione in ea fundanda conseruandaque strenuè elaboraturus sim, quò commisso mihi à Deo populo pacatè agere liceat.

Hæc præfractè satis eloquutus est, quasi apud curiosiores Gallicarum rerum inspectores, quibus ab re suâ tantum otii foret, alienis vt se non prudenter satis immiscerent; Legatos igitur morosa hac sermonis breuitate attonitos ab se dimisit, ac deinde sub serum diei, dum otiosè secum quæ sibi ab Germania allata, aut exprobrata, quæque responsa fuissent, retractaret; dum importunam Protestantium arrogantiam in Regum etiam gesta inquirentium tacite cogitaret, enimverò confestim excanduit, & ad superius responsum adijci voluit, impudenter eum mentiri, qui ipsum edicti pro pace conditi reuocatione fidem infregisse, aut vllam leuitatis labem incurrisse dixerit; atque hæc ipsa verba, quæ manu ipse sua concinnauit, nocte iam concubia per cubicularium ad legatos perferri & coràm recitari voluit, eosdemque nullo alio expectato responso ad suos remigrare iussit, quod illi contumeliæ loco acceperunt. Hic antequam vlterius stylus excurrat, Germanicorum Principum dolos, paulisper inspicere iuuat; Nam cùm hugonotorum defensionem meditati essent, non continuò armati irruperein Galliam, at supplicum more indigna ab Rege postularunt, de repulsa omnino certi, & repellendos se non tantùm nouerant, sed & reijci vehementer optabant, ex hoc carpturi scilicet friuolum turbarum in Gallia mouendarum obtentum, quasi verò, nisi postulatorum iniquitatibus Reges obsecundent, iusta inde consurgat experiendarum virium occasio, & quod ratio dari prohibet, armis extorquere oporteat. Irritati ob hanc repulsam

Duriter legatos accipit

D dd

Offenduntur Germani Principes. Germani Principes, auxilia Gallis hugonotis accelerarunt; quæ quomodo in Galliam irruperint, aut è Gallia decesserint, suo loco referemus.

Henricus, quæ Regẽ & prudentẽ & famæ studiosum addecebant, in hac & admittẽda & dimittẽda legatione strenuè obierat; sed vt corrupta sæpius ingenia optima quæque facinora in inuidiã trahunt, Regem cum sectariis colludere credidere non pauci, edictis illum quidem & minacibus verbis instrepere, occultè tamen eorum antesignanis fauere; hinc vetera in Regem recruduerunt odia, renouatæ querelæ, perinde quasi astu & dolo malo, aut personatus Rex ageret; *nam cuius tandem emolumenti bellum illud esse possit, quod in hugonotos geritur, si de industria Rex ne hostes intereant, bellum hoc extrahat, cùm profligare citissimè posset. Achillea scilicet iacula intorquet, quæ vulneri recens impresso expeditam afferant medicinam. Quorsum varias in partes dispersus Regis exercitus? quia nempe robustior foret accumulata virtus, & inertiore manu pulsari Rex hostes appetit, non penitus frangi. Atqui è supinâ hac Regis indulgentia mirum quantum accrescunt Religionis damna, hugonotica ferocius hydra adsibilat, cùm qui antea fuerat Hercules aut Alexander, nullus pene iam sit, & tetrum illud ex heresi & rebellione conflatum monstrum mulceat potiùs, quàm atterat. Quamobrem Rege tam graui torpore immerso, resumendi sunt animi, audaciusque inconsulto etiam eo contra hostes mouendum.* Hæc fœderati quos vel tenuis de Rege suspicio transuersos agebat. Atque id non infrequenter euenit, animum enim ægrotum ad deteriorem plerumque partem applicamus. Quanquam, non dubito, cum armati ab Germania mittendi Galliæ terrorem incuterent, & fœderatorum duces à se auersos Rex certò sciret, quin Nauarrus identidem eius menti occurreret, quem si in armorum societatem allegeret cuncta sibi ad nutum & firmandam Galliæ pacem ritè successura sperabat. Sed ne à repentinis huiusmodi consiliis mentem auocaret, facilè persuadebat Caluinianæ religionis odium, quam profitebatur Nauarrus, tum etiam vt idipsum faceret, vetabat acre famæ, autoritatisque suæ conseruandæ studium; quantas enim fœderati tempestates excitassent, si Rex vterque socia pro dissoluenda societate palàm arma iunxisset nonne, si quid Henricus Galliæ Rex hactenus pro religione, proque iuuandis fœderatorum armis sanxerat, seruisse eum tempori, non religioni vulgassent.

Suspiciones de Rege quasi cum hæreticis colluderet.

Agitur de Nauarri & Margaritæ diuortio. Obstabat etiam ne id Rex ageret Margaritæ Nauarri vxoris à marito seiunctio in inferiore Aruernia commorari iussæ. Hæc Henrici Regis & Nauarri sponsi necnon Catharinæ matris gratia exciderat,

quare de diuortio vtriusque coniugis agebatur, quasi vitio contra-ctum illud esset matrimonium, nec legitima fuisset solutio à connubiorum legibus per Romanum Pontificem data. Margaritæ loco Christina Lotharingi Ducis & Claudiæ Regis sororis filia Nauarro sponsa destinabatur, quam Medicæa filiæ in loco habebat, educabatque studiosissimè, & digna sanè videbatur, quæ Regi nuberet, cùm gratiis & dotibus omnibus quæ Reginam addecent, renideret. Vt ergo religionis obicem in Nauarro Rex tolleret, qui vnus armorum inter ipsos iungendorum societatem prohibebat, statuit eum per Medicæam Matrem quanquam sæpe frustra tentatum, hac etiam vice adoriri, daturum fortasse Reginæ monitis, quod multorum precibus abnuerat; sed paranda priùs erat colloquio via; armorum igitur feriæ Nauarrum inter & Bironium indictæ fuerunt, qui postremus continuò paruit, conuentumque in eo, vt Maranum, cuius inchoata iam erat obsidio neutras ad partes accederet, Præses item Marano à Nauarro impositus qui Catholicis & Hugonotis faueret ex æquo. Hæc sic in Reginæ gratiam cum Nauarro colloquium inituræ transacta vix explicari potest, quantùm Guisios, primariosque regni duces torserint. Nuntius ipse Pontificius grauiter hoc coram Rege dequestus est. Parisiensibus indigna res visa, infestumque vrbe tota murmur auditum, nunc amoto simulationis inuolucro prodi manifestè, funditusque religionem interire, Hugnotorum parti regiam apertè gratiam impendi; prouectò feliciter aduersus hæreticos bello, nec non consummando felicius facilem qui prosperè cœperat, inhiberi cursum; omnes rei benè gerendæ occasiones interuerti, nihil iam propius esse, quàm vt triumphatura sit hæresis in Christianissimo regno. Rex vt omnem à se culpæ suspicionem amoueret, sic coram Pontificis Nuntio factum excusauit vt assereret ideò se in pacis consilia descendisse, qua prorogari bellum vix poterat, quod immensas iam opes consumpserat, & consumpturus erat deinceps; persuaderi sibi minimè posse, eam esse Ordinis sacri mentem vt extraherentur suscepta in hæreticos bella, cùm necessarios horum in sumptus vix ab se quidquam impetrari finerent, Romanum ipsum Pontificem necessaria ad bellum adiumenta denegare, cùm pinguibus è Sacerdotiis centena in singulos annos aureorum millia confici nolit; nihil se Christiano indignum Rege moliri, dum pacem in Galliam reducit innumeris ferè stragibus reduntantem, in qua tot iam conciderint populi, pluresque nisi prouideatur, interituri sint; nihil in speciem ex longinquo aliena spectanti promptius esse, quàm ea scripto refellere, quæ emendare non possit; aliam longè, si coràm adesset fore

Parisienses Reginæ cum Nauarro colloquium malè interpretantur.

Nec non Pōtif. Nūtius.

Regis Apologia.

mentem Pontifici; interesse Patrum familias quæ ad domum pertineat, ea accurare diligentiùs, quam ad inanes plerumque fallacesque vulgi sermones attendere.

Respondet Apostol. Nūtius.

Ad hæc Pontificis Nuntius meliorem haud posse fundandæ in Gallia pacis ab Rege rationem iniri, quam si radicitus hæreses omnes euulserit, sic nempe eradicatis venenatarum herbarum succis salubriores herbas suppleri; animæ bona quia immortalia sunt fluxis & perituris corporis bonis anteponenda, bellum in hæreticos iure susceptum, ideoque non facile intermittendum, cùm, vt è motu quies, ita ex hoc bello spes certa pacis & publicæ tranquillitatis affulgeat; nunquam Galliæ Præsules in necessarios bellorum sumptus auxilia denegasse; certò sibi constare conflandæ hos in vsus pecuniæ facultatem à Romano Pontifice impetrandam. Quæ simul ac Rex inaudiit, collegit se primùm, tum composito ad hilaritatem vultu, & blandiùs Nuntium appellans, periculum quod vniuersæ Galliæ immineret, ostendit, si externæ in eam legiones irrumperent; quod vt damnum auerteret, dissimulata interdum plura fuisse non negauit, quæ non introspicientibus satis arcana ipsius consilia, stuporem aliquem, amplamque sermonum materiam suppeditarint: Veruntamen id Romano Pontifici notum velle, nihil vnquam sanciturum, aut vllas in conditiones venturum, quæ Catholicam religionem vlla ex parte oppugnent, contrà verò ad ea quæ decus eiusdem accumulatura sunt, regias semper vices quandiu vita suppetet, collaturum. Eeadem Guisio proloquuta est Medicæa Regis Mater, hanc scilicet in speciem cusam esse pacem, quò procul Germanicæ pellerentur cohortes, ipsi etiam Guisio infestæ futuræ; cum in confinio regni Guisiana sit ditio; exploratam esse multis ærarij regij penuriam, contrà verò non ignotas Germanorum opes, atque ob id in hac temporum difficultate ineluctabiles, nisi fucatæ pacis obtentu dissipatæ frangantur. Parisienses quoque mitigati nonnihil, qui bellum paci anteposuerant, quia Catholicis partibus salutare esse putabant; nam quorsum tot bellorum apparatus, totque bellatorum vires in fœderis societatem coëuntium, si arma victoriæ certa deponere iuberentur; sectam iam emortuo vigore serpentem decretoriâ mox pugnâ proculcandam, viuaces intempestiua hac concessa quiete hausturam spiritus, latraturamque aliquando ferociùs, vix iam mussare sustinentem; Hæc ferè Parisienses; occulta tamen secretioris senatus consilia in quietem aut quietis speciem aliquam propendebant, quo tempore Medicæa cum Nauarro ad Brixij oppidum Cognaco non procul in Inculismensi agro collocuta est, questa potiùs, questus pariter Nauarrus, ciui-

Rex iterum præterita excusat.

Fœderati Bellum paci præponunt.

liumque bellorum causæ alternantibus querimonijs à Regina in Nauarrum iactæ, ab eodem in Reginam reiectæ: Et iustiorexpostulandi causa Reginæ iterat, exprobrandique nimiam Nauarri in Caluinianis erroribus moram, quæ vna intestinorum in Gallia tumultuum origo foret, nam quorsum conflatum erat fœdus, & societatem quonam tandem arma spectabant, nisi vt Caluinianæ fidei prauitatem à Gallico procul sceptro amouerent, quod tot incorrupti circa religionem Principes tanta cum laude & exterorum Regum admiratione tractarant; ea autem mens omnium erat, pacari regnum per Nauarrum facilè posse, ni moram ipse afferret; id autem vt maximè velle deberet excitari satis illum, si secretiores Numinis afflatus audiret ad repetendum Catholicæ religionis portum vehementius ad hortantis; si ad lugenda tot Gallorum fata mentem retorqueret, quos penè infinitos continuatorum multos iam annos bellorum falx vna succiderat, si restare iam plures videret, cogitaret eos eidem cladi obnoxios, nisi eorum incolumitati quacunque posset ope prospiceret, non prospecturus vtique si in eadem religionis contumacia hærendum sibi statuisset, vnicâ gladiorum per vniuersam Galliam scintillantum cote. *Nauarri mēs in Calu. religione contumax tumultuū origo.*

Contra verò Nauarrus quòd sedatiùs omnia perferret, fœderatis animos accrescere affirmabat, susceptū hoc à Rege bellum nullâ, vt id moueret, necessitate adacto, insidis eum consiliarijs auscultasse plus nimio, qui reuocandi pacis edicti autores fuerant; præterea cùm religionē tāquam sibi probrū obijcerent, & vt malorū omnium, quæ in Galliā inūdarunt, originē; enimverò maximo sibi decori vertere dixit religionis constantiam; sic quippe Regis Regnique cuncta præcaueri dāna; fide quippe optimâ, & conscientiâ integrâ conciliandā esse Numinis Majestatē: id autem didicisse se iam à puero, nec a se virilē iam ætatē ingresso violandā esse salutaris huius documēti vim atque præstantiam. Regina cùm nihil à Nauarro exprimere posset, inducias in annū extrahendas esse sentiebat, quo tēpore procerū in comitiis firmiores ineūdæ pacis tutādæq; religionis rationes iniri possēt, quibus palā Nauarrus obstitit, addiditq; Primorū in cœtibus discuti minimè solere quæ circa religionē in cōtrouersiā caderēt; fundādæ instituēdæq; reip. rationē, comitiorū opus præcipuum esse, Religionis verò censurā ad legitimū pertinere conciliū, quod sæpius cōuocari petierit sanioribus doctorū, quòd vnum pretiosissimū haberet, hoc est salutē suā cōcrediturus arbitriis. Cùm inter eos cōuenire non posset, Regina Fōtenaiū, deinde Nicortiū adijt, ad quā illico missus Turenius, qui florētē hugonotorū fortunā magnificētiùs apud eam prędicaret; id enim sectariorū plerisque solēne est, vt quæ sua sūt iactātiùs efferāt adijcere *Nauarrus probra sibi illata diluit.* *Concilium petit.*

Nauarrus suspicione apud suos laborat.

etiam Turenius est ausus collapsam propè Guisii fortunam esse, fœderatis nihil ab Hispano expectandum esse præsidii, Belgicis fratris bellis distento. Dissolutum itaque est nullo operæ pretio colloquium; atque vt in suspicionem venerat Rex nimii in Nauarrum fauoris impensæque supra modum gratiæ, eadem etiam apud suos Nauarrus suspicione laborauit, quam vt euelleret, Rupellâ quò post colloquium iuerat, fidos per singulas regni prouincias confestim nuntios misit, qui per fiduciarias, quas circumferebant literas, totam induciarum originem, & quid cum Medicæa peractum esset, pleniùs edocerent, hortarenturque simul omnes, ne à præclarè susceptis vnquam desciscerent, nihil se aduersus religionem molitum, aut consensisse vnquam vt grauius aliquid in illam cuderetur; Procerum nouæ religionis iudicia eo apud se loco esse, vt rectum æquumque existimet quidquid arbitrati hi fuerint, iis inconsultis nihil facturum se pollicitus, nec de pacis conditionibus loquuturum, nisi in afferendis pacis capitibus, vniuersæ regni prouinciæ tam citra quàm vltra ligerim in ea comprehenderentur, vt hoc amœnior pax foret, quo latior diffusiorque in plures spargeretur prouincias.

Hanc eluit.



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB EODEM HENRICO III. REGE.

LIBER NONVS.

***Ab Anno Christi* 1587. *ad Annum* 1588.**



ERSTABANT adhuc induciæ, & cum induciis diffidentes animi: & in virginali, pudicoque sperata pacis vultu, nunc decentes solito hilariùs renidebant gratiæ: nunc effera visebatur Furiarum species, rictusque metuendus. Ex vtraque enim parte prouitati ad arma rursus capienda efferuescebant animi, Catholicis certè suberat occasio vindicandi longè maior, æquiorque ob fœdatam ab Hereticâ Reginâ iniquâ Mariæ Stuartiæ nece Regum ma- *Pax adhuc incerta.*

Hereticorũ feritas in cæde Mariæ Stuartiæ. iestatem; nam cui tandem capiti parcat hæresis, si regia capita à vilissimis non discernat capitibus, si conceptum in Catholicam religionem odium, Reginæ morte carnificis gladio feriendæ exsatiet; vix extant vllæ literæ, in quibus paria reperiantur deformatæ majestatis exempla: suppuduit atrocissimi facti Elizabetham ipsam, quæ faciendum tamen imperauit; lugubria sumpsit Regina impia, excusauit per literas ad Principes missas barbaram feritatem nullis vnquam piaminibus expurgandam. Si Regum vitæ tam crudeliter illudat hæresis, quàm tetram horribilemque pestem sinu suo complectitur

Oratores Ecclesiastici contra hæresim inflammati. Gallia? nun[illegible]m tuta futura quandiu sibilabit hoc monstrum, quandiu volub[illegible]m linguam in præcipua Romanæ religionis mysteria, sacrosque Ecclesiæ canones exeret, tetrumque in omnes Orthodoxæ fidei professores venenum effundet. Hæc Parisienses sacr[illegible]s è pulpitis Concionatores lugubri voce pronuntiabant non absque ingenti animorum motu, plebeculæ præsertim, versatiles animos ad qualescunque impetus indiscriminatim aptantis. Nec carpendum magnopere fuisset incensum illud propulsandæ pestis huius studium, ni temerariæ semper aduersus Regem suspiciones arsissent,

Politici Regem attineri satagunt. quasi hæreticarum partium fautorem: vnde & nonnullorum coniuratio, quos nouo nomine Politicos appellabant ad Regem ipsum attinendum exorta, condixerant illi diem locumque, cùm scilicet Sangermani nundinas Rex inuiseret, in abbatia cibum de more sumpturus, quæ omnia cùm Nicolaus Polinius non obscuris deprehendisset

Deteguntur. indiciis, hæc vt & alia cuncta quæ clàm in singulos dies à coniuratis agebantur, per fidos à se constitutos nuntios, ad Regem deferri curabit, qui opportunè admonitus, eò ire intermisit, misso interim Espernonio, qui quòd subitaneas ex composito rixas conciuissent Politici, vix inde sospes euasit; sic ex inassuetâ Regis absentiâ clan-

Veniam impetrant. destinas fraudes suas patefactas Regi fuisse intellexerunt coniurati, ac ne debitas tetro facinori pœnas penderent, qui factionis principes extiterant eximiæ dignationis viri, Reginam supplicabundi adierunt, qua annitente, quam ferè desperarant, ab Rege veniam impetrarunt.

Guisius ab hoc Consilio alienus. Turbulenta politicorum illorum cœpta adeò non promouit Guisius Dux, vt improbarit ea l[illegible]n, damnaueritque semper, quin & Parisiensibus eo nomine grauiter succensuerit; quare Meneuillæ negotium dedit, vt saniora deinceps & tutiora, quàm quæ cæcâ quadam temeritate ducti susceperant, suggerere maturaret; non inflámatum quidem tuendæ religionis studium in illis coarguit, sed inconsultam mentis præcipitantiam; atque vt eos omni timore si quem etiamnum haberent, eximeret, benignè pollicitus est, quantum opibus & au-

toritate

toritate valeret, id se ad hostes religionis omnes profligandos impigrè collaturum.

Tam graui perfuncti periculo seu fœderati seu politici, Regis indulgentiam, quam vix antè promeriti fuerant, promptis, paratisque obsequiis pleniùs demereri festinarunt, horum saltem aliqui, læsam Majestatem reueriti. Sanctum est aliquid ac Deo plenum quod in rege concipimus, nec absque numinis iniuria violari ius illud potest. Simulatque Rex inauguratus est aliquis, quia humano fastigio longè excelsior est, aliis etiam conspiciendus est oculis, submissioribus nempe. Hæc Regem penè oppressit coniuratio, cui initium dederant mendaces maleuolorum linguæ Espernonium ad Nauarrum cum ingenti pecuniarum vi missum fuisse asserentium, vt certam ei adeundi regni spem faceret, si Regem exprolem mori contingeret. Alia huiusmodi de Rege spargebantur commenta, quæ eum occulta quædam cum hæreticis moliri suspicionem apud imperitam plebem mouerent, adeò quippe suspicaces sunt hominum mentes, vt in intima regiorum etiam consiliorum arcana penetrare nitantur, vt nutus eorum omnes studiosè iuxta ac malignè obseruent; atque hinc, vnumquemque mansura aut non mansura sors fuerit, temere conijcientes, illusæ mentis deliramenta tanquam oracula populo vendicant, credere æque ac non credere prono; ex hac verò coniecturarum inanitate, quod maximè dolendum est, non inania, sed vera bella gignuntur.

Nunquam violanda Regis Maiestas.

Calumniatores fabulas contra Regẽ spargunt.

Falsæ suspicionis dãna.

Meduanus politicorum, vt suspicabantur aliqui dolis immixtus magnis se exsecrationibus apud Reginam purgauit, nec potuisse sic peccare contestatus est, nec stolidos Parisiensis plebis motus compescere, qui hoc ipso, quo feruebat coniuratio, tempore, cum pertinaci luctaretur morbo, nec alio in campo, quam in lecto pugnaret immemor tum omnium, memor sui & decretorii quod imminente fato obiturũ se timebat, certaminis; quare turbulẽtos illos insanientis plebis conatus cum Bassompetra detestatus, fidem solenni sacramento obligauit, nunquam deinceps vllis murorum septis cohibiturũ se se, in quibus è tumultuãtis populi dementiâ moderanda sibi consilia forent, cùm perfurenti huic monstro ex infinitis capitibus coalito vix quisquam obsequatur absque graui vitæ famæque profligandæ periculo, quod nemo prudens adire sustineat. Vt autem nonnulla politicorum istorum consilia in apertam lucem proferam, quæ non penitus ignorare posteritatis interfit; munitissima vrbis loca occupare decreuerant, & quod addunt aliqui, Cancellarij, Achillis Harlæi primarij Præsidis, Iacobi Faij Spessæi Patroni Regii, & alio-

Meduanus non conspirauit cum politicis.

Plebs monstrum indomitum.

Quid molituri erant politici? rum, qui præcipuâ apud Regem gratiâ pollebant, ædes inuadere, obuios quoscunque, si obniterentur, interficere, occisorum opes diripere, armamentarium occupare, maius ac minus castellum, Templum item (sic communes Rhodiensium equitum ædes vocant) Sclopetariorum corona cingere necnon pleraque alia grauiora fortasse meditati fuerant, quæ omnia, simul ac patefacta coniuratio fuit, magna bonorum omnium voluptate oppressa sunt. Atque hinc exploratum fit omnibus, improsperè sæpius agere qui contra Reges quos venerari iubemur, nefas aliquod moliuntur, inanesque plerumque esse, quæ contra eosdem struuntur, fallacias.

Dum occultæ in vrbe Galliarum principe Regi pararentur insidiæ, non tam dolosis artibus, quàm armata palam manu instabat Nauarrus; maximè dum post Reginam aditam funestam sibi religionique suæ cladem parari ex emissariorum suorum sermonibus intellexisset; hi enim tum vt eius gratiam aucuparentur, tum vt eum ad integranda bella vehementiùs sollicitarent, hoc cum Regina colloquium plenum cassibus quibus inuolueretur ipse, iactabant; stare non fœderatorum tantùm paratas iam fraudes, sed italicas etiam atque adeò Pontificis ipsius accersitas esse fucelas; vnum è multis reformatæ religionis Principibus euocatum eum esse, cui tam proteruè illuderetur, quia minimè malo, & fallere nescienti, erupturum tandem aliquid è cuniculis per fœderatos actis, quod protestantium partes elidat, Romanam verò religionem amplificet; Gallam inter credulitatem & pellaces Italorum animos conuenire non posse; sinceram hunc ad colloquium mentem attulisse, versipellem verò fœderis, fœderatorumque fautores, nam quid aliud in aulâ molitur missus à Romano Pontifice Nuntius, nisi vt Romanam omni ope religionem propugnet; Protestantium verò religionem pestem, aut ciuitatum struumam esse affirmet, ideoque regiis armis opprimendam.

Nauarrus stimulatur aduersus Catholicos.

Hæc dum Nauarro per varios discordiarum satores ingererentur, cautiùs sibi agendum de cætero existimauit, quare tametsi Reginam magna in veneratione haberet, nunquam deinceps vt cum illa coràm transigeret induci potuit, Turenio ad hoc vsus vicario, qui peritus dicendi artifex cum Regina sic pro Nauarro agebat, nihil vt vnquam conficeret, & perseuerabat hac in ordienda, nunquam tamen de integro pertexenda tela, dum sequens annus, hoc est octogesimus supra millesimum quingentesimum primùm illuxit, cuius calendis circuncisо Christo ritu vetere consecratis inter solennes Torquatorum Equitum cæremonias solenni se Rex sacramento obstrinxit consensurum se nunquam vllam à Romana fide aberrantem in Gallia re-

Cautius agit Nauarrus.

Pium Regis iusiurandu.

ligionem induci, quod quadam tum intepestiuæ pietatis abundantia & præcipitanter veriùs quàm prudenter à Rege factum reprehenderunt aliqui, imò rem omnino absonam interpretati sunt. Nam qui proculcatam extinctamque perduellium religionem velle Rex poterat, qui Nauarrum primarium eius defensorem ad incundum secum fœdus occultè sollicitabat. In hunc ferè modum differebant, quos penitiora Regis latebant consilia. Nauarrum siquidem non antè sibi adiungere parabat, quàm Caluinianos exuisset errores; atque in id maximè incumbebat Rex, iamque per complures eximiæ dignitatis viros, quin & per Reginam ipsam, quam ad Nauarrum miserat, eius crebro pertentarat animum, quem cùm veritati semper obnitentem intellexisset, à meditato fœdere confestim resiliit, interesse famæ, regiæque majestatis arbitratus, cum hæretico, hæreticarumque partium fautore nihil vnquam habere commercii, imò fœderatorum potiùs, quanquam eos infestos sibi esse duceret, partibus adhærere ne Christianissimi nominis prærogatiuam inita cum heterodoxis societate pollueret. Quamobrem congruenter admodum tempori proscribendæ perduellium religionis consilium init, quod idem edito sacramento sancitum voluit, atque ita quiritantes vnà cum Parisiensibus fœderatos vtcunque placauit; ostendit quippe quàm inane esse quod emanarat in vulgus, occultum se esse Protestantium patronum contra quos post solenne sacramentum tam seuerè sanxisset. Multis credita res, nam quod persanctè iuratur, violare deinde, à Christianissimorum Regum constantia abhorrere ducebant. Non deerant tamen qui fucum regia hac in contestatione suspicarentur, traherentque cuncta more suo in deterius, quæ in Rege religiosissima forent malignè carpentes, quod solenne fere est discordiarum incentoribus, aut meticulosis tuta cuncta pertimescentibus, aut prauis hominibus omnia æstimantibus ex seipsis.

Carpitur à nonnullis, sed iniustè.

Dolum suspicantur aliqui, sed falso.

Publica Regis contestatio vt Catholicis omnibus pergrata, ita & grauis hæreticis omnibus molestaque admodum fuit, Nauarro præsertim alia longè quàm quæ sancita olim fuissent ab sectæ hostibus innouari querenti; cui Dux Niuernensis nihil esse, cur sic expostularet, ostendit, cùm Rex nullâ vnquam voluntatis inclinatione in sectam propendisset, nec induci vnquam potuisset, vt tam ingens dedecus in Christianissimo regno pateretur, quod præ reliquis omnibus conseruatæ quamdiutissimè religionis laude effloruerat, quam si Nauarrus persuaderi sibi fineret, ex hac non mortalis tantum, sed & perituræ nunquam coronæ pignus spemque minimè dubiam capere posset. Sed pangebatur semper ad pia hæc monita obsurdescenti

Eee 2

cantilenâ, vnde cùm nulla flectendi hominis spes affulgeret, extortæ tandem sunt à militari conflictu feriæ, æque non diuturnæ. Nauarrus interea vt Germanicas operiretur copias, Rupellam contendit, Regina propter ingrauescentis ætatis, fœdæque hyemis incommoda Lutetiam Parisiorum profecta est, vbi auctor Villaregius fuit, vt de arcendis Alemannicis cohortibus Hugonotorum accitu regno iam imminentibus ageretur; visumque proceribus in consilium euocatis, è re Gallica fore, si copias suas Rex cum fœderatorum exercitu coniungeret, quò consociatis vtriusque partis viribus communis omnium hostis expelleretur; nam si intra Galliæ viscera sese Germani, quod meditabantur, effunderent, cædibus & incendiis omnia ex facili permixtum iri videbantur, cùm non leui regiæ majestatis contemptu; deturbaturi quippe Regem è culmine Majestatis accurrerant, ni Romanam ille religionem nouatæ religionis contagione fœdaret. Enimverò (ita disserebat Villaregius) si Regis vnquam oblatis in periculis fortitudo inclaruisset, hoc maxime tempore contra hæreticos omnes esse probandum; ob diuturniorem ab opere bellico cessationẽ, præter rubiginẽ armis inductam, tetram sanè regiæ famæ notam inuri, ideoque cumulatis perduelliũ cladibus eluendã impositis tot tributorũ oneribus plebis odia nõ semel incursa, quæ partas sudore multo res suas alienæ pascendæ ingluuiei ægrè admodũ tradat, has regi non inuitè traditura, si quæ ab inope & exangui turba extorquentur, peruenirẽt ad Regẽ bellicosque expenderentur in vsus: parta semel de Hugonotis victoriâ, cessura cõtinuò reliqua; ipsã cõiuratorũ societatem si molesti Regi esse pertrexerint, hac maximè via esse diffindãdã; pacemque dissociatis partibus accurandam. Nam quod à nonnullis iactatur Pontificia & Hispanica arma contra Regem parari, dubitandum non est, quin hæc propitia Regi futura sint contra Religionis hostes pugnanti, Romanum Pontificem, quid hac in causa de Rege sentiret Cardinali Pellenæo haud obscurè significasse; nempe Regi se nunquam legitimo & pio Principi bellum illaturum, nisi certò constaret illum hæreticorum sectam Gallico stabilire in regno.

Agitur de arcendis Germanicis cohortibus.

Villaregij Oratio hortatoria ad Regem.

Valuere apud Regem Villaregii Procerumque reliquorum consilia, quia enim Galliam externi magno numero hostes inundare parabant, iis & suas & fœderatorum vires opponere statuit, Missus itaque ad Guisiæ Ducem Mironus medicus, qui eum Regis nomine cõmoneret, quia externæ illæ copiæ in Lotharingiam primùm, tum in Campaniam, tum in Burgundiam irrúpere meditabantur, neminem fortiùs quàm ipsum cum Meduano Duce insanis hostium conatibus obstiturum, cùm harum prouinciarũ præsides forent. Ioyosæo pari-

Persuadetur Rex.

ter datum ab Rege negotium, vt Nauarrum Germanicis se copiis immiscere parantem à Ligeris transitu prohiberet, Addidit Guisio Mironus Reginæ preces, vt hoc vellet, & auderet supplicantis. Hunc comiter accepit Guisius ac Regis imperata facturũ se abunde pollicitus est, tum si quid in se ac suis virium esset, id omne collecturum quod pro astruẽdaRegis regnique incolumitate cõtra pacis violatores conuerteret; & vt ad id nemo impelleret, abundare se dixit domesticis exemplis, quibus identidem cõmoneatur, nihil hac in vita præstabilius esse, quàm si quis vitam pro Regis Religionisque defensione profunderet, emi scilicet decorâ hac morte nominis immortalitatẽ, quam nemo sapiens non appetit. Id vnum tamen orare se Regem, vt Hugonotorum artes & peruicaciam nonnunquam introspiciat; rimetur interdum perniciosa eorum consilia, cúmque non dubiam ab iis per regni partes vniuersas luem afflari intellexerit, hanc è Gallia sua exturbari permittat. Occurrisse satis minanti ab Germania malo videbatur Rex, dato scilicet negotio vt irrumpere maturanti obstruerentur ei regni claustra à militibus, quorum conquirendorũ potestatem Guisio fecerat. Inter hæc tamen quanquam prudenter adinuenta & accersita præsidia, non abs re trepidabat: nam comprimendus supererat Nauarrus Gallicis & extraneis opibus fretus; non ignorabat quidem nihil armis Gallicis ineluctabile esse, easque Gallis vires innatas quibus obsistere nemo possit, si coniunctæ sint; contra verò enerues eosdem fore si ruptis voluntatum concordiæque nexibus in factiones scindantur, & perniciosum illud animorum dissidium nimio plus expertam esse Galliam meminerat, iamque eandem tot distractam videbat in partes, vix vt vnum corpus efficeret. Perturbationem augebat sparsus per omnes ferè regni prouincias Hugonotorum grex; tum is etiam cui belli summam committebat, quem hæreticorum quidem victorem optaret, suis tamen mallet concidere viribus, infestas enim sibi Guisii victorias esse ducebat, quòd collecta inde ab eo autoritas in regiæ diminutionem autoritatis crescere videretur.

Guisius & Ioyosaeus cõtra Germanos mittuntur.

Rex anxius.

Hæc & alia se se Regi obtrudebant aceruatim monstra, quæ oppugnare, quàm expugnare promptius erat; vnde animo inquies diu noctuque tacitus ad Reginam obrepebat, cumque eo secretiorum consiliorum participes pauci, quibuscum arcana de periclitantis status remediis agitabat colloquia: valuitque priuatis his in cœtibus asserentium opinio persequendum armis esse ius regium, Guisio reliquisque Lotharingis heroibus antiqua fortitudine animis grauiores imponendas esse partes, iubendum

vt priores Germanorum insilientium impetus coercerent, constare nempe omnibus tantò acceptius Guisio futurum id munus, quantò maiori sustinendæ dignitatis & propagandæ latiùs religionis famæ, quę cupiditate flagraret; alterutram autem aut victuri aut vincendi Guisii fortem Regi prosperam fore asserere non dubitabant aulici. Enim verò si procul à finibus Gallicis externos depelleret hostes, quot tandem periculis, imò quot stragibus, quot incendiis totam exemptutus esset Galliam, quantum decus regis allaturus auspiciis; sin autem, quod verò propius esse videbatur, Germanorum longè potentiorum viribus cederet, id commodi consequuturum Regem fore dicebant, vt proiabente hoc fœderatorum capite totum conspirationis corpus sine mora fatisceret, quo disturbato repentinæ contra victos victoresque, ne quid in regno turbarent, conscriberentur copiæ. Atque id consilii tam auidè gustabat, regustabatque Rex, vt illud identidem mente oreque volueret, audiretur que sæpius dum solus inambularet, hæc in verba prorumpere. *De inimicis meis vindicabo inimicos meos.*

Cur Guisium Rex in Germanos immiseris.

Discruciabatur his omnibus Rex, dum interea contigit aliud quod mœrorem eidem, cælestibus verò mentibus lætitiam cumularet; atque id eò lubentiùs hic insero, quò exploratius est, mirum quantum valere Magnatum exempla ad sanctitatis culmen facem præferentium. Catharina Espernoni soror, & Henrici Buchagij Comitis Ioyosæi fratris vxor è viuis excesserat; iuuenis illa quidem, sed morum probitate primariis sæculi sui matronis nihil inferior; mortem ei accelerauerat, non luxus, non euigilatæ ad citharam noctes, non intemperans cupediarum gustatus; non aliæ huiusmodi principum iuuencularum illecebræ, sed iuges in alternandis Deo precibus vigiliæ, noctesque insomnes, ac indicta sibi extenuandis corporis viribus inedia; arridebat quippe sanctissimæ fœminæ præ terrenis cibis omnibus manna illud suauissimum ipsâ Beatorum Spirituum manu conditum, diuinæ verò charitatis fornace excoctum; placebant hæ conciliatrices internarum deliciarum epulæ, quas ei in cælestium voluptatum torrentem mutare non distulit Deus, ab ea prælibatum, dum mortales inter mortalis ageret, inter beatarum mentium agmina liquidiùs & absque fastidio exsorbendum. Vbi nunc par mulierum fides, similisque sanctitas? quarum plerasque Iansenianis erroribus irretitas à stamine & penso ad edenda mysticæ doctrinæ certamina progressas esse lugemus. Penthesileas verè furentes, viris etiam doctissimis concurrere ausas, sed nihil præter frontem & audaciam, ignaramque sexui garrulitatem afferentes. Morta-

Laus Catharinæ Henrici Buchagy vxoris.

Carpuntur Iansenianæ fœminæ.

litatem igitur exuerat Catharina, cui quia sine scelere commori non poterat Henricus; excogitauit vir sapientissimus honestum aliquot mortis genus, cui absque vllo peccandi periculo, imò cum ingenti gloriæ cumulo succumbere posset; Monachorum nempe institutum arripuit, sed eorum præsertim, qui, si mortem duntaxat vnam ademeris, omnia morti contermina profitentur. In Capucinis enim elucet eadem ferè quæ in mortuis est nuditas, & inopia, iugis rerum mortalium contemptus, pares cubiculi, tumuli potius, angustiæ, indolentia non absimilis, mortuis denique per omnia ac in omnibus affines, nisi quod demortuis cœpta semel non abrumpitur quies, diuturnus est sopor, rarus autem & intercisus Capucinis est somnus; nam aut ad horaria diu noctuque psalmodiæ persoluenda pensa, aut ad spontaneas corpori infligendas pœnas, aut ad promouendam populi salutem semper aduigilant.

Henricus Buchagius Capucinorũ Ordinem ingreditur.

Capucini mortuis similes.

In hanc Piorum admodum virorum familiam intromitti voluit Henricus, & exaggeratas illas opulentissimæ domus gazas, illustriaque nobilissimæ stirpis decora sub vili Franciscanorum penula contegere, atq̃ potiùs contumulare, præhabens sic æterna caducis, honesto sanè prudentique delectu, ingentibus bonis se abdicans, ne ad brauium coronasque citatò gressu properanti remoræ forent. Tam repentina magni in exilem, diuitis in inopem cõmutatio admiratores habuit innumeros, imitatores nullos, aut villam recens coëmptã necdum satis lustratam; aut iuga boum, aut alia turbamenta, & intertrimenta causantes; quos omnes prolectantis sæculi nexus, & vincula quanquam aurea fortiter disrupit Henricus, gratissimã laudis hostiam ritè oblaturus Deo, cui totum se dedicatum auebat; atque his licet ditissimam è Christi spinis, quas induebat, progerminandam messem non frustra speraret, gestiretque identidem in nouum se hominem sæculi curis vacuum tam repentè mutatum, non pariter tamen id accipiebatur ab ab omnibus, nam (sicuti Annales memorant) Rex ipse, & Ioyosæus Henrici frater, quin & aula tota ad nouam hanc Christiani militis speciem inhorruit, vix creditura prodigio tanto, nisi euocato ad fidem oculorum testimonio clarè intuita fuisset, è tanto, tamque nobili viro bellatore fortissimo, denique ex Henrico Ioyosæo Buchagio Comite potentissimo, aliud nihil superesse præter laceratum centonem, aut penulam, & qui sub eã se se cohiberet, Capucinum precariis panis frustulis victitantem. Hæc sanè visa fuissent oculorum ludibria, nisi à Rege, fratre, aliisque ad priorem repetendam sortem sollicitatus probasset raram admodum in cœpto constantiam, ostendissetque non monachum magis se, quàm pij Monachi mores in-

Admiratio inde orta, non æmulatio.

Rex stupet. Attonita Regis Aula.

duisse. Cùm ab Henrico Monacho Ioyosæus frater extorquere non posset, vt prioris se vitæ deliciis redderet, hinc triste rerum suarum augurium cepit, vnde fortunatum prosperorum euentuum omen capere iure debuerat.

Nauarrus & Condæus locis aliquot potiuntur.

Hæc eodem ferè tempore contigerunt, quo Nauarrus post destinatum ab Rege hæreticæ prauitatis exilium, violentiùs in arma raperetur, quò labenti parti suæ succurreret, & prosperam interdum armorum sortem experiebatur: nam exeunte Aprili Rupella digressus cum delectis cohortibus & muralibus machinis aliquot, Chisæum deditione, Sasæum oppugnatione cepit, non sine capitali prædonum aliquot in arce repertorum supplicio, exinde Maxentii fanum occupauit; Fontenaium pari successu in potestatem redegit, quod sibi ad arbitrium nulla certa lege traditum indulgenter admodum habuit; nec multo post tempore Mauleonum perexiguum oppidum intromisso veriùs timore, quàm milite, sui iuris Condæus effecit; Nauarrus interea Lucionum adiit, vbi regium contra exercitum ab Anna Ioyosæo duci certior est factus. Sapiente, fortique consilio hic ne facilior Ligeris transitus Ioyosæanis cohortibus foret, Rupellam propere rediturus militari præsidio fluminis oras sepsit, binasque quibus Deborius & Carbonarius præerant, in Pictonibus legiones reliquit quæ prædis tantùm agendis intentæ, dum ad S. Eligii fanum, fide à loci præfecto accepta, securiùs quasi procul ab hoste remotæ agere pergerent, imminentem eum insultantéque capiti suo seriùs expertæ sunt; à regiis enim copiis interceptæ, oppressæque & ad internecionem Ioyosæi iussu cæsæ sunt frementibus Catholicorũ pluribus & ferro iugulisque parcendum esse monentibus, ne strage nimia fœdaretur, quod maximum colligi tum poterat victoriæ decus: verùm quis Imperatorum militumque in hostium cædes effusorum impetum iramque cohibeat. Hæc seueritas, magno postmodum in Curtracensi pugna Ioyosæo stetit, vbi ad contrucidandos impuniùs & implacabiliùs regios Eligianam identidem pugnam seu lanienam hostes reuoluebant. Deborius in vincula datus, Carbonarius ad fanum Maxentii continuò profectus, quod statim à Ioyosæo obsessum grauiter ille defendit, tandem muralium machinarum pilis ex parte deiectum Regijs traditum est, ac deinde militi ad direptionem concessum, mitiùs victorem agere decuisset (vt tradunt Historici) verùm cùm Caluinianis erroribus Galliam purgare satageret, excusabat si quid seueriùs ageret in hæreticos, quos Christiana benignitas optatam fortè reduxisset in frugem.

Eligiana pugna.

Vincuntur sectarii & Ioyosæi iussu necantur.

Lauerdinus ipse Castrorum præfectus cùm hæc ægerrimè ferret, à Rege

à Rege peropportuné commonetur, regias aduersus Nauarrum non ita effundendas vires esse, nihil vt earum ad subitos hostium frangendos conatus restaret. Haud ita multo post Ioyosæus seu visendorum contribulium suorum studio incensus, seu continuatis fractus laboribus, breuem tractandis armis quietem indulsit. Post paulò omnes statuit euocare vires quas in Nauarrum converteret, Guisiorumque facta sic æmulari vt eorum ad se autoritatem transferret, quare sacri plebeiique Ordinis animos conciliare sibi omni ope adnitebatur; & de plebe quidem prospera sibi cuncta pollicebatur, quippe quæ præsentia ferè sectetur, præteritorum immemor, nobilitatem verò, vnde longe cumulatiora sperabat, profusis largitionibus vastaque liberalitate sibi deuinxerat; iamque rumor magni alicuius committendi prælij per vniuersam Galliam sparsus iuuentutis aulicæ florem, fusamque per regni prouincias nobilitatem acciuerat; confluebant ad Ioyosæum certatim nobiles, aut victrices cum ea palmas, aut honestas cupressos decerpturi, iis enim periculosis Martis aleis mirum quantum afficitur nobilitas Gallica, siue ob inditum bellatrici nationi genium, siue quòd mortem non ponat in malis, dum eam nobilis Martis campus cohonestet; Hæc dum contra se parari Nauarrus animaduerteret, Ioyosæo de prosperis successibus iuueniliter nimium gestienti, iamque contra se cum flore nobilitatis ruituro collectis vndique copiis, occurrere parat, Ligerim ergo prætergressus, aduentitiis è Germania legionibus obuiam procedit: cum eo progrediuntur Princeps Condæus, Vicecomes Turenius, Dux Tremollius, Comes Mongomerius, Baro Salignacus, aliique nobiles non pauci, his auctus copiis tum robore, tum animi celsitate præstantibus, suoque ipsius genio fretus ad bellica quæque operæ pretia strenuè subacto, rem penè confecerat qui tam auspicata ponebat initia, maximè cùm Principes sibi sanguinis communione coniunctos suas ad partes attraxisset, Carolum Borbonium Suessionum Comitem Condæi fratrem, qui quanquam Romanam hoc est maiorum suorum religionem profiteretur, tamen cum regni soliùs, non verò religionis causam hîc agi censeret, nutare Regis autoritatem vilescere maiestatem, ludificari ac pene ludibrio esse regiæ Stirpis principes; Guisios verò vltra quàm optaretur à multis esse progressos; Nauarri partes sequi omnino statuit, quem fulciendæ Regis Regiorumque principum dignitati Parem vnum esse putabat, atque ex id vellet & opimæ fecerant conditiones à Petro Delbene oblatæ, qui spem illi fecerat coniugii cum Catharina Nauarri sorore contrahendi, tum etiam spoponderat ex pecunia in necessarios belli vsus ab

Dilabuntur Ioyosæana copiæ.

Guisios æquare conatur.

Nobilitatem ad se pellicit

Varios delectus habet.

Nauarrus copiis Germ. auctus.

Suessionum Comes Nauarri partes sequitur.

Elizabethâ Angliæ Regina submissa non leuem ipsum summám accepturum, qua ad priuatum hac in expeditione sustinendum decus vti commodè posset. Hæc cum pariter Francisco Borbonio Contij Principi significata essent, certiorque factus fuisset intactam cum hoc ab regiis dissidio mansuram in se religionem Apostolicam Romanam, haud difficulter Nauarri sese partibus adiunxit. Decretum itaque est vt Contius auxiliari Germanorum exercitui, simul ac irrupisset in Galliam, copias suas adunaret, Ad Santonas verò Suessio pergeret, in Hugonotorum castris hæsurus.

Sequitur & Contius Princeps.

Oppidò magnus & metuendus erat Germanorum exercitus, grauioremque longè metum incussisset, nisi militiæ peritis exploratum fuisset, quantùm turba distet ab exercitu; terrorem augebant procera corpora ab iratis principibus missa, furoremque ipsa spirantia: nam cùm Protestantium legatos Henricus Rex durioribus verbis acceptos ab se, vt iam vidimus, dimisisset; violatos se in suis arbitrabantur Principes, & offensam hanc irâ suâ dignam existimabant, quam proptereа vltum ire festinarunt Rex Daniæ, Marchio Brandeburgicus, Princeps Casimirus; protestantes Heluetii aliique eiusdem sectæ cultores, quos omnes priuatis publicisque odiis ad arma contra Galliam capienda satis excitatos stimulabat vehementiùs, ne Geneuensis conquiesceret Euangelii gladius, Theodorus Beza præco Caluinianæ sectæ primarius, de Priapeis cuius versibus dictum est aliàs satis. Principum ergo Protestantium iussu in Caluinianis fanis lecta pecuniarum vis ingens, & Casimiro ad Gallicam expeditionem tradita. Accesserunt mille sexaginta ducati nummi ab Elizabetha Angliæ Regina ad idem opus collati; pecuniarum iam abundè erat, nec armatorum deerat numerus. Ferunt qui Casimiri pugnarent auspiciis in Alsatia numerata duodena Equitum millia, peditum quaterna millia; Heluetiorum sena supra dena millia, præter alia quaterna, quæ in Delphinatu dispersa iam erant. Exercitui toti præerat Fabianus Baro Onauuius Casimiri legatus, è Prussia oriundus, priuatus ille quidem, sed Daniæ Regi necnon Comiti Palatino ob innatam ei generositatem acceptus, tametsi necessaria ad sustinendum onus tantum deficeret eum prudentia, rerumque militarium vsus. Præsto etiam aderant quadragena bellatorum millia ab Hugonotis conscripta priusquam Germanicæ ex Alsatia aduenirent copiæ.

Protestantes in Regem armati.

Hos adhortur Beza.

Onavvius Casimiri Legatus Germanico exercitui præest.

Interea quia iustè expostulaturus erat henricus Galliæ Rex, ni Rodolphus Imperator II. Germanorum in Galliam irrumpentium copias arceret, Onavvium primò seuerissimis verbis increpuit, tum

Rudolphus Imp. Onavvium increpat.

vetuit additâ grauissimæ pœnæ comminatione, ne quid contrà Galliam attentaret; nefas esse ostendens eum in armis esse, armatorumque ductorem absque præuio imperii nutu datis & obsignatis literis expresso. Ad quem Onavvius nihil contra fas audere se dixit, si saluo imperii iure operam suam in tutandis protestantium Principum fœderatis elocaret, sic contempta Imperatoris autoritas, dum Galliæ seu potiùs Catholicæ in Gallia religionis securitati studeret. Nec minùs Lotharingiæ Ducem torquebat Germanorum irruptio, qui Gallici fœderis societati immersus, Guisiorum res promouere adnitebatur, quippe fœderis fœderatorumque Principum; quare totus in eo erat, vt à principatus sui confiniis numerosum hunc exercitum prohiberet; sed cùm impar tot tantisque repellendis legionibus foret, cùm omnes Protestantium aduersus Galliam euocatę, concitatęque vires essent, festinatis ad Guisium nunciis, literisque expedita postulabat auxilia, rogabatque veniret in mentem, eius se causa periculosam illam contra Germanos aleam esse ingressum, iusque id exigere vt submissis quoque ab eo auxiliaribus copiis ab instante periculo liberaretur. Et hic quidem nihil, quod ad prouidum solertemque virum, quin & Gallię peramantem spectabat, omiserat; nam è Germania bina Equitum Catholicorum millia, octingentos item equites è Lotharingia collectos tum Epirotas, tum Italos, lectam etiam peditum ad quaterna millia cohortem sub signis habebat. Addiderat Parmensis Dux Belgij Gubernator octingentos è Burgundia Equites, & bina Vallonum millia; sed cùm Nancæi, quæ Princeps Lotharingiæ ciuitas est, & aliis in vrbibus stationarij ex hoc militum numero ad Præsidium constituendi forent; pauciores reliqui erant, quam vt contra infinitos penè Germanos odiis non minùs quàm armis instructos communire se posent. Cedendum itaque hostium multitudini, quod Guisio durissimum esse videbatur, victum se profiteri hactenus inassueto; quare in hoc dies noctesque anxius elaborabat, vt auxilia vndique compararet ad communem hostem à Lotharingiæ Galliæque finibus arcendum, aut si tandem irrumperet, exterminandum.

Lotharingiæ Dux anxius ob Germ. copias.

Auxilium à Guisio petit.

Non minore cura angebatur *Rex*, nec minùs Parisienses eum turbæ, quàm hostium arma fatigabant, percrepabant enim vndique tota vrbe Euangelicorum præconum subsellia sermonibus ad rebellionem instituendam compositis; hoc delecti vrbis Consiliarii prædicabant impunè; non tolerandum ampliùs iugum sibi ab Rege impositum; venisse illud tempus, quo prodeunti obuiam libertati litandum esse videretur, seruiisse se satis, qui deinceps imperarent,

Parisienses turbas aduersus Regem concitant.

indignis; quæ omnia contumeliosè dicta iactaque cùm regiam maiestatem eleuarent, haud impune habita fuissent nisi dissimulandum censuisset Rex vt inter tot discordiarum turbines securus regnaret; experturus alioqui, quam imbelle plerumque sit telum ad coercendos rebellium animos Principis indignatio, qui suas interdum sibi pœnas accersunt vt iustam defendendi sui reponendæque consimilis aut maioris pœnæ ansam prætexant. Frustra erat concessa tot motibus impunitas, neque enim mitigabantur Parisienses, dum timeri se intelligerent; tamen ne è cæcis illis densisque nubibus violentor ignis erumperet, obstabat Germanicus armorum apparatus, à quo se peti cum vniuersa Gallia non ignorabant; tum etiam regii de profligandis Hugonotis iurisiurandi memores abstinebant à grauioribus ausis, quorum cùm plerosque, vt pacatiùs aliquantò agerent Rex induxisset, alienato in turbarum autores animo, quanquam odium vultu tegeret, ex vrbe decessit: summa rerum Reginæ matri transmissâ, & Villaquerio in vrbis præsidium relicto, Meldas ipse profectus est, vbi Guisium Ducem ad se salutandi causâ profectum blandè comiterque accepit: mutua salutationis officia excepere colloquutiones familiarissimæ, sed perdurabat inter vrbanas has compellationes mutua alterius de altero diffidentia, aulico scilicet more, quo frons, oculi, vultusque sæpe mentiuntur, & insidiatrix parum prudentes illaqueare solet oratio. Interim tamen ne quid prætermisisse videretur Rex, quo deplorato rerum statui subueniret, alarios manipulos vicenos, quaternasque peditum cohortes Guisio ducendas tradidit, ex armis reliquis iustum conflaturus exercitum, cui se præfici vellet, verum mutata confestim voluntate Equestres turmas ferè omnes apud se esse iussit, solo peditatu Duci relicto.

Rex dissimulat vt regnet.

Rex Meldas proficiscitur.

Guisiũ Ducem comiter excipit.

Aulici mores

Rex exercitũ partitur.

Dubia Regis & Guisii amicitia.

Igitur inter hæc colloquia aulicâ vrbanitate condita succrescebant suspiciones mutuæ, quantò nempe solertiùs veteres inimicitias premebat alter, tantò subtiliùs dispiciebantur ab altero, exilientibus interdum è simulationis inuolucro non obscuris odii scintillis; & ab vtriusque frontis sereno haud dubia timebatur tempestas. Regi præsertim permolestũ erat coràm eum intueri, quem altius culmen ambire regias in aures insusurrare nonnulli consueraut. Atque hinc fiebat, vt Guisii non minùs quàm hostis insidias, potentiamque Rex formidaret, & quia parem pati non poterat, eius paulatim vires

Rex Guisii potentiam pertimescit.

succidere nitebatur, donec tantus hic (sic enim à plerisque appellabatur) colossus quo altior assurrexerat, hoc abiectior in ima proruеret; & hunc cladi iam suæ proximum augurabatur, gestiebatque interdum Rex; eo enim animo Guisium esse non ignorabat, vt interesse famæ suæ crederet irrumpentem in Galliam Germanum aut in Lotharingia, aut in præfecturæ suæ confiniis aggredi; nec fallax erat Regis coniectura, nam biduo post Guisius coactis ad sancti Florentini fanum prope Trecas legionibus, recta in Lotharingiam contendit cum loricatis è nobilitate sexcentis, totidemque leuis armaturæ equitibus tum Epirotis, tum Italis, tum aliis, à Balagnyo Cameracensi Præfecto peropportunè submissis, quibus addita Francorum peditum bina circiter millia. Nancæium, quæ primaria Lotharingi Ducis vrbs est, conuenere Guisii Principes, habitisque belli comitiis de faciliore Germanici propulsandi exercitus viâ quæsitum est, Alii nè pedem in Galliam inferrent Germani, expugnandos eos in Lotharingia esse censebant, cùm enim pressus angustusque sit Lotharingicus ager, crebrisque fractus fluminibus, haud satis patere videbatur inundanti Germanorum multitudini, explicatiore longè campo ad bellica operæ pretia indigentium; tum etiam quia finitima est Lotharingiæ Germania, ideoque Germanos milites, si improsperum quid accideret, ad repetendos lares suos non longè dissitos dulcedine sua pellexisset; addebant Nauarræas copias ægrè admodum in Lotharingiam penetraturas, vt Germanicis se legionibus immiscerent, Assentiebatur Guisius, & heroicam Maiorum suorum Virtutem reputabat, quasi victoriæ certus, quam sæpius sibi famulatam expertus fuisset, enimuero ingentia illa Germanorum corpora sternenda cumulatisque eorum cædibus imbuendam Lotharingiam esse censebat. Contra verò Lotharingus eodem in Procerum cœtu Lotharingiam suam in cruenti Martis campum tradendam esse negabat; neque enim aduersus eam conquisita per Germaniam erant auxilia, in destinatam igitur à protestantibus metam effundendam illam armorum, armatorumque comparatam iam vim; interea diligentem adhibiturum se operam qua communitis fortiter vrbibus, quà errantibus hac & illac castris opportunè defixis, vt ingens illa multitudo in transitu nihil aut certè perparum Lotharingicis agris incommodaret. Sed Guisium non mediocriter pungebat hæc oratio totam illam Alemannici exercitus molem

Expeditor iudagatur via pellendi Germ. exercitus.

Variæ sententiæ.

simul ac in conspectum se daret profligare conatis, Ad quid enim cunctationes tantæ nisi militari prudentia temperatę sint? quæ certè nulla dicenda est, si oblatam vltrò proterendi hostis opportunitatem omiseris, eam autem dare se se in præsentia opportunam, cùm ad priores conatus edendos accinctus sit miles, quos nullus hostis eludat, cùm Gallica licet conquiescant arma, impeditis Lotharingiæ angustiis, iactis fluuiorum obicibus, ipsâ demum loci naturâ Germanicæ legiones expugnari facilè possint; permittendum aliquid interdum Dominæ campi fortunæ quæ bellicam vix vnquam audaciam suo frustratur successu; æterno Lotharingis vertendum id honori esse, si in natali solo suo Germanis contumulandis hostibus erigi busta viderint, & succrescere palmas, infestæ sibi gentis sanguine cruentatas.

Guisii Oratio.

Verùm refellebat hæc omnia Lotharingiæ Dux, cui plus nimio erat, indulgere Germanis, quem impedire non poterat transitum; atque ne diutius hostes in sinu foueret, clibanos & moletrinas, dirui iusserat, ac cibaria tutis, ne interciperentur, in locis recondi, quo illi diuturnioris inediæ pertæsi locupletius in solum ire maturarent. Postremum id tandem accidit; transportatus quippe in Galliam est hostilis exercitus ab Onavvio, ita enim Princeps Casimirus fieri iusserat, quod Nauarræis peroppottunum fuit, Principum se se Protestantium copiis facilè commixturis, quam in Lotharingia coniunctionem, vetabat tum viarum longinquitas, tum septæ præsidiariis excubantibus viæ. Onavvius tamen sic Lotharingiam prætergredi statuit, vt obuia quæque deuastaret, diriperetque; quare simul ac prouinciam attigit, cum resisteret nemo, & apertæ vbique paterent intrantibus & pergentibus viæ, sæuire confestim hostiliter, & ferro flammisque eò audaciùs, quò impuniùs corrumpere cuncta sine discrimine cœpit, crudeliora longè tentaturus ni vasto concrepantium incendiorum strepitu finitimi exciti, pecuaria sua, supellectilem, vitam denique suam tutis specuum latebris contexissent. Latrociniis & abigendis prædis Germanos intentos postmodum ad militare aliquod edendum facinus noua cupido incessit; pertentare siquidem decreuerunt, an confœderatorum Principum venis emicaret aliquid Gallici sanguinis & vigoris; nec sui suorumque experimentum facere Guisius distulit fusis turbatisque hostium agminibus, captoque inter leuia certamina equestri vexillo, quod extemplo ad Henricum Regem misit Lotharingiæ Dux, quò constaret haudi mpunè semper in Lotharingicis agris grassatam externorum aciem, ea esse, imarum ingentium præludia, quas sperare iuberetur Rex; in

Refellitur à Lotharingo Duce.

Onavvius Lotharingiam populatur.

Guisius Equestre signū hostibus eripit. Ad Regem mittitur.

Lotharingia inclinatos iam hostes deficere, proculcandos esse in Gallia, quò maturare pergebant, sed ea Ordinum omnium confusione, nihil vt in his veteris disciplinæ vigeret, quodque ab antiquis illis bellatoribus pari in causa iactatum est, magnus hic Germanorum exercitus bellua absque capite esse videretur, quia sine perito Duce. Obruebat siquidem ductorum omnium prudentiam, autoritatemque imminuebat ipsa conscriptorum hominum multitudo; nec tum satis audiebatur Dux bullonius parum ad regendum idoneus maturioris ætatis defectu, quam compensabat tamen animi celsitas, gentisque claritudo. Onavvio autem vt impigrè pareretur, vetabat exilis Onavvianæ stirpis nobilitas, deerat & eidem imperandi peritia ad exequenda potiùs quàm ad imponenda imperia nato institutoque, deerat & necessaria Tribunorum Præfectorumque reliquorum solertia; denique mole sua, qua vna formidari poterat, tantus Germanorum laborabat exercitus, nauium scilicet ingentium more, quæ neque remis neque velis adgubernari possunt, nauatchorum vim omnem & industriam magnitudine sua eluctantes.

Magnus German. exercitus acephalus.

Onav. ... parum ad regendum idoneus.

Peropportunum sanè tempus aggrediendi huius exercitus compluribus, Guisio præsertim esse videbatur, cùm magna hæc moles quomodo seipsam, & à quibus regeretur haud satis intelligeret. Verùm prohibebat Lotharingus id fieri, & parendum erat seniori matura consilia præter opes & milites suppeditanti. Igitur ad pontem S Vincentii, quod oppidum ad collis radices positum est cuiusque ad ima Mosa fluuius labitur, deuenit Guisius, exploraturus videlicet, num è re foret primam inibi aciem collocare, qua subeunti hosti aditum intercluderet; illic verò ex editiore tumulo totum, qui latissimè se se effuderat, hostium exercitum eminus lustrauit manipulatim digestum, dum perima collis ad pontem raptim adreperet, quem vt transitu prohiberet, alarios trecentos extra oppidum stare, & in fluuii crepidine catapultarios centum in equis esse iussit, ipse verò Mosam transgressus est cum nobilibus quinis, obseruaturus cum illis diligentiùs quò se Germanorum cœpta porrigerent. Vix transmiserat, cùm binas Reitrorum, hoc est equitum turmas laxatis habenis aduolantes eminus aspicit, quorum vt impetus deuitaret, trajecto rursus flumine ad suos rediit, cursim autem appropérabant Germani, vt ignota explorarent loca, per quæ reliquus transiturus erat exercitus. Stabant ad fluminis oram Guisiani milites, Guisius ipse cum vicenis quinis nobilibus viris pontem insederat, quò tempore contigit præclarum hoc posteris Gallis etiam enarrandum facinus, qui stupendam, quanquam in hoste, virtutem haud grauatè

prædicabunt. Germanorum vnus postquam ex equo desiliit, in ipso præterlabentis aquæ margine, rotatam momento intendit equestris sclopi machinulam, ac in obuios quoscunque Guisianos audacter fidenterque lethale pondus exonerat, tametsi hoc ipso tempore ducenti atque eò ampliùs catapultarij cõmuni in eum displosione collimarent. Qui ducentis vulneribus sic debuerat, ne vno quidem læsus, pari quâ ex equo desilierat, fiduciâ, equum rursus inscendit, læsusque remigrauit ad suos.

Post fortunatum hunc ad suos regressum gloriabatur identidem Eques ille Germanus, & Guisianorum vires eleuabat, quasi ab vno prostratorum Hercule, indeque ingentes commilitonibus suis animos dabat velut contra pumilos congressuris. Hinc ludicris inter se sclopetorum displosionibus colludentes itare se iocabantur non tam ad Martis, quàm palmarum campum; & quanquam alacres plerique viderentur, horum tamen multitudinem, longè magis quàm vim metuendam esse asseuerabat Guisius, si tandem regi potuisset infinitus ille propemodum hominum grex, aut præsides habuisset, qui regere nossent. Lotharingicarum verò & Gallicarum legioum laus hæc erat præcipua, paucos habere, sed fortes; & fortium illorum ductores prudentissimos viros, quod Germanis è longinquo spectantibus stupendum omnino est visum: cùm enim digestas in ordinem Gallorum acies, scitè composita, & quasi ad amussim cuncta descripta armatorum agmina ad præsidum nutum intenta, necnon exilientes quasi suis è corporibus animos intuerentur, ad hæc leuem equitatum, equos quamcunque in partem non repugnanter flexiles; enim verò ab aggressione abstinendum esse ducebant; ordinatam tam concinnè militiam haud facilem expugnatu fore affirmantes, quippe Gallicorum militum paucitatem, Ducum ac Centurionum suppleri posse prudentia, depugnatura vnà cum militum manibus Præsidum capita, & certiùs victura capita, quàm manus, turpe fore Germanis, si è patrio solo proferendi latè nominis desiderio emersi in eas se se angustias conjicerent, vt à modico Gallorum manipulo frangerentur tam multi, oblatam ergo sibi pugnam detrectantes ire in Galliam pertexerunt, sed nocentium locustarum more, quæ agminatim in sata, in frutices, in arbusta prouolantes, quidquid occupaneaut exeduut, aut corrumpunt; consimiliter illi quodcunque tandem inibant, cædibus ac latrociniis consignabant iter. Hac eadem omnino rabie in Galliæ confinio ad sancti Vrbani fanum debacchati sunt, vbi nihil admodum quod aut auaritia, aut crudelitas, aut alia flagitiorum monstra parturiunt, prætermissum

Gallorum aciem mirã tur Germani.

Germani cuncta latè peruastant.

sum ab illis fuisse scriptores memorant; mirumque in tam supino disciplinæ militaris neglectu ad eadem & audenda & perpetranda furta & flagitia tam concordes fuisse Germanorum animos. Venerant autem hi cum rhedis, sarcinis, prædisque ab Lotharingia abactis non tam onusti, quàm impediti currus.

His præter carpenta quæ secum aduexerant, inerant alia atque alia impedimenta quæ militum emollirent, aut frangerent potiùs animos; officiebant & segniores excubiæ, nec non accumulandæ prædæ cupiditas ingens, inconditi præterea vagantesque hac illac manipuli multitudine & viribus freti, quadraginta namque aderant atque eò ampliùs bellatorum millia, ideóque facilè hostem aspernabantur, quasi imparem sibi, cùm nullus tamen tutò contemnendus sit hostis, quem pristino robore defectum præceps ira exacuit, audaciaque exsuscitat. Incommodabat etiam magnopere nimia militum in recentes vuas effusio, quæ vixdum maturescentes Germanis sapidæ erant, quia raræ: hæc gulæ irritamenta, perinde quasi Atalantæ poma haud mediocriter legiones morabantur, quæ in Galliam irrumpere decreuerant; Et quia fructus huiusmodi autumnali sole nondum satis excocti ab inassuetis cupidiùs expetebantur, & vorabantur auidiùs, hinc facilè contingebat, vt excitato alui profluuio, crebrisque torminibus sæuientes, militibus porrò perrectúris diuturniorem, quàm belli ratio postulasset, moram inijcerent. Quanam autem potissimum parte Gallia inuadenda foret, discrepantes erant inter Imperatores sententiæ, alii quidem prætermissis ignobilibus pagis aut vrbibus, quæ ad magna connitentium certæ sunt remoræ, per campaniam finitimasque irrependum prouincias, ac Lutetiam ipsam Parisiorum, quæ regni totius est caput, festinatis armis tentandam esse censebant, nutaturas quippe vrbes reliquas incusso vrbi principi metu. Aliis magnificentius, quàm tutius videbatur id esse consilium, cùm ad cœpta huiusmodi scitè prouehenda opus esset capite sapientiæ canis consperso, id autem frustra quærebatur in exercitu toto, quamobrem cùm tutiora magnis semper præhabenda sint, Charitæum elegerunt oppidum, per quod irrumperetur in Galliam, maximè cùm certa spes foret Nauarræas illic ad futuras copias, magnum sanè Germanicis legionibus adiumentum, & quod satis æstimari non poterat, Nauarrum ipsum Nestorem alterum, cuius consiliis prudentique ductu adgubernaretur tota hæc ingentis exercitus moles nullum sic vnquam passura naufragium.

Segnes apud Germanos excubiæ.

Morbus ex intemperantia.

Necessaria in bello prudentia.

Germanicarum legionum vestigiis instabat continuò Guisius nondum coalescentibus in perfecti exercitus corpus paucis, quas secum

adduxerat copiis, & quanquam Dux Meduanus Guisii frater cohortes aliquot è Burgundia deduxisset cōmodúmque ad suppetias aduenisset Pontius Marchio cum selecto nobilitatis flore, in his tamen mille quingenti tantùm censebantur equites, peditū verò tria circiter millia; qui ne à potentiore hostium exercitu frangerentur, militarem Guisius solertiam adhibebat, dum castra in iis duntaxat locis, quæ situ ipso munita satis, & ab hostium irruptionibus tuta forent, defigeret, hostiúque latera obsidere perseuetaret, quò ad subita expeditior foret; inflammatiùs nihil appetens, quàm vt iustum iniretur certamen, quo immortale gloriæ suæ monumentum in profligandis externis viribus collocaret. Verùm Meduanus & Pontius ardentiores illos in Guisio æstus restinguebant, nec enim cum hac militum paucitate inchoari rite bellum prudenterque posse putabant, quod pristina Lotharingicæ familiæ decora expuncturum esse videbatur, quantâ tandem in voluptate baccharentur Germani exercitus duces, si lectos è primaria nobilitate iuuenes Gallos in eas se se pedicas induere viderent, vnde commodè extricari non possent; militum magis quàm ducum esse committendi temere certaminis cupiditate abripi, frænanda properè hæc esse quæ se se latiùs in imperatoribus proferunt studia, atque vt contractiora fiant, prudenti coercenda esse consilio, reputaret tantisper quantæ temeritatis foret partam continuatis laboribus famam, & amplioris consequendæ spem minimè dubiam in tam apertum proferre discrimen: in rebus vel exiguis opus esse consulto, quantò magis in grauioribus causis. Porrò quænam ista mentis præfidentia, aut audacia, cum paucos habeas sub signis milites, bellatores multitudine propè innumerabiles iustam ad pugnam lacessere? Annon præstabilius est sine armorum gloria inter suos quietè, quàm cum temerario armorum vsu, abusu potiùs, turpiter emori? Sexdecim equitum millia, vicena verò peditum, catapultariorum item quaterna millia, quæ in Protestantium exercitu militant si non pertimescimus, nihil quod à nobis formidetur est reliquum; prudentis est, eorum quæ cladem minimè dubiam allatura sunt iusto terrore percelli, quò vigilantiores ad id auertendum intendantur curæ. Quocirca omisso Germanici exercitus inuadendi consilio, in id conueniebant Proceres reliqui vt diligentem operam in tutandis ab hostium incursibus Galliæ pagis collocandam esse putarent, quod præcipuum sibi munus vindicarat Guisius; cætera verò quæ maioris longè moliminis forent, in auspicatius tempus aliquod differenda.

Nimius Guisii ad pugnā ardor coercetur.

Prudenter etiam in bello timetur.

Ad hæc refrixisse nonnihil altiores Guisii spiritus videbantur, ex-

pendebat Procerum dicta, ac circunspectis viribus suis ad inuadendum hostem imparibus, acquiescebat interdum prudentium monitorum sententiæ; sed recurrebat illico pristinus ardor, & titillabat identidem hominem nouus amplificandæ gloriæ pruritus, quæ nonnisi ingentium facinorum comes esse consueuit; arduum itaque moliendum sibi aliquid existimabat, inuitante maximè, vt id attentaret, nouâ quâ insignitus erat prærogatiuâ: fœderatorum enim Dux, populique conseruator appellabatur, implere itaque satagebat speciosa hæc nomina illustribus factis. Quare profligandi Germanici exercitus curam vni sibi deposcebat, haud facilè passurus ab alio quouis præripi sibi hanc lauream, quam in aperiendo hoc Martis campo collecturum se haud ex vano sperabat, denique vt id pertinacius auderet stimulabat maximè suspicio quæ altè eius animo insederat, Henricum Regem cum Hugonotis conspirare secretò, & si Germanicæ cum Nauarræis turmæ coirent, Rexque cum armatis hac illac armatus etiam volitaret, vllum sibi effugium fore diffidebat tot contra se pugnantium viribus circunsesso: omnes igitur animi corporisque vires aduocabat, vt externorum aut profligare, aut infirmare saltem exercitum posset, eorum exitio non salutem modò, sed & gloriam suam vitâ sibi potiorem sanciturus. Quare, nunc hostilibus turmis, laxatis equo habenis celerrimè anteuertebat, nunc cautior leniùs insequebatur, nunc latera gyrando circumibat, nunc prudentissima cunctatione morabatur hostis itinera, nunc instantiùs vrgebat, & fatigabat eundem.

Guisij magnitudo animi.

Tametsi res cibaria Germanorum multitudinem aliquando deficeret, plus tamen ingluuies eis quàm inedia obfuit; nam in vbere constituti solo dentibus (quod aiunt) acriùs quàm ensibus dimicabant, ne Tantali forent inter varias & adblandientes ciborum cuiusque generis delicias; inde saliente in cyatho melioris notæ vino illecti, longas prisco gentis more perpotationes trahebant, atque ita exsiccandis apprimè generosi vini culullis, & farciendis abdominibus plus æquo indulgentes, aut in lethales plerumque morbos incidebant, aut à penetranda peruastandaque quod ambiuetant, Gallia abducebantur. Itaque quos nulla propemodū vis superatura esse videbatur, perdidit afflixitque Gula & crapula, geminæ militum in suprema nitentiū pestes, ideoque à nonnullis olim bellatoribus vitatæ, quibus solenne erat facili & parabili cibo vesci, nasturtio famem temperare cum Cyro, cumque eodem Choaspis amnis deplere latices, nisi fortè ad vitium fulcimentum pauci meri stillis aquam interdum infuscare liceret. Accedebant ad noxios corporibus con-

Ingluuies Germanis obfuit.

Gula militum pestis.

cindos affectus, autumnales imbres tum vdum palustreque solum, lutulenti, lubricique viarum anfractus lapsantibus circa multis, ægréque è tenaci limo pedes extricantibus, quæ itinerum difficultates Guisianis exorbendæ pariter erant, iussis hac illac volitare militibus, & quanquam attritis lacerisque vestibus, nudatisque penè corporibus contra sæuientes cæli tempestates veriùs, quàm contra Germanos pugnarent, non deficiebant tamen animis, etsi eos cuncta ferè deficerent; vrgebat enim Guisij Ducis præsentia contra eandem cœli inclementiam obstinatè durantis, pluuiarumque vim priscorum Imperatorum more dissimulantis; & quia veteranæ plerumque erant Guisianæ cohortes, & tolerandis Martis laboribus assuetæ, cùm alios ventos tempestatesque impunè vidissent, minùs quoque ab his lædebantur: quocirca hæ progredientes Germanos modò à fronte adoriri, modo fatigare à tergo, nunc simulatâ fugâ loco cedere, nunc presso pede resilire conspectæ, itaque frequentatis velitationibus Castellionem ad sequanam attigerunt, vbi quaternis totis horis leuioribus decertatum est prælis, æquatâ vtriusque partis strage, prædaque consimili.

Guisianarũ copiarum fortitudo.

Leuia committuntur prælia.

Germani cùm in intimam Galliam atque in ea præsertim loca penetrare satagerent, vbi maior frugum copia blandiretur; pessimè sibi consultum, quanquam seriùs, intellexerunt; tum præsertim cùm Rex, quem pro se, & aduersus Guisios arma capturum inani quadam spe delusi crediderant, hæc eadem contra ipsos Meldas ingressus expedit; octonis Heluetiorum millibus stipatus, denis è Gallia lectis peditum millibus, quaternis item equitum millibus cum nobilibus multis incedebat; nec ita multò post progressus ad Ligerim, tum abruptis illico itineribus, tum nauigiis confestim alio transportatis, castrisque in amnis decursu positis, Germanis vadandi fluuii spem abstulit: & ludificari sanè commeriti fuerant, quòd iniqua & plena dedecoris expectassent à Rege, neque enim cum tanto majestatis probro, neglectâ religionis causâ religionis hostibus velificaturum se spoponderat. Hinc orta Germanos inter iurgia, neglecti ordines, pessum ire cuncta permissa, frustra vociferantibus, exprobrantibusque castrorum præfectis. Reytri seu Germani equites militare donatiuum importunis querimoniis, additis etiam minis deposcere, tractos se per vligines paludum, per inculta montium, querentes paucis in diem assibus animam & corpus æstimari, quasi verò tot armatorum salus, infinitis periculis, crebrisque Gallorum telis exposita vili cuidam lucello anteponi non debeat; & denegari tamen modicum

Cassa Germanorum spes.

Stipendia petunt, queruntur.

hoc æruginosi æris ramentum : ne teruncium quidem hiantiam & contabescenti præ diuturna fame militi repræsentari; quòd si ingentibus tantùm Ducum pollicitationibus, & vno conquisitorum verborum apparatu bella gererentur, & interquiesceret ferrum, quænam tandem hinc expectanda esset victoria? quam inde laudis messem colligerent Principes quorum sic pugnaretur auspiciis? Hæc Germani palam querebantur, dum acerbiùs expostularent Heluetii, qui apertam ad Galliæ Regem defectionem meditabantur, cuius sub signis aliæ militabant Heluetiorum cohortes, cum quibus vires iungere maturabant, hinc continuatis clamoribus iurgiisque Germanica perstrepebant castra, audiebantur quotidiani ringentium fremitus, quos vt tumultus cohiberent castrorum præfecti, bellicum instituêre senatum, in quo nondum satis maturè discussa re, properatis sententiis retrò flectendum iter esse censuerunt, repetendamque properè Belsiam frumenti feracem, ac proinde congruentem futuram armatorum nutriculam, dum interea militare stipendium à Nauarro peteretur, quæreretúrque peritus aliquis, qui Germanicis præficeretur copiis, easque cum Nauarræis adunaret. *Queruntur etiam Heluetij.* *Mitigantur.*

Nec ad ea segnis erat Nauarrus, insomnis vbique: digreditur itaque ab arcibus per factiosos occupatis, conquisiturus vndique auxiliares copias quas arreptâ ad ligerim viâ Germanicis cohortibus immisceret, quod vnum ad profligandam fœderatorum societatem aptum esse ducebat, quod consilium Ioyosæus intervertere omnino statuit, Salmurio egressus eâ animi altiora spectantis celeritate aut præcipitantiâ, vt decretorium, quod initurus erat certamen præsagire videretur, doceretque ad interitum ocyus prolabi mortales, nobiles præsertim, quibus plerumque, ne nimio ambitionis fastu intumescant, breuis vitæ definitus est cursus. Vt autem periculosam hanc contra Nauarrum aleam tentaret, stimulabat primò inflammata gloriæ cupiditas, tum assiduus ob refrigescentem in se Regis gratiam mœror, in Espernonium ipsius æmulum longè pronior s. Auersa autem ab illo nonnihil mente Henricus rex erat, quòd Guisiorum in partes videretur esse procliuior, siue id Ioyosæus palam affectaret ardenti conseruandæ religionis studio incensus, siue quòd Guisiorum amicitiam sibi necessariam, ideoque percolendam esse putaret. Atque vt si quid in Regem offendisset, totum id expiare conniteretur, aut Nauarrum profligare, aut profligari certus, cæco quodam impetu irruendum existimauit, vt aut illustri victoria, aut generoso saltem fato *Nauarrus ad Ligerim ducit.* *Ioyosæus Nauarro opponitur.* *Rex à Ioyosæo auersus.*

si quid sibi ab inuidis detractum esset famæ, sarciret. Nauarrum ergo à Germanis iungendis copijs prohibiturus, in campum descendit, vnde rem gesturus non erat. Memorabilis huius belli Curtracum delectus est locus. Est autem Curtracum municipium ad Insulam amnem situm, arce ab Odeto Fuxio Lautreco famoso belli duce magnifice inchoatà nobile, quæ iam ampliata & viridariis, viuariis, & arenariis, quæ ad ortum adiacent longè amœnissima, Petrocoriis, quorum in finibus est, voluptuarii prædii loco est. Eò Ioyosæus com neatu numerosoque exercitu pollens hoc consilio proficiscitur vt Dragenm fluuiũ vado traijciat, cui Nauarrus obuiam factus, aciem illico instruxit, quodque militari disciplinæ innutritus, in periculosa Martis Schola multis experimentis, additisque mille periculis didicerat, contra fortem ac nobilem hostem exprompsit; præclaram hanc esse victoriam interpretatus, quæ de magno pareretur à maximo.

Curtracensis pugna.

At ne quid nisi rite ordineque digestum moliretur, equitatum in agmina quatuor partitus est, quorum primum ipse ducendum elegit; singulas ante cohortes lecti stabant ad subita quæque sclopetarii; ad dextram verò & læuam collocatæ aderant peditum copiæ: vtrinque leuibus primùm certatum est prælijs, tum curulibus machinis agi cœpta res, quæ à Nauarræis sic dispositæ fuerant, vt bifurcata pulsatione Ioyosæanas acies magnopere infestarent. Contra verò ab Ioyosæanis contra Nauarræos crebrâ tormentorum parium displosione memorabile nihil præstitum est, dolone an inscitia libratorum, incertum: ferunt enim aliqui Ioyosæos libratores de industria ab scopo aberrare solitos, numquam pilas in hostium ordines, sed in terræ tumulos immisisse; quæ si vera essent multùm sanè de victoriæ laude detraherent, cui hostiles etiam opitulati fuerint doli. Stabant vtrinque in conspectu acies splendidâ tutandi regij nominis prærogatiuâ effultæ: qui enim aduersus Reges dimicant, hoc quia turpe in subditis & nefas esse putatur, honestissimorum obtentuum inuolucris audaciam contegunt; dimicare se aduersus Regem pernegant, contestati contra vnos Regis asseclas, & consultores infidos vires effundi. Aderant ergo in conspectu dispositæ acies, & militari clamore, editoque collisorum armorum strepitu, imminenti præludebant pugnæ, expectabatur tantùm certaminis signum, quod Ioyosæus supremus copiarum omnium præfectus sibi munus assumpsit, præfestinauit siquidem præiuitque; cum eo pariter irrupit quæ tum aderat nobilitas periculorum iuxtà ac gloriæ auida, sed ad militares dolos laboresque nondum satis idonea.

Nauarri acies.

Ioyosæani caduntur.

Iuuat autem conflatam illam nobilium turmam cminus intueri. Sanè oppidò pulchri, elegantes pictique erant adolescentes huiusmodi, forti constantique animo ad decretoriam hanc pugnam rapiebantur; nitebant vnguentis, auro, coccoque præfulgebant, quasi cum sole ipso aut solis radiis ludicrum lituri certamen, aut pretiosa Nauarræis imposituri vulnera. Pessimum hoc olim in Darij militibus omen fuit; aurea enim in hostibus plus amantur quàm formidantur arma; non pugnandum auro, sed ferro; huiusmodi tela haud incongruè Achilleos quis dixerit gladios: curant enim quod vulnus infligunt. Contra verò Nauarrus Alexandri æmulatus, cuius etiam cognomentum illustribus factis emeruit, prudenti delectu milites conquisierat incultos illos quidem, sed fortes, sed intentos non modò ad Ducis imperium, sed ad nutum; ferro, non auro instructos, sequi signa, ordines seruare apprimè edoctos, quia veteranos ferè omnes. Hic Nauarræorum armorum apparatus fuit, supplebat eorum paucitatem interrita vis, Ioyosæanis enim inferiores longè numero erant; ac ne quid inauguratò aggrederetur Nauarrus, recepto protestantium more, concipi ad Deum vota iussit. Adfuere continuò qui concepta verba præirent Antonius Sadeel, siue Chandeus, & Ludouicus Amorius ambo sectæ prædicantes Ministri. Cùm Caluiniano ritu peractæ preces fuissent, Nauarrus conscenso tumulo medius inter proceres sic affatus est milites.

Picti & elegantes Ioyosæi milites.

Aurea arma non timentur.

Nauarro inculti erant milites, sed fortes.

Hostilem aciem Commilitiones in propinquo esse videtis multitudine ferè innumeram, ideòque pertimescendam, si numerum virtus adæquaret. Si quos totus hic exercitus bellatores habet, rectè quis æstimet, horum sortem lugebit potiùs quàm fortitudinem metuet: iis quippe vulnera, & quod dolendum est magis, violentas sine discrimine neces inferemus, qui, nisi naturæ iura ac naturam ipsam excusserimus, vt incolumes starent, nobis esset optandum; aduersariorum sanguinem luctu nostro pensabimus, eorum plagas lacrymis nostris abluemus. Cogitate Commilitones, in quos arma corripuerimus; non in remotas, barbarasque nationes non in gentes nulla nobis affinitate coniunctas, sed in fratres, in cognatos, in amicos distringendi nobis sunt gladij. Ergone collectus ille Galliâ tota nobilitatis flos, hæc præstantissimorum Iuuenum turma non tam auro argentoque quàm auito Maiorum splendore irradians vixdum positis Martis rudimentis certas ad neces aut non dubium earum periculum festinanter accurrit? Ego certè ægrè admodum in eam induci me necessitatem passus sum vt bellico aduersus eos more sæuirem, quos aut cognatos hactenus, aut cognatorum instar habui. Et meo & Condæi fratris sanguine hanc ingratissimi belli necessitatem redimere non dubitarem,

Nauarri Oratio ad suos.

nisi contra pertinaces agerem, quibus aut vincere aut interire destinatum iam animo sit; nullas non conditiones obtuli, nullas vel iniquissimas ab hostibus afferendas recusaui: sed quoniam p ssimo fato quodam eò progressa res est, vt contra eos martem experiri necessarium sit; subeunda est nobis periculosa ingrati huius belli alea, d im quidquid in eo contra reclamantes naturæ leges peccabitur, in G allicorum tumultuum incentores recidat, stet que apud nos, qui æquum spectauimus semper victoria, quæ recti factorum est comes, quamque properanter ad nos, prouolaturam certò scio; atque ne augurium inane futurum sit, faciet (Commilitones mei) v stra hæc explorata iamdiu multis belli experimentis alacritas, Vobis militibus t ntis, me Imperatore multis adoreis aucto, prosequente fortunâ, quam audacibus cœptis suffragari nouimus, ea edentur facinora, quæ apud post ros interitura nunquam sint. Macti igitur estote, auspice Deo vincendum est, nobis, sed ita vincendum vt clementiam quæ victores Principes addecet, pluris faciendum esse putemus, quàm victoriam ipsam, quæ nisi consortem humanitatem habuerit, in barbariam vertit. Rex, cuius hoc in discrimine tutanda salus est & autoritas, imò Gallia vniuersa pro cuius asserenda tranquillitate difficiles & periculosas operas collocamus, prostratos eos esse gaudebit, victoribus verò nobis laureæ viriditatem, decusque gratulabitur, qui vim hostibus non inferimus, sed contra ius fasque nobis illatam propulsamus.

Hæc cùm Imperatoria grauitate perorasset Nauarrus, Iubentur primò libratores murales displodere machinas sub horam ferè octauam matutinam, quo eodem tempore regia pariter tormenta fulminare cœperunt nullo planè hostium in quos laxabantur, exitio. Equum vnum tantùm ferrea glande confossum periisse ferunt, equitem verò illæsum ad Condæum, cuius puer honorarius erat, remigrasse immunem periculi, non timoris; & certè vix formidari poterant, tametsi reboantes horrendum in modum Regis machinæ, cùm interiacens tumulus Nauarræos quo minus lædi possent hac ex parte defenderet, siue id libratorum (vt iam diximus) fraude, siue artis imperitiâ id fieret. Regia verò acies adeo patens hostibus erat, vt ictus omnes exciperet, pilas omnes hauriret, nuda corpora pro scutis aut propugnaculis obiectaret. Ioyosæanis præsertim obfuit Claromontii solertia, hic enim peridoneo loco maiores elocarat machinas, vnde repetita septies displosione Tiercellini legionem, mediamque Ioyosæi aciem, antequam cominus certaretur, ita labefactauit, vt gradum ad ineundam è propinquo pugnam accelerare cogerentur. Ioannes Bellomanerius, Lauardinus castrorum Ioyosæanorum præfectus, & Franciscus Grangeus Montinius in leuem hostium

Pilis ferreis quatiuntur Ioüsæi.

ftium armaturam impreſſionem faciunt, omninoque diſturbant, Trimolij confoſſus eſt equus, viuantius grauiter ſauciatus, Tutenius cùm ad ſuppetias certamini ſucceſſiſſet, periclitatus eſt ipſe, equo ipſius occiſo. Lauardinus quaſi de victoria certus Curtracum cum ſuis lætus ingreditur, iamque in hoſtium impedimenta certatim aduolabant Ioyoſæani, trophæa poſtmodum erecturi, cùm à Nauarræis feſtis vocibus inclamatur victoria, tutum itaque ſe ſe in locum recipiunt, Montinius quem nondum abiecta vincendi ſpes in certamen coniecerat, ſuffoſſo equo in poteſtatem hoſtium venit; tum ſigna properè infert Nauarrus cum ſuo, Condæi pariter & Sueſſionis agmine, & ſclopetarijs volonibus pilarum grandinem eiaculantibus; fractoque primo haſtarum impetu tam concitata vi contra Ioyoſæanos irruit, vt poſt exiguam dimicationem partim cæſi partim fuſi, fugatique fuerint, ferales has voces inter edendam lanienam ingeminante Nauarræo milite, Eligianæ carnificinæ Ioyoſæanis omnibus venit et in mentem, vtque inexpectatum hoc malum moderatè ferret Ioyoſæus, quod in Eligiana imperanda ſibi intriuerat.

Sternuntur.

Exprobratur Ioyoſ Eligianæ cædes.

Quadringenti, atque eo ampliùs nobiles hac in pugna occiſi, benigniore longè digni fato, quanquam non illuſtriore, cùm pro religionis cauſa occubuerint; inter quos Ioyoſæus ipſe cum Claudio Sanſaluatorio fratre pariter concidit, captus præter Montinium Sanlucius, de quo præclarum id memorari ſolet. Hic cùm accitis Ioyoſæi rebus pereundum ſibi certò intelligeret, ne in hoſtium, ac Condæi præſertim ſibi infenſiſſimi poteſtatem veniret, honeſta hac fraude ſaluti ſuæ conſuluit, Condæum enim eminus loricatum intuitus, ad eum rectà contendit, haſtæque ſuccuſſu petitum ex equo deiecit, quem poſtmodum demiſsè veneratus, eius ſe clementiæ tanquam victoris victus ipſe commiſit, hunc comiter tum acceptum Condæus deinceps inter fidos & cariſsimos habuit. Sic tanta Sanlucij erga Principem humanitas Principis in eundem humanitate penſata. Capti & alij complures. Deſiderata è regijs in vniuerſum duo millia, è Nauarræis pauci admodum nec ita magni nominis viri occiſi. Tradunt ſcriptores debellatos ideo regios eſſe quòd Ioyoſæus nimia pugnandi cupiditate præreptus præcipitantiùs irruiſſet, haud ſatis gnarus cunctationi, quæ Fabio victorias accelerauit, comitem ſæpe fuiſſe felicitatem; Cùmque pertuliſſet rumor Mareſcallum Matignonum magnis itineribus cum auxiliaribus copiis aduenire, hic ne gloriæ, quam vni ſibi totam ambiebat, conſortem haberet, eo non expectato fatale ſibi collectoque nobilium flori certamen iniit. Nauarrus cæſorum hoſtium corpora, ingeſta

Cæſorum numerus.

Ioyoſæus cadit cum fratre.

Sanlucius communi clade eruptus.

Nobile eiusdem ſtratagema.

Quid à Ioyoſæo peccatum.

Nauarrus Caſtrorum hoſtil. loca inuiſit.

statim glebâ contegi iusſit, ſaucijſque in proximas caſas tranſlatis idonea adhiberi voluit curationi fomenta, captiuorum numerum recenſuit, eoſque comiter alloquutus eſt omnes, aduerſam eorum ſortem miſeratus in quam ipſe cum ſuis, cùm homines eſſent, aut acerbiorem etiam cadere potuiſſet; nonnullis turmarum equeſtrium ducibus vexilla reſtituit, Montinio cùm ſignum redderetur, additum elogium eſt, quod ſtrenuè, fortiterque rem geſsiſſet, vinceto promeritus niſi cum hoſte tanto pugnaſſet. De captiuorum pretia æquas ab ſuis ferri conditiones & admitti ſimiliter imperauit, nihil immoderatè & ſuperbè ab eo actum eſt vincere nunquam aſſueto, quin ipſum ſe & victoriam ipſam vincere adniteretur, magnorum Heroum æmulatus clementiam, quæ quod bellica expugnat fortitudo, reſtaurat.

Cum ſuperſtitibus hoſtibus moderatè agit.

Exinde Nauarrus ad curandum corpus proceſsit, prandium illi eodem in hoſpitio paratum erat, cuius in ima cœnatione Ioyoſæi ac fratris eius cadauera erant, quod ferale ſpectaculum intueri non ſuſtinuit, ad quod concurrebant tamen innumeri varijs aut lætitiæ aut mœroris affectibus ducti. In ſuperiore igitur cœnaculo cibum ſumpſit, ne recens gaudium præcipuum partæ victoriæ fructum funeſto hoc mortis ſimulacro corrumperet. Inter Principis epulas exhibita veterum triumphorum ſpecies aliqua eſt, ducti quippe ad eius conſpectum captiui, ſigna certatim à militibus allata, ipſe verò neque ſuam proſtratis improperate inertiam, neque proſpero rerum ſuarum ſucceſſu ſuperbè intumeſcere; æquabilis mens, idemque in eo vultus conſpectus, quem nec in ſulcos mœroris teſtes criſpauit aduerſitas, nec latiùs exporrexit felicitas, ſui ſemper iuris Princeps, nec erectior proſperis, nec proſtratus vnquam aduerſis, ſui ſemper victor, quia nuſquam ſine inuicta animi præſtantia; quod cùm à pleriſque obſeruatum eſſet, tum præſertim ab Antonio Sadeele ſectæ (vti iam diximus) præcone, qui ad circunſtantes conuerſus, felicem eum eſſe Principem pronuntiauit, ad cuius pedes cùm ſtrati forent inimici, menſa captiuis vndique cincta, parietes vexillis hoſtilibus tanquam periſtromatis conueſtiti, in tanto tamen amplisſimæ gloriæ apparatu bellicaque pompa haud ſe geſtienti nimiùm fortunæ permitteret, atque hinc proſpera cuncta tam forti clementique heroi præſagiſſe memoratur, innumeras accumulaturum victorias Principem tantum, inſomnem, impigrum, rei militaris ſcientem, quodque præcipuum eſt in diſpari longè fortuna immotum Ioyoſæi vtriuſque corpora, variis odoramentis condita & capſæ plumbeæ incluſa annuente Nauarro ad Turones transferri curauit Turenius

Prandenti ſpecies exhibetur triumphi.

Laudatur à Sadeele.

Vtriuſque Ioyoſæi funus, ductum.

proxima necessitudine eum iisdem coniunctus, inde verò Lutetiam, vbi celebres Annæo persolutæ sunt exequiæ regiis propemodum pares; qui in fatali hic necessitate præclarum hoc consequutus est, vt magni omnino Excelsique herois dextrâ vinceretur: eiusdem etiam fatum illustre reddidit æquitas causæ pro religionis incolumitate congressi.

Inopino, fatalique hoc casu Gallia consternata est tota, famosumque Curracum redditum, quod vix sine Francicæ nobilitatis strage nosceretur. In communi Catholicorum ferè omnium mœrore Henricus Galliæ Rex omni doloris sensu caruit, in damnis suis haud difficulter conquiescens, quòd nonnullis quos penè gratiâ suâ excluserat, communia forent; nec molestè omnino Nauarri victoriam ferebat, quem sic inclinari cupiebat, vt non attereretur, aut funditus interiret; recurrebat siquidem in Nauarro tametsi hostilia moueret, affinitatis & regii sanguinis prærogatiua, sed in eo denique quanquã à Romana Ecclesia alieno tot emicabant virtutes, vt veterum heroum decora non æquaret modò, sed & facilè superaret; idcirco saluum hunc sospitemque è cruento hoc conflictu rediisse lætanter admodum accepit Henricus Rex, cum eo enim (si quid ei humanitus accidisset) multæ æque regiæ simul interijssent dotes, & præstantissima fortis iuxta ac prouidentis Imperatoris exempla, quæ ad posteros Reges transmitti iure debuerant. Verùm quòd saluus integerque in bellico hoc discrimine steterit, ab altioribus id petendum consiliis; hunc incolumem singulari patrocinio tutatus est Deus, quia nondum Cælo maturum, inhærente adhuc hæresis labe, quæ eum à cælesti beatorum cœtu excluderet: tum etiam quia ex eodem Catholico rite facto, & Gallici regni culmen assequuto, magni prodituri Galliæ Reges erant, qui concessæ sibi à Deo autoritatis gladium contra adultos tum errores & sobolescentes iam nouos exererent, quod immortali cum nominis fama susceptum à posteris eius Regibus, penéque confectum gratulamur. Expeditionis Germanicæ cursum nonnihil Curracensis morata est strages, cuius infelices processus erant, cùm æs militare non procederet.

Maret Gallia.

Rex ob id mæroris expers.

Lætatur verò quòd sospes sit Nauarrus.

Heluetiis, vt acerbior longè accisarum rerum suarum sensus inerat, ita & importuniores audiebantur eorum querelæ, maximè quòd (vti iam innui) sub Galliæ Regis auspicijs contribules pariter militarent Heluetij, contra quos ægrè admodum dimicaturi erant, & si congredi tandem cogerentur, vt segniores & languidiores eorum conatus existerent, effecturus erat cõmunis patriæ longè charissimæ

in singulis residens amor; tum etiam iisdem plurimum dolebat, quod se ab Galliarum Regis amicitia distraxissent, & in eum temere arma cepissent, cum quo arcta iamdiu ab Heluetijs inita erat societas; quanquam postremum id excusare sic consueuerant, vt turpi fraude circunuentos se se esse affirmarent, & idcirco contra Regem ad arma profectos, quòd neutiquam hæc inimica Regi fore turbarum autores confinxerant. Vehementiùs tamen eos perculit insperatus Tillemani tribuni sui interitus febris æstu & alui languentis profluuio de medio sublati, cui cùm parem quem sufficerent, non haberent continuò Regis amicitiam per delectos ab se legatos petierunt; quod cùm Onavvio & Gallis Ducibus contra Regem certantibus innotuisset exercitum illico pinguiorem in agrum transportandum curarunt, vbi Heluetij meliorum aliquantò frugum, & prædarum dulcedine deliniti subitaneum hoc maturandæ defectionis consilium abijcerent, qua tamen in re id accedebat incommodi, vt ægri (quorum ingens inibi copia erat) aut in cespititijs tuguriolis depositi Villaticorum paterent iracundiæ, crudeles ab ijs pœnas ob illata damna repetentium, aut sarcinariis equis impositi, lentiúsque progredientes ponè sequentium agminum iter morarentur, quæ cùm periculosa, tum certè longâ iam viâ defatigatis faméque propemodum enectis permolesta erat cunctatio.

Cadunt animis Germani & Heluetij ære nondum persoluto.

Haud ignota erat Guisio Germanorum inclinatio, nam simul ac certò percrebuit eos ad Ligerim terga vertere, Gallicam hoc pacto aciem instrui iussit, vt inter hostes & Lutetiam Parisiorum medius ipse cum suis collocaretur, probaturus ante nobilissimæ ciuitatis conspectum quàm non inanes hactenus fuissent de se, deque Guisiana fortitudine dissipati rumores, simulque Parisiensium sibi mentes conciliaturus, quòd ingenti hostium equitatui, innumerisque peditum cohortibus vnus ipse quem minimè sperabant, obicem imponere festinaret, ne torrentium more cuncta sursum deorsum vertentium in vniuersam Galliam inundarent; quocirca parùm sibi constantem, an vltrò sese Regi dederet, an verò in Germaniam suam remigraret, extraneum fatigabat exercitum, castris semper in tuto collocatis, ne infesta hostium multitudine opprimeretur, quæ vna formidari poterat. Iam Montargirium hostes aduenerant, quod simul ac Guisio compertum fuit Cortinai tum mensæ asside nti, anceps & dubitabundus nonnihil hæsit, tum haustâ protinus quasi ab insidente sibi Numine fiduciâ æneatorem acciri iubet, mandatque, ce'euma ad insiliendum confestim edat, omnibus autem præfinito horæ vnius non ampliùs spatio, vt ad equestre prælium ineundum

Guisius corã Parisiẽsibus dat fortitudinis suæ specimen.

Subitaneum Guisij certaminis ineũdi consilium à Medıano improbatur.

cum equis & armis sine cunctatione festinent iterũ ac tertiò imperat. Mirari tum Meduanus Dux, blandéque simul sciscitari, quorsum tam repens armorũ, armatorumque apparatus. Annon expugnandi sunt hostes? responsat Guisius: ridere tum effusè Meduanus cui explorata satis erat viriũ vtriusque partis imparitas, & coram omnibus contestari, haud ægrè passurũ se, si semel ludificaretur à fratre. Tum Guisius seueriore indutá personâ, atqui seriùs nunquã, nec magis ex mente loquutus sum. Nullũ crimẽ maiori studio in bello fugiendũ est, quàm consiliorũ leuitas, nulla autem cæpto huic temeritas inest; quare quibus cor ad pugnam non emicat, enimvero in castris hærendum est illis. Vix hæc præfatus erat, cum arreptis armis in equum insilit, eductos celeritate anteiturus ad pugnam, quia præiturus ad gloriam. Neque sanè victoriam desperabat, imo certam fore sibi spondebat perspectâ suorum indole, solitaque in exequendis iussis constantiâ.

Hæc expeditio quanquam periculosa foret, Guisianos tamen inter nemo vnus erat, qui sub tanti Ducis auspiciis hostilem multitudinem pertimesceret, viuidam ei virtutem oppositurus. Quare si quid inter illos oriretur tumultus, tum potissimum is conciri solebat, cùm de insiliendi prærogatiua contenderetur, legionibus singulis primum sibi vendicantibus decus; tamen quia vitio non careat præpropera periculosos in agones festinatio, Meduanus æstimatâ studiosè diligenterque hostium multitudine haud facilè Guisio fratri assentiri poterat, non circunspicientẽ satis in eo prudentiam blande vellicans; quorsum enim bellicæ sorti Germanorum numero haud dubiè suffragaturæ imparem Gallorum exercitum tam obstinatè permittere tantarum copiarum mole, vt virtus abesset, atterendũ; totam stragis illius de Gallis nobilibus edendæ inuidiã vnum subiturũ fore Guisium qui cohortibus suis bellica licet munia ritè obeũtibus imperarit non benè. Quanto fortiores nactus esset & expeditiores ad subeunda belli pericula viros, tanto cautiùs in pericula cõijciẽdos, ne citiùs hæc virtus intereat ad præclara pro Rege, proque religione suscipiẽda conniret s. Guisius de sententia decedendã minimè ratus, assentieris (inquit Meduane, si iis, quæ jam explicare aggredior, non repugnãter autem admoueris: Consilium mihi est, ait, nocte concubiã hostes in præcipuis eorum metationibus improuisò aggredi, segniores enim obseruaui non semel eorum excubias, & grauata cibo vinoque corpora repentinã impressionẽ non ferent, exploratũ autem habeo adfuturũ è stationibus reliquis neminem, qui auxilium præstare queat, tum propter noctis tenebras mentibus etiam ipsis caliginem inducentes, tum quia, cùm de inuadentium numero, in præcipiti terrore constare

Non detrectant pugnã milites sub Duce tanto.

Meduanus repugnat.

Persuadetur tandem.

non poterit, nihil inconsultò tentabunt; at suis quique in castris eâ mente durabunt, vt repellere moliantur hostem, si aduenerit. Præterea Heluetios, quorum præ cæteris formidanda vis est, nihil nobis obstituros certò scio, tum quia fallacem Germanorum fidem summo odio habent, cum nihil adhuc stipendij post iteratas toties sponsiones repræsentarint; tum etiam, vt maximè nocere vellent, haud profectò valerent tanto à nobis spatio dissiti, vt ad ferendas suppetias præstò esse non possint; atque ita vnâ excubitorum occupatâ necnon profligata statione, reliquas Duce Deo, sparso latè per eas terrore fu idem is. Et quanquam sperato fortassis cariturі simus exitu generosum tamen hunc conatum nulla militum nostrorum clade lttemus nam iustum militi nostro supererit tempus, quo in tutum ab germanorum telis locum receptum habeat. Ad hæc Meduanus imp eri quidem tam præclarè meditata posse respondit, sed rem hanc totam maturiùs discutiendam videri. Ego verò, subijcit Guisius, nihil posthac militi præstandum decernam, aut intra quartam horæ partem effectum dabitur quod iam statuo; non tam consulto quàm maturato est opus, animaduertistis præfestinata ferè consilia mea, non tamen cassa & in irritum cecidisse, totius exercitus Imperatorem addecet præcox & viuida, periculorum nihil metuens, sed eorum victrix sapientiâ. His magno ardore prolatis, omnibus idem cum Guisio animus fuit, eademque ingentis alicuius facinoris consummandi voluntas.

Equestris & pedestris Exercitus Ordo, & munia.

Præibat Guisius cum armatis nobilibus triginta, Epirotis sexaginta, Leuis armaturæ equitibus, Bibertitus proximè sequebatur peditatus, aderant & Clussello ductore Ponsenaci & Cheurerij legiones cum Gensis & Burg cohortibus, quibus Sanpaulus præpositus fuerat; peditatum exciprebant equites quingenti cataphracti omnes, quibus Meduanus præerat, atque hæc prior acies erat, quam ponè sequebantur Elleboeuius, & Nemorosius, postremam aciem ducebant Aumalius & Aumalij frater. Hi intempesta nocte, tenebrarum silentio tecti Vimorianam planitiem attigerunt, septenisque ab occasu solis magna celeritate leucis emensis clàm adrepentes è Germanis excubitoribus nullus deprehendit, vsque adeò somno consepulti erant omnes, nullæ vigilum circuitiones conspectæ, adeò cuncta incuriâ disiecta erant. Guisius peditatui anteire gestiens, eum in oppidum ne mussantibus quidem hostibus immissum in idoneis ad insiliendum locis collocauit, equitatu extra oppidum relicto, qui circumagendis vndique gyris Germanos ad primam impressionem terga versuros occideret. His ita compositis signo dato

in hostium contubernia irrumpunt, trucidant incautos; clamor vbique, vulnera, sanguis palam, incenditur oppidum, ac per noctis tenebras collucente latè incendio, tecti latebris deprehenduntur Germani, qui pilarum ignitarum grandine, morte denique vastis corporibus hausta seriùs tandem edocti sunt, non faustis semper auspiciis in Reges ac præsertim Catholicos bellum attentari, potiorem esse bellatorum multitudine vim atque solertiam, numinis denique esse in paucis æque ac pluribus præcipuos majestatis suæ cultores non incolumes tantùm præstare, sed & expugnare sacrilegos. *Intercipiuntur Germani, & necantur.*

Onavvius ex extremo, vbi sedem fixerat, oppido, ne pari cum suis exitio rueret, priusquam Guisianus peditatus adueniret, conscenso protinus equo cum centenis equitibus fugit, arctioreque incquitans via Meduano obuiam factus est, à quo cum lacesseretur ad pugnam, impetum generosè sustinuit; atque vt quantùm animo viribusque polleret, specimen daret aliquod, Guisianorum agmine rupto, suoque fretus equitatu cominus cum duce conflixit, ac sclopeti pilam in speculare galeæ tegmen Meduano intorsit, Exarsit tum in eò vlciscendi libido, arreptumque extemplo gladium Onavvio nudatum distrinxit in caput, hic accepto vulnere per medium hostium agmen omni depulso terrore, ac bacchantis de more pertransiens, turmalem Meduani Ducis signiferum disploso sclopeto necauit, cùmque prima in eum crebris pilarum emissionibus acies detonaret, ille octogenis circiter è comitatu suo necatis, agmen iterum eadem quâ antè fiduciâ cum quatuordecim, qui è strage superstitesferant armatis, traiecit, & Nanthonis castrum incolumis attigit, dum Vimoriensis interea Germanorum continuaretur occisio. Iuuat hìc singularem hanc Onavvij fortitudinem paulò attentiùs inspicere; nec Guisianos, si superstites agerent, suppuderet, cùm vno multos periculosè congressos, cùm si quid pudoris esset, absterfura foret tanti aduersarii virtus, cui necessitas vltimum ac maximum telum fuit, & in eo potuit audacia, quòd auxiliarium ingens numerus præstitisset. Excelsus hic vir cum ea, quam strenuè fortiterque pugnando peperit sibi gloria, heroicum in fronte vulnus accepit, quod inuictæ virtutis signum inspicientibus foret; sed hæc longè illustriora fuissent decora si ab æquitate causæ splendorem traxissent, nisi in Optimum & Christianissimum Regem pro tuenda sectariorum rebellione pugnasset, quæ vna res quidquid altum & nobile ausus aggressusque est Onavvius, aut corrupit omninò, aut magna ex parte labefecit. *Ingens Onavvij fortitudo.*

Penes Guisianos paucorum admodum quisauciatisunt damno,

Victoria stetit, quæ prostratis longè pluribus hostium corporibus aut ferro iugulatis, aut flamma extinctis latissimè inclaruit; Exin bellica ac domestica eorundem supellex sanè locuples capta, nam præter septena vexilla, & sarcinarios camelos binos, quos vniuersi exercitus prætor secum ad ostentationem vehi iusserat, præter pretiosissima quæque eiusdem spolia, bina equorum millia atque eò ampliùs sortitione facta in victores milites distributa, aureæ catenæ complures, militares equorum instructus, vestimenta locuplete textu insignia, argenti monetali notâ inusti magna vis in occisorum sarcinis arcisque comperta, quæ hoc acceptior præda fuit, quò pauciores erant; in quos eam diuidi oportuit. Guisius interea suppetias Meduano fratri laturus accurrit, in eum autem locum insiliit, in quo è dissonis clamoribus maior excitatus erat tumultus. Illic quam de mulctatis Onavvij comitibus voluptatem hauserat, non parum imminuit Meduanorum Equitum iactura, è quibus septenos supra denos (vt referunt) idem belli turbo decusserat. Germanorum ergo castris potitus, ne reliqua hostium contubernia in suam suorumque perniciem excitaret, tum ne vindictæ tempus locusque daretur Heluetiis, receptui cani protinus iussit; ac cum peditatu suo, qui assumptis hostilibus equis in equitatum est versus, priorem in stationem suam, eodem quo excesserat ordine, remigrauit, sed illustriore quàm cùm illinc exierat gloria, quippe noua eaque perillustri mactus adorea, quæ præconum complurium monumentis inserta, Nobilitati, vt ad paria, imò vt ad maiora contendat non leuis est stimulus. Excelsa enim Heroum gesta semina quædam sunt frugis orituræ consimilis. Quot verò hoc in prælio Germanicæ turmæ aut cohortes ceciderint, haud facile est percensere, cùm eorum plures vorax flamma, quàm ferrum absumpserit. Atque hinc colligat lector bellatores egregios peculiari genio quodam ad magna sæpius quanquam periculosa impelli, præfestinatum siquidem Guisij de inuadendis Germanis consilium refutabant Guisiani ferè omnes, huic Meduanus Guisij frater apertè resistebat, numero longè præstabant Germani; intempesta & intempestiua nox aderat, vt sapientum consiliorum adiutrix, ita & eorum exequendorum inimica; & tamen perinde ac maior aliquis (si dicere fas est) Guisium ageret Deus, ad arma iubente tum eo, obstinateque instante conclamatum est; necati incensique hostes, Guisiani ferè omnes illæsi, hostiumque spoliis onusti, Guisius lemniscatis victoriæ Laureis coronatus abscesit; Increpita Onavvij à Proceribus imprudentia, quòd tanto hoc disciplinæ militaris, & excubiarum inertissimarum neglectu Guisianos ad rem perdifficilem & audendam,

Pretiosissima spolia Germanis detracta.

Abscedit Guisius Laureis onustus.

Excelsa consilia à Deo suggeruntur.

Carpitur Onavvij segnities.

audendam, & consummandem prouocasset, nec satis animo prouidisset nunquam tutò despici aduersarios, quorum exiguus numerus robustiore virtute pensatur.

Desperabant ferè superstites Germani lugubri tantæ cladis spectaculo territi; spernebatur, qui tam segniter bellicam rem accurarat Onavvius, ac vehementiore è Catholicis victoribus metu sumpto, terga vertere parabant. Heluetii in primis dedituri se regi, per missos à se legatos eius amicitiam expetebant, qui tandem à Niuernensi Duce ad Regem intromissi morosiùs paulò quàm sperabatur, accepti sunt; obseruata sæpius dum eos affaretur iratæ mentis indicia non obscura, atque id ex composito ab Rege factum tradunt aliqui non negante, sed prolatante gratiam, dum interea Guisianæ repetiio cum Germanorum reliquiis Marte attererentur vires, ac simul Gloria de stratis apud Vimorium hostibus à Guisio parta concideret. Præterea Germanicæ turmæ earumque ductores sarcinis vniuersaque supellectili à victore exercitu spoliati pertinacibus adhuc instabant animis, nec iis in officio cohibendis par quidquam esse poterat, ne autumnales quidem imbres, qui largiùs densiúsque præcipitantes horum non paucos obruerant. Afflictis solatio fuit insperatus Francisci Borbonii Contii Principis aduentus, quem sibi totius exercitus cum summo imperio gubernatorem poposcerant; & quamuis nec multis stipatus bellatoribus accessisset, hostium tamen mentes insolita quadam voluptate compleuit, tum quòd regii sanguinis prærogatiuâ polleret, tum quod Condæo fortissimo dum viueret Principe natus esset, & paternas iam in eo virtutes spirare deprehenderent. Quamobrem adurgente Principis tanti præsentia, erigi nunc alacriùs in Germanis cœpta est quæ tot bellorum cladibus, tot sæuientis cæli procellis virtus labefactata iacuerat. Heluetii quoque qui transfugium toties meditati fuerant, Germanorum precibus & hortamentis deliniti, excusso veterno sub armis adhuc & pellibus durare perseuerarunt, dum certi aliquid de Nauarro afferretur. Incendebat horum spem Curtracensis expeditio, Ioyosæique interitus, Nam si tanta hæc Nauarro bellica permisisset fortuna, haud ab ea deserendum putabant, si tandem Guisium & Guisianos recenti victoria insolescentes inuaderet, nihil quippe in hoste vsque adeò validum, quod Nauarrum à Ligetis transuectione prohiberet, atque ita Germanicis, Nauarræis consociatis viribus atrocius integratum iri prælium augurabantur quo Guisianis debellatis copiis, cæso ad Vimorium exercitui parentarent.

Germanis redit animus ob Principis Contii aduentum.

Atenim arrepta hæc ab hostibus rei gerendæ consilia interuertebat

omnino Rex, qui Vindocinensem in agrum cum exercitu accurrerat, cuius iussu prætexta stationariis hinc inde fuerat fluminis ripa, vt iter hostibus obsepiret. Primam aciem ducebat Espernonius, hostes à tergo premebat Guisius, crebrisque insultibus adoriebatur, dum hi aut metandis castris intenti forent, aut servatis ordinibus incederent, aut aliud quippiam exequi molirentur improuisus tum aderat, leuibus prælijs fatigaturus, quos tamē Cōtii principis præsētia spem vultu simulantis ad grauiora deinceps toleranda stimulabat. Vt autem post tot deuoratas ærumnas, corporum quieti nonnihil indulgeretur, Alnæi substitere Germani, quod amplissimum in Carnutensibus oppidum est, cuius arx præsidiariis à Rege submissis munita erat, vtque se contra adfuturos breui regios communirent, omnes oppidi aditus carrucis catena colligatis, doliis trabibusque inter se arctè commissis sepserant, stationariis ad extremos oppidi vicos, vt ad subita quæque prodirent, dispositis, ac necessariis rebus instructis; cúmque vt extra hostilis teli iactum, ita & extra metum omnem constitutos se esse putarent, à feriis belli laboribus ad voluptaria versi, genium tunc solutiore gentis more, curare cœperunt, pergræcari hilariùs, poscere maioribus poculis, Principibus certatim propinare, denique in omnem se genialem amœnitatem effundere.

Germanæ copiæ Alnæi consistunt.

Mollitie franguntur.

Atque hæc circa Martinalia, qui dies in huiusmodi laxamentis plerumque consumi solent, eoque in loco gesta sunt, vbi mollissima est Gallia, & vini frugumque copia longè vberior, quibus irritamentis non Germanorum tantùm, sed & Romanorum ipsorum non semel robur elanguit.

Hæc prandebant, aut certè cœnabant Germani, dum iisdem Guisius laute habitis bellaria, quæ esse nollent, condiri iuberet; cùm enim deliciis emollitos ad Martis opera imparatiores fore censeret, Vinisium clam ad arcis præfectum delegat, oneratumque promissis etiam atque etiam rogat, viam vt sibi per arcis intima commodet, per quam tutò in epulatos largiùs hostes subitaneus irrumpat. Hic tergiuersatus est primùm Vinisius, fidem Villaticis datam obtendens nullius intra castri septa intromittendi, asseruari quippe inibi viciniæ supellectilem totam, quæ, si militibus aditus detur, ab eorum auaritia & militari prædandi libidine tuta esse non possit; in id autem facilè descensurum se addidit, vt ad mœnium latus Guisius cum armatis per angustum aggerem incederet inter procurrens oblique propugnaculum & stagnantis lacus crepidinem iactum. At cùm instantiùs semper postularet Guisius, ne commodus in arcem ipsam negaretur receptus, id tandem præsenti pecuniâ extorsit, atque ita vn-

decimo Decembris inclinata iam luce è castris egressus post mediam noctem, Alnæum cum centenis catapultariis attigit; peditatum, cui Sãpaulus Chiliarchus præerat, aggeris oram legere; & ad inuadendũ oppidum castrensiaque hostium munimenta paratum esse mandauit, lacum interea totum equitatus circumierat & ne dilaberentur hostes, tripartitò diuisus opportuna effugio loca insederat. Appetebat iam proximè lux, quàm Germani buccinatores per castra enunciabant, cùm Guisij peditatus in hostium vallum festinatò bacchantium in morem irruit, & quanquam altissimo somno vinoque consepulti forent hostium plerique, non segniter tamen Guisianorum impetum retuderunt. Ancipiti primùm dimicatum est marte, sed incalescentibus Guisianorum animis redintegrato post paulò certamine inclinata est Germanorum acies: in eos enim dissipatis incensisque curribus, diffractisque catenatis obicibus reliquis plusquam militari furore fæuitum est; cæsi momento complures, alij terga vertentes in in ipso è portis exitu comprehensi iaculantibus circùm catapultarijs nonnulli scalis ad mœnia admotis, dum effugiumm olirentur interfecti aut in vincula dati.

Guisius hostes aggreditur.

Caduntur Germani.

Onavvio fortunatior longè fuga, quàm pugna fuit; is enim superato commodùm muro, per palustria loca & angustiores difficilesque vias ad Heluetiorum tandem castra deuenit. Triste sanè ac lugubre spectaculum in Germanis exhibitum, maxmè cùm horrendi morientium audirentur clamores, cùm vasta hæc confoderentur corpora, atque eo majores infligerentur plagæ, quo patentiora gladio forent. Dum atrox hæc carnificina ederetur, ad Heluetiorum stationem perrexit Onavvius, quo conuenerant pariter alij militiæ præfecti, Galli maximè Caluiniani; illic Heluetios per ea quæ carissima haberent obtestatus est, vt quò ipse pergere decreuisset, subsequi ne grauarentur; non dubiam at certam victoriam pollicitus, si postulatis annuerent, Guisianos enim facilè intercipi debellarique posse sperabat, in lanienam, prædamque effusos, diuturnisque laboribus fractos, cum integri & curatis corporibus validi forent Heluetij; verùm imparatos adeò & ad audendum inertes comperit, vt omnem insequendi deinceps hostis cogitationem abjecerit. Et certè temerè periculoseque fecisset Onavvius si Guisianos id temporis inuasisset (vti Protestantes affirmant) nam peditatus Catholicus tutam sibi contra hostiles insultus sedem in arce fixerat; equitatus verò è læta, & feriata diu nobilitare collectus hac illac volitabat, si qui forte fugam arriperent, intercepturus. Cùm Germanicâ strage satiati prædáque cumulatiore aucti fuissent milites,

Guisius partam victoriam Deo refert. Stampas rectà profectus est Guisius, vbi nihil sibi de tam illustri parta victoria vendicans, quidquid laudis hinc excerpserat, totum id in præpotentem exercituum Ducem generosè refudit, cui æquè in paucis ac in multis vincere expeditum sit; & diuina certè destinatione factum est, vt magna hæc Germanici exercitus moles vniuersam concussura Galliam, vrbes exinanitura, sacra omnia direptura, religionem auitam exturbatura à paucis Guisianorum manipulis attrita proculcataque fuerit. Vicit ea pars quæ vinci armorum iure debuerat, ni humana consilia timida sæpiùs & incerta, altioribus, quanquam occultis, firmaret Deus consiliis. *Et Regi.* Egit itaque Guisius Victori Deo meritas grates, tum Regi, cuius tam prosperè pugnatum erat auspiciis victoriæ felicitatem & laudem secundùm Deum iure adscripsit, Equestria ad eum signa de hostibus capta asportari curauit, admonens victoriam hanc esse longè præteritarum nobilissimam, quippe victoris Catholicorum exercitus cruore vix tinctam, densatis verò Germanorum cædibus cruentatam.

Rex quanquam insignis huius victoriæ compos, nullum exultantis animi motum prodidit, quod Guisianum fere totum hoc opus esset; vt tamen quod hactenus feliciter admodum processerat, optatos ad exitus perduceretur, Rex bellicum cum Guisio partitus est studium, Germanorumque reliquias Espernonio præmisso acriter oppugnare statuit, quod improsperè ab eo gestum, dum enim hostes in infessis ab ijs vallatisque contuberniis aggrederetur, impetum facilè propulsarunt; fauit ijs plurimùm coacta vis, atque eò vehementiùs efferuescens, quò exploratius erat, nihil ipsis reliquum esse præter corpora diuturnos iam martis labores perpessa: mitiùs itaque agendum Espernonius censuit; & quia (continuus quippe Regis erat) introspectis Regis arcanis, pronum hunc ad iungendam cum Heluetiis amicitiam nouerat, cœpit cum illis de ineunda societate colloqui, Cormonsio in sequestrum delecto, nobili quidem viro, sed Hæretico. Heluetiorum id temporis luctuosa sanè sors erat, vix constabant sibi immania hæc corpora diuturnis laboribus & excubiis fracta; abiecti præter gentis consuetudinem animi, quodque acriùs longè pungebat, postulata sæpiùs, magnóque à se coëmpta, differebantur in dies stipendia, ingens omnium labor antecesserat, nullus operæ fructus subsequutus; eorundem etiam animos perculerat Reytrorum, seu Germanorum equitum clades penè innumera, tum infortunata Ductoris sui auspicia; nec prosperum quid emanare *Heluetij dedūt se Regi.*

posse putabant ab duce militaris scientiæ rudi, omnique autoritate deiecto, atque vt collectæ simul Protestantium vires in hostem exererentur; irritos tamen conatus fore putabant, si efferatos bellantium, cæcoque marte ruentium æstus non duceret regeretque prudentia, quamobrem Henrico Regi prompta omnes obsequia polliciti dedidere se tandem, grauiter aduersus quoslibet Gallici regni hostes congressuri.

Rex Heluetios perhumaniter accepit omnes, splendidéque apud Espernonium epulatos dato liberè ad suos remigrandi syngrapho ab se dimisit, è quibus pauci admodum patrios attigere lares, ferro morbisque per castra grassantibus absumpti. Germanorum Equitum reliquiis nihil admodum benigniùs factum. Hi Heluetiorum ope destituti, cum ducibus reditum in Germaniam per Burgundiam maturantes à Meduano Duce, Mandeloto, Turnonio Comite, Guisioque repressi, oppressique sunt; Equites & equi iuxtà debilitati; fatiscentes, palatique hac illac milites fame propè enecti, sarcinæ à victore abductæ, continuatæ diutiùs excubiæ, fœdum imbribus Cœlum, lutulentæ per Burgundiam viæ, cibi potusque cùm suppeteret, intemperantior vsus, & aliæ huiusmodi è protracto diutius bello emergentes pestes, sic porrò Germanos attriuerant, vt victoribus ipsis lugubris oppidò videretur hæc species, dignæque miserorum lacrymæ forent, quibus ab Regiis venia aliqua fieret. Tam deplorando rerum suarum statu hostes attoniti annitente Cormonsio (cuius suprà meminimus) tutum id vnum sibi fore putabant, si læsam ab se Regis clementiam supplicibus votis implorarent: & securam iis abeundi tesseram appromittebat Rex, dum complicatis supplicum more signis solenni se iureiurando obstringerent, nusquam arma se contra Galliam arrepturos. Verum Contius Princeps, Bullionius Dux, Castilionæus, Gallique Duces alii, hoc enim verò turpe Germanorũ nationi fore asseuerarent, si ad imperatã hanc conditionẽ sordidè se se & impudenter abiicerent; non vsque adeo inclinatã Germanorum rem esse, vt in ipso victoris conspectu cõcidere animis debeant, vires quæ obtenduntur à Catholicis haud huiusmodi esse; eas vt alia nulla vis eluctari possit; Germanis satis virium fore si animorum abundè sit, præhabendam turpi deditioni mortis honestatem, cum decore occumbere qui hostilibus armis confixi intereunt; dilabi per vulnera quasi per triumphales portas heroum animas. Hæc incassum iactabantur, perseuerabat enim idem omnibus dedendi se clementiæ regis animus, quam vt condigniùs milites emererentur, illos ipsos hortatores intempestiuos attinere decreuerant

Germanorũ patriam repetentium status lugubris.

Mortis honestas turpi deditioni anteponenda.

Regique obsides dare, ni agnitum hi periculum festinatâ fugâ ante uertissent. Dux Bullioni desperata re per varios casusrerumque discrimina Geneuam æger profugit, vbi post paulò augescente militaribus tædiis morbo extinctus est, Carola Marchia sorore per testamentarias tabulas hærede relicta. Onavvius in Germaniam suam re infeliciter gesta rem grauit, fatales Prrincipibus Protestantibus nuntios allaturus. Castillionæus cum suis, & aliquot è nobilitate aggregatis sibi sociis, Viuariensem in agrum, quæ tradita sibi fuerat præfectura, iter intendit: Contius Princeps per occulta viarum diuortia, ad suos tandem incolumis rediit.

Germani ad suos redeuntes miserè pereunt.

Germani equites acceptâ ab Rege quacunque luberet transeundi securitate, per Allobrogum & Burgundionum tractus profecti à Sabaudi Ducis prætorianis, & Marchione Pontio necantur ferè omnes. Flebile sanè & lamentabile victoribus ipsis Spectaculum fuit stratam cadaueribus humum contueri, exanguia quæ supererant Corpora febris æstibus & dysenterico morbo crudeliter affecta, ad rusticana vsque mapalia ægrè perreptare, Villaticis furore percitis confodiendum iugulum dare; & quoniam stragem illam cohorrescente penè stylo, manuque describo, nouum addam muliebris crudelitatis facinus, quod agrestem barbarorum ipsorum feritatem eleuet. In cespititiâ apud Burgundiones casâ octodecim è căpestri morbo decumbebant Germani; si pœnam cŏmeriti erant aliquam, satis ipsâ quæ viscera torquebat & adurebat morbi naturâ mulctati. Accessit ad tuguriolum fœmina, humani admodũ nihil præ se ferens ne formam quidem, quam in horrendos Gorgonum aut lamiarum ritus efferauerat, contra languentes hos ac penè depositos homines, imò veriùs hominum vmbras ihuolat crudelis hæc Megæra, & cultello è vagina deprompto iugulat ad vnum omnes, litatque ferociter iracundiæ aut vindictæ muliebri, illata sibi ab exercitu damna immani hac laniena resarciens.

Fœmina, seu furiæ potiùs immanitas.

Haud absimilis Heluetiorum manipulum fortuna percussit dim ad terna millia Delphinatum versus, Lesdiguerij copias aucturi perfugerent, qui sectariorum inibi rem præ militum inopiâ inclinatam sustentabat, leuibus præliis, nulla, vel exigua certè victoria nobilitandis intentus. Igitur Heluetij quadringentis freti catapultariis per abrupta incedentes, dum Isaram transmitterent, à Valeta Espernonii Ducis fratre,necnon Salyorum equitatu, & Delphinatium cohortibus post repentinam furibundamque aggresionem magna ex parte cæduntur,haud amplius sexagenis è communi clade exemptis. Atque hic Germanici exercitus à protestătibus missi exitus fuit; non auxiliorum tamen finis quæ Galliæ peculiari nomine

Necantur Heluetij.

suæ, per se Cœlestesque suos præstitit, æterna bonitas, maioribus hanc donis beneficiisque aduersus eosdem fidei hostes cumulatura. Innumeri propemodum hostes infinitis stragibus debacchaturi, Regem è solio deiecturi, agrorum vastitatem, vrbium euersionem, populorum interneciorem molituri, quodque luctuosius est, religionem ipsam extincturi aduenerant, quorum inanes fuere spes, corrupta consilia, nefarii conatus repressi, nihil in Gallia memorabile reliquerunt præter immania corpora ferales aggesta in cumulos, quibus hic addi iure poterat titulus. *Inuictæ Gallorum virtuti trophæa* victi prostratique corporum suorum aceruo erexere Germani; sic perire commeriti, quia pessimæ causæ propugnatores; perduellionis suffragatores; exitiabiles religionis inimici.

Trophæum erectum fortitudini Gallicæ.

Rex dissipatis Protestantium copiis, excussoque Galliæ metu Lutetiam Parisiorum specie triumphantis ingreditur; biduo ante incarnati Verbi natalem; à Regina parente, quæ obuiam ei processerat, ab vxore item Regina, ac magistratu vrbis insolitâ magnificentiâ, summáque omnium gratulatione exceptus est; sed Guisio altiùs longè acclamatum, & applausum Hilarius, à Parisiensibus præsertim, qui illustriores ad Regis fastidium, Guisio eidem aptabant titulos. Hic enim vnus in ore populi, in sinu Cleri, in oculis Nobilitatis præsens aderat, vir manu strenuus, consilij prudens, acer, industrius, militiæ summus, Hercules denique Gallicus prædicabatur, qui tot monstris, quot hostibus Galliam repurgasset; quæ præconia intemperantiùs eum forte prolata, ab liuidis ægrè audiebantur, non ferentibus virtutem tantam tantis laudum ornamentis insignitam. Imò & eidem obstrepentibus. Nulla quippe est adeò spectata virtus, cui non liuidorum lingua insultet.

Rex triumphantiũ more Lutetiam ingreditur.

Aggeruntur laudes Guisio.

Mærent liuidi.

Sequitur annus millesimus quingentesimus octogesimus octauus, quem Ioannes Regiomontanus astrorum cognitionis peritus, natione Germanus mirabilem fore prædixerat, quod & idem asseruit Stoflerus Sueuus, sed qua tandem in regione mirabile factum aliquod euenerit, haud mihi compertum est satis, extra Galliæ fines vix stylum aut calamum efferenti; quam funestissimis etiam attritam casibus legentium oculis defixurus sum. Et sanè post Germanicum fusum, aut profligatum exercitum, hilarioribus mentem studiis intendere debuissent omnes, sacra quodammodo canere, publicæ ac reparatæ saluti certatim gratulari; sed obstitit fatale Galliæ tempus, & collecta ex aggestis Guisio laudibus inuidia, quem Romanæ patronum Ecclesiæ Ordo sacer; Vigilantissimum & fortissimum Ducem nobilitas, coæquandum veteribus Heroem populus festiuis acclamationibus

Annus mirabilis.

E laudibus Guisio datis inuidia, ex inuidia ortæ ciuiles discordiæ.

Honoris varii tituli Guisio adscripti.

prædicabat. Sacri item Diuini Verbi præcones dum majores ei accumularent titulos, maiorem etiam augebant inuidiam; cum testamenti arcam in Philistæorum potestatem haud dubiè venturam fuisse indubitanter assererent, absque defensore, & assertore Guisio; dum erutum id sacris è codicibus læto tripudio ingeminarent, à Saüle, mille, à Dauide verò dena hostium millia debellata; alterum verò Dauidem Guisium esse addicti Deo Gregis propugnatorem strenuum. Hæc licet populatis erga religionem studii argumenta non dubia forent, haud prudenter tamen satis vt è scriptoribus constat, facere videbantur: ex hoc enim sequebatur Maiestatis imminutio, quod nemo bonus probauerit, quasi verò magnorum conatuum factorumque gloria Regi decernenda non sit, aut plus ad victoriam conferant Prudentia Ducum & militum robur, quam regum, quorum sub signis certatur, auspicia. Hæc continuandi ciuilis belli augendique semina, aut periculosioris excitandæ in Gallia flammæ spargebantur vndique fomites, quæ omnia Hugonotis altiùs se se efferendi spem dabant non exiguam, dum mutuis inter se odiis certarent Romanæ religionis cultores.

Nauarrus quanquam recenti Curtracensis adhuc victoriæ gloriâ perfrueretur, veritus tamen, ne postremus belli turbo à Germanis in Caluinianos Gallos resiliret, Rupellam, quam fidam stationem sibi delegerat, magnis itineribus adiit, alii aliò sectæ proceres tutandi sui causa profecti sunt, quietè præstolaturi, dum se se minax adhuc hic turbo remitteret, cùm interea Nancæum cum fœderatis aliquot Guisius venit vbi instituto cum Carolo Lotharingiæ Duce ac fœderatis colloquio, de prosequendis ocyùs rectè cœptis consilium captum: in commune autem decretum est, vt certa quædam præscriberentur capita quæ Regi offerrent, rogarentque ne æquissimis postulatis regias aures obstrueret. Hæc autem ferè erant; vt apertiùs se, ac fine tergiuersatione fœderatorum partibus tradens, seriò & non simulatè in exitium sectæ incumberet; vt eos aulâ exigeret, qui publicè infames haberentur; vt à locorum præfecturis, muneribusque publicis suspectos amoueret, Tridentinum Consilium in regno promulgandum curaret, eius executione ad tempus aliquod suspensâ in iis quæ ad priuilegia Gallicanæ spectarent Ecclesiæ, sanctæ inquisitionis officium in primariis regni ciuitatibus stabiliret, quod optimum ad extirpandas hæreseon fibras remedium fore videbatur, cum instituta variis in locis forent Sacrorum Quæsitorum magno cum religionis processu tribunalia. Postulatum insuper est, vt Ordini sacro bona sua superioribus bellis distracta, aut quacunque de causa imposterum distrahenda

Fœderati, quæ postulariat à Rege.

distrahenda redimere liceret, quin & vt iidem ad hæc redimenda cogerentur, vt loca munita quædam in fœderatorum ducum manus traderentur, quæ nouis ipsi constructis arcibus firmarent validiùs addito præsidio, ciuitatum ipsarum sumptibus, aut imperatis vicinæ regioni vectigalibus sustentando, præterea, in Lotharingiæ limitibus ad auertendam deinceps Germanorum irruptionem necessarius præsidiariorum numerus excubias ageret, regiis alendus impensis, quod vt commodiùs Rex posset, malè parta hæreticorum bona in bellorum sumptus contra hæreticos ipsos gerendorum impenderet.

Has fœderatorum petitiones quanquam improbaret maximè Rex, grata tamen in speciem mente accepit; nempe prudenter ei dissimulandum erat, vt securè regnaret: & sanè nutus eius omnes, quin & superfusus ori color à coniectoribus curiosius obseruabatur, an videlicet ea frontis serenitas esset quæ blandum aliquid & iucundum appromitteret; Composito itaque in præsentis temporis necessitatem vultu, legatos comiter affatus est Rex, oblatum sibi libellum in manus sumpsit omnibusque facturum se satis, prolixè spopondit; at quod facere distulit, postremum neglexit Guisio præ cæteris id indignè ferente, Regemque importunè vrgente vt postulatis annueret. Hæc & pleraque alia, ab Historicis tradita subsequutus est inopinatus Henrici Borbonii Principis Condæi obitus Engeriaci Santonum die quinta Martii veneno extincti; cuius hæc indicia fuisse memorant, quod siti exardescens, euerso stomacho in vomitum effusus animam dirissimos inter cruciatus, ac nunquam intermittentes egerit; tum quòd inciso corpore, ventris ima liuida apparuerint & exusta, extra saniē fluentia, terebratum os stomachi, vitalia denique omnia crosa, virus affirmantibus, reique fidem publico testimonio facientibus medicis. In necis autores anquiri cœptum, comprehensus Ioannes Ancelnius Brillaudius olim in Senatu Burdigalensi causarum actor, præcipuæ in Condæana familia autoritatis; is quod binis Condæi domesticis parricidii suspectis necessaria ad fugam subministrasset, damnatus est capitis; mori se promeritum asserens, tametsi huic affinem se culpæ pernegaret, ac emotæ mentis simulatione sententiam eludere conaretur à quatuor equis in diuersa tendentibus discerptus est. Carlota Catharina Tremolia Condæi vxor Calendis Septembribus filium peperit, cui paternum Henrici nomen est datum; faustis autem auspiciis principem hunc editum, intellectum ex eo maximè est, quod eodem, quo natus die, auditum tonitru sereno cælo fuerit, lætæque per aërem coruscationes effulserint, quasi ridente & tam felici partui applaudente cælo qui periclitanti de religione Galliæ opportu-

Condæi dirī obit.

In necis autores inquiritur.

Ancelinus morte mulctatur.

Natus Condæo Henricus filius lætis auspiciis par virtute Patri, religione dispar.


Condæi virtutes. nam esset opem allaturus, quod & grauiter præstitit tam religione dispar Henrico parenti quam fortitudine, prudentiâ cæterisque virtutibus similis fuit. Sic ergo præfestinatus fuit Condæi Principis exitus, in quo humanitas cum animi magnitudine, constantia cum comitate, facundia cum grauitate certarunt: vna defuit religio Ministrorum dolis in eo extincta, quos importuniùs oblatrantes pessimosque consultores pertinaciùs audiit. Aduersata est eidem fortuna cuius ille iactationes omnes immota mente pertulit, vbique Principem implens, sui victor, cùm vinceretur ab aliis, breui vitæ huius vsura perfruitus, cùm annum quintum supra trigesimum non excesserit, satis tamen hæc longa putata, quippe præclaris facinoribus inclyta, longior tamen & splendidior longè futura, eam si totam in edendis Christianæ sanctitatis facinoribus collocasset; sed cum perfectum quid sit Sanctitas, cum heterodoxorum errore non iungitur. Reliqua in magno principe nonnisi eximia, maximum autem in eo, quòd maiorem se filium procrearit.

Nauarrus Cõdæi mortem luget. Condæi mortem Nauarrus ægre admodum tulit, hunc enim fratris semper loco habuerat; vehementis in eum amoris indicia lacrymæ fuerunt, quas vbertim profudit; fortitudinem & constantiam cæterasque quæ in eo eluxerant dotes miris laudibus extulit, dextro orbatum se brachio non fictè prædicans, dum tanta sibi prærepta virtus esset, quam hostium armis deinceps opponeret. Engeriaci Santonum ad ferale spectaculum vberius etiam lacrymatus est, collacrymari pariter amici iuxtà ac inimici: Gassias ipse iustos emollitus in fletus, in hoste virtutes nulli, nulliusque hostes & aduersarias collaudauit; tum suprema quæque humanum etiam culmen prætervecta humanis tamen casibus subiacere visus est queri. E fœderatis tamen

Gaudẽt Parisienses. nonnulli, funestum Condæi casum tanquam concessum è Cœlo munus acceperunt hilariùs, quasi fusis ad Deum precibus illud emeruissent; quod benè verteret festis gratulationibus passim acclamantes, paulatim hæreticæ prauitatis patronos inopina morte præcipi, ex horum necibus Catholicæ religionis vires vitamque propagari. Atenim non lætanter, id accipi debuit; quod enim in Principe circa religionem distortum erat, emendari poterat, atque vt cum Catholicis sentiret tot Catholicorum regum ac Principum nepos, impetrari à Regum omnium Rege Deo haud difficulter poterat, piorum id vota largiter benigneque concessuro, si piorum tandem in id vota

Quid intersit inter Principum & aliorum fata? collimassent. Inter Principum & priuatorum fata multùm sanè interest, pauci enim cum priuatis intereunt, cum principibus multi, quia beneficio Principum viuunt. Deinde Regij sanguinis decus vt

tolerabiliora eorum vitia, ita & angustiores eorum virtutes, & flebiliores mortes efficit. Tanti Principis obitum num inter prospera Rex an aduersa censuerit haud exploratum est satis; Inter vrbanas turbas quasi tuta forent omnia otio suo intentus agebat; verùm hæc ne diu starent otia, fœderatorum nonnullorum factio prohibuit, quæ si ia ab Rege toties & impunè violato, non frustra metuens, egessit quæ obliuioni tradere, quàm literarum monumentis mandare tutius consultiusque arbitror, maximè cùm ad hæresis oppugnandæ historiam, qui vnus mihi propositus est scopus, nihil aut perparum pertinere videantur. Ea etiam prætereibo, quæ de mutua Regem inter & Guisium diffidentia mutuisque eorum offensionibus fusè tractantur ab historicis, nihil addam de incredibili Guisii in Religionis, fœderatorumque rebus promouendis studio saluâ Regis autoritate, quam intactam illibatamque voluisse se testatus est semper, etiam inter multiplices Parisiensium plausus, à quibus acceptus est tanquam è pacis & Romanæ Religionis assertoribus vnus, de amissa quoque, ac recuperata postmodum à Guisio Regis gratia dicere prætermittam, quod vt ille beneficium iusto pensaret obsequio, externos omnes, qui Lutetiam Parisiorum ad veteres alendas, continuandasque rixas commigrarant, ex vrbe, quia sic fieri iusserat Rex, protinus exterminaturum se spopondit, & confestim abegisset haud dubiè, ni contumax nimiùm populus iustis eius imperiis obstitisset.



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB EODEM HENRICO III. REGE.

LIBER DECIMVS.

***Ab Anno Christi* 1588. *ad Annum* 1589.**



LVTETIAM magno numero commigrarant exteranei, & quia metus inde non leuis erat, & periculum ingens; ad eos tota ciuitate exturbandos Villoclarus & toparcha Doüs cum prætorianis cohortibus ab Rege missis aduenerant; obstitere Parisienses, qui clam alienigenas huiusmodi priuatis in ædibus confouebant, ideoque exire prohibebant, ne fidos rerum suarum adiutores abigerent. Spei ergo irriti qui ab Rege ad purgandam vrbem aduenerant, reque omnino infectâ *Fœderati extraneos in vrbe retinēt.*

Rex vltionē meditatur. in Luparam remigrant, quod adeò impotenter Rex tulit, vt exutâ indulgentiore personâ, se iterum se confestim iniuriarum vltorem præbuerit ferroque protinus in peruicaces districto per Bironum Equitum tribunum quaterna Heluetiorum millia, prætoriasque cohortes in vrbem immitti, aulicos verò ac delectum nobilitatis florem cum stationariis custodibus Luparæ in arce ad subitaneos, qui timebantur, motus excubare mandarit. Id cùm fœderatis exploratum *Fœderati vim repellere parant.* esset, enimverò impigrè contentisque viribus agendum esse censuerunt, destinatas sibi cædes rati, nisi vim; hostilesque conatus repellere maturarent; atque vt concitatam plebem ad arripienda citiùs arma compellerent, sparsis per vrbem libellis vicenos suprà centum Catholicos à Rege proscriptos vulgarunt, sic interitura miserandum in modum fidei fœderatorumque columina; Guisium ipsum, Nullyum & Magistrum Præsides, Curiones amplissimæ ciuitatis omnes, *Parisiensiū metus.* aliosque aut Euangelii sacri præcones, aut magnæ autoritatis viros populo caros, populi que amantissimos vltimum ad supplicium designatos. Quid Catholico futurum grege; Si in pastorum vsque lanienam sæuitura essent odia, si mutæ deinceps conticescere cogerentur Concionatorum exedræ, si Sacerdotibus fœdè contrucidatis sacra nullibi peragerentur Mysteria.

Hæc non tam vera, quàm simulata, veri tamen robur aliquod *A vi tamen abstinetur.* obtinentia magnos in plebe animorum motus efficiebant, à vi tamen abstinebatur præoccupatis metu partis vtriusque militibus, & ad imminentia vtrinque pericula intentis, donec duodecimo Martii albescente nondum die militares tubicines nec non Heluetii tympanistæ *Dispositi per varia vrbis loca Heluetii.* auditi, visique cum illis armati per sancti Honorati portam in vrbem intromitti circùm equitante Birono, quem catapultario incenso funiculo Gallicæ proximè subsequebantur cohortes. His obuiam Rex in equo progressus blandè primùm salutatis seuere inhibuit interitatâ etiam capitis pœnâ; ne quid per militarem licentiam contra Parisienses attentarent, idque frequentiùs monuit, vt si quid turbarum existeret, omnem à se propulsaret inuidiam; tum vrbanæ militiæ præfectos, fidosque sibi magistratus ad subita paratos esse præcepit; Bironus cum nongentis Heluetiis sancti Innocentii cœmeterium insedit, reliquos iuxta macellum & castri minoris fornicem excubare iussis. Franciscus Doüs sancti Michaelis pontem occupauit, Ludouicus Bertonus Grillonius prætorianæ legionis præfectus *Fœderati ad portam Mauberti cōsidēt.* ad Mauberti plateam procedere iussus, obuios regionis illius fœderatos habuit, obsistere sibi paratos, quibus cum vim facere destinasset interrito vir animo, abstinuit regii memor imperii plurimùm in-

tereà non sine fremitu querens, & intempestiuis Regis imperiis regi ipsius causam prodi ac pessum ire proclamans, ingentisque cæcum eorum qui à consiliis Regi tum erant imprudentiam: nam si vrbanæ plateæ regiis erant armis occupandæ, Maubertina certè præ reliquis, quippe in ea vrbis regione posita, ad quam præcipuæ fœderatorum vires coire facile poterant, quamque postmodum occuparunt, inde factum ciuili bello initium, cùm illinc fœderati sese in cæteras vrbis regiones infunderent. Luctuosa sub Principis Galliæ ciuitatis facies erat, metuebant iuxta ac metuebantur summi, infimique: ingens militaria etiam inter celeumata pauor; claudebantur tabernæ mercatoriæ; coniurati contra politicos, politici aduersus coniuratos atrox prælium inituri congrediendi signum expectiebantur & tempus; tum catenæ per vias tendi, dolia & plaustra ad obstruendos platearum aditus admoueri, saxa in ædium fenestras quæ sublectos vicos despicerent asportari; omnia denique ad funestum regiorum cladem, quos politicos appellabant, comparari cœpta; sic per transuersos longurios, & doliates impedita vrbs aggeres duodecimæ Maij diei nomen fecit; hæc enim doliaris nuncupata est dies, non genialis tamen, quandoquam à doliis appellata, quippe mero vacuis, congesto verò cespite & inculcatâ intus arenâ saburratis.

Luctuosa vrbis facies.

Politici [illegible]

Doliaris dies.

Hæc Villoclarum vrbis Præfectum & Medicæam Reginam matrem terruere non nihil; quare Regem eò compellere satagebant, vt per vrbis compita cum prætorianis cohortibus obequitando daret se plebi contuendum, sic nempe remissuros turbulentiores efferati populi motus: haud sanè temere cum sole astrorum principe Reges à multis componi: vibrari siquidem eorum ex oculis, insitaque vultui maiestate radios, qui cæcas factionum nubes procellasque discutiant, quot oculorum obtutus in vagantium hac illac ciuium greges Rex conijceret, tot eorundem mentibus spicula defixurum, quibus humaniter, & absque cruore sauciati ad obsequium abiectis armis redirent. Verùm ad id adduci Rex minimè potuit, vt furentis populi temeritati maiestatem exponeret, cùm nulla contra insanientem populum tuta satis videatur autoritas, non capiunt imperantis Regis mandata quos belli ciuilis æstus inflammat; Rex ergo cautiùs agendum ratus placandi populi curam Aumontio & Birono delegauit, quod dum ipsi munus obire satagunt, variisque plebem hortamentis ad officium reuocare nituntur, ne verbo quidem dignati repentinâ saxorum hac illac emissorum grandine, intortisque catapultarum glandibus quasi intempestiui pacis sequestri repelluntur; quamobrem in Lupara, ne qua vis ab hoste ingrueret, armis commeatuque instruenda

Rex abstinet publico.

Aumontius & Bironus saxis à plebe repulsi.

præcipuus impensus est labor, cuius ad arcis præsidiũ quingenti saltem primariæ nobilitate fidas polliciti sunt ac diligentiores excubias. Continuò truces barbaræque vrbe tota perstrepebant voces, non parcendum ferro diutiùs & intempestiuè feriato. In Innocentium cæmeterio (pessimum omen) ad cædem destinata est Heluetiorum legio, vt in eodem, quo vigiles excubabant loco, diuturnum mortis somnum conciperent. Primo eoque atrociore impetu necati sex supra triginta, reliqui qui sponte dedidere se spoliati ac in vincula dati. Cohortibus Gallicis mitiùs aliquantò factum est, seu castelli minoris stationariis; hi omnes catapultarium funem extinguere iussi victorum diu expectarunt arbitria, dum certi aliquid sanciretur in illos.

Heluetij necantur.

Hæc & plura huiusmodi quæ vsque ad Henrici Regis necem florentissimum Galliæ regnum diuexarunt signare stylo vix sustinet manus, ne turbulentissimorum temporum memoriam refricem; consultius foret perpetuâ hæc obliuione delere, ni partium esset Historici non missa facere omnia, præsertim hæc si carptim proferantur, & rerum gestarum atrocitatem imperata molliat breuitas. Iuuat etiam veteris æui discordias, ciuiles motus, partes, factionesque non omnino silentio premere, quò iucundiùs emicet serenum nostrum cum turbulentorum temporum nubilo comparatum. Eiusdem ætatis esse perhibent scriptores aliqui visenda miracula edere, & monstra detestanda; Vix quidquam in Gallia tum editum, quod sui admirabilitatem gigneret, contra verò monstrosa ferè omnia, ideoque non immeritò execranda prodierunt. Flagrabat vbique ciuile bellum, turbabantur prouinciæ, deficiebant ab Rege ciuitates, conseruandæ priscæ religionis obtentu, cùm priuata multi commoda specioso hoc titulo conuelata tuerentur, aut in maius attollerent; nec enim dubium est quin aut propter luendarum pœnarum metum, aut implicationem rei familiaris, aut insitum animi furorem repentinos motus illos, regnique totius euersionem molirentur: audebant plerique reum custoditæ segniùs religionis Regem ipsumperagere, iniquè sanè cùm quod is maximè optaret, id exequi minimè posset, flaccescente in dies eius autoritate, quam hostes quotidie imminutum ibant; Et concidisse planè videbatur majestas, dum quæ Rex edicta conscriberet, tolerare plerisque pro piaculo haberetur, dum quæ tributa exigeret impetrare non posset, dum aduersæ contra eius copias conjurarent ac concurrerent acies. Non omnes percensebo Galliæ ciuitates ab Rege tum distractas, in vna duntaxat omnium principe stylus hærebit, odiosa tantùm delibaturus quæ fusiùs differuntur ab alijs

Calamitosa temporum omnino tacenda Historico.

Quare Scissa in factiones ciuitas.

aliis. In hac ergo primaria Galliæ ciuitate binis veluti diffidebatur in castris, regnabat quàm latissimè ordinum discordia quæ venenum est vrbium. Guisius qui sacro fœderi (sic enim appellabant) adscriptos quasi suis humeris sustentare dicebatur, nunc pugnaciùs, nunc remissiùs agere solitus, ac pro temporum varietate consilia temperans, nunc distorta prauè consulentium ingenia comprimebat, nunc studio religionis elatus copias apertum in campum educebat salua (vti contestari solitus erat) Regis autoritate, cui militare se identidem profitebatur, dum religionis causam defenderet, nec enim hominem prudentiæ laude clarum latere poterat, qui contra Regem sibi à Deo traditum consulta parum arma moueret, hic licet casu aliquo vinceret, victurum tamen infeliciter; cùm resideat tacita Regum mente defixum quod inflictum est vulnus, eluique soleat dedecus grauissimâ auroris sui aut pœnitudine, aut pœnâ.

Guisii reuerentia in regem.

Certè quantùm à violando Rege Guisius abhorreret, ostendit tum maximè cùm praua consilia suggerentes nonnullos à conspectu statim suo repulit, ac effatum illud execrari visus est, quo monebant rebellionis autores nescio qui, si contra principes attentatum sit aliquid, id ad exitum vsque perducendum, quasi verò in prauè cœptis diutiùs insistendum sit, sique in aliquo deerratum fuerit, longiùs latiùsque dimanare peccatum oporteat. Non excuso Guisium si quid contra Regem deliquerit, vt nec hominem accusabo, quia insontem cupidiùs optarem, quàm reum; nec sagaciùs eius facta dictaque disquiram, intempestiuam hac in re diligentiam haud patitur innata Ordini sacro, quem à multis iam annis profiteor, non tantùm erga Reges, sed magnates etiam omnes reuerentia. Perseuerabant etiamnum cæci illi factionum turbines. Henricus Rex languidiùs agere credebatur à multis, qui laceratum discordijs regnum eorum stragibus pacare abnueret, qui illud tam impiè diuexarent. Verùm minimè culpanda erat Regis tolerantia, vt sedatè tum ageret nonnullorum hortatibus impulsi. Obequitabat interim vrbem Guisius; & regios, si quos nactus esset, blandè comiterque appellabat, dolere sibi plurimùm asserens, opulentissimam vrbem in eas redactam esse angustias, vt absque imminenti romanæ religionis naufragio vix ab armis conquiescere posset, turbidum in præsentia rerum esse statum, ex hoc tamen turbido expectandum esse tranquillum, nec inanem fore spem illam, si suis fœderatorumque votis Deus annueret. Hæc rametsi prospera Guisius in speciem augurareturi, nihil tamen de solita viarum custodia remittebatur, perstabant hæ trabibus ac doliaribus septis obuallatæ, Donec Rex ad jucundas populo condi-

Praua suggerentes repellit.

Hunc nec excuso nec accuso.

De Principibus cautè loquendum, nunquam malè.

Excusatur Rex.

Non reuerenter satis habetur à fœderatis.

tiones descenderet, qui quasi vnus de plebe aliquis regiis se continebat ædibus, quas fœderatæ circunsedebant cohortes; atque hic inclinatæ ac prostratæ postmodum majestatis scopulus fuit, iacuitque ab eo tempore regium nomen, donec inuicta Henrici Magni virtus collabascens autoritatis regiæ culmen erexit, hostiumque animos priùs quàm corpora domuit, ferro temperans, ne quid de innata sibi clementia delibaret, sic aureis aduersus hostes innumeros Princeps optimus armis depugnauit, hoc est non aculeatis ad vulnus, sed inauratis ad veniam.

Regis tessera reijcitur. Imminutæ regis autoritatis documentum recens fuit tesseræ sub serum duci ab Rege per mercatorum præfectum missæ reiectio, alteriusque nomine perlatæ delectus; quod Medicæam Regis matrem grauiter perculit, vt & negatus eidem dum ad Guisium rhedâ veheretur transitus, causantibus stationariis perfringenda nondum esse vrbis repagula, quæ stare diutius oporteret, itaque gestatoriâ sellâ vti coacta, Pinartio, quem à commentariis habebat, Bellieuræo & nobilibus aliquot comitantibus Guisianas in ædes concessit, cui appropinquanti obuiam progressus est Guisius, & quia in omni certamine, qui opulentior est, licet iniuriam acceperit ipse, tamen quia plus potest, facere videtur; occupauit Reginam grauiter expostulaturam, dum conquestus est prior. Principio itaque affirmauit ex quo Heluetiorum cohortem Rex in vrbem immiserat, haud tenuem Parisiensibus suspicionem iniectam certam sibi fœderatisque parari perniciem, quorsum enim tot præsidiarii in vrbem introducti? quasi verò, quæ minaci vultu trucique clamore circunferunt à Catholicorum cæde temperatura sint arma, quorum iugulum peti haud vanus percrebruerit rumor? non mirum ergo, si tam iusto metu consternata ciuitas ad arma proruerit, quippe pro aris, pro foci, pro sua suorumque salute congressura; ad ciues repentino furore præcipites comprimendos armorum vim, pondusque autoritatis attulisse se semper asseruit, sed ad præclarè monita obsurdescere sæpe populum violentiore mentis cupiditate abreptum, non eiusdem semper esse dare, & extorquere imperia; torrentis citiùs vim, impetumque coerceri, quàm cæcam ruentis in furias populi temeritatem. Medicæa haud abs re conuocatos Heluetios esse respondit, vrbis securitati consulendum fuisse, quæ stare minimè poterat, nisi externi qui ingenti numero in eam confluxerant, inde protinus eijcerentur; ad exterminandos autem huiusmodi alienigenas prætorianam hanc accitam esse cohortem, plebem autem præcipitantiùs arma sumpsisse, leuè nempe (quod ferè fit) suspicione delusam, pacatiora deinceps

Regina in Guisianas ædes proficiscitur.

Mutua Reginæ matris & Guisij querela.

fore omnia, dum nuda se se in conspectum daret veritas, euolutis certi temporis spatiis, in apertum proditura.

Hæc palam à Medicæa & Guisio expostulata, & purgata vicissim, priusquam in concameratis hortuli pergulis colloquerentur, vbi semotis arbitris liberiùs paulò Guisius & fidentiùs egit; ac primo certò sibi constare affirmauit eò spectare Regis consilia, vt præcipui quique proceres cunctis dignitatum suarum ornamentis euerterentur, quod eorum qui apud Regem gratiâ pollere dicuntur, studia conatusque retardassent, non itaque cautè satis se ac prudenter facturum, ni suæ suorumque dignitati & incolumitati properè consuleret, cùm fortissimi quique conatus ignauâ cunctatione languescant: tum, delinitâ nonnihil blando verborum aucupio Medicæâ, eam ab Rege præfecturam tradi sibi rogauit, quam sub Francisco secundo Rege adeptus fuerat ipsius parens vsque adeo vastam, vt cunctas Galliæ prouincias ambitu suo comprehenderet, tum vt imponendis populo vectigalibus modus fieret aliquis, vt tota gubernandi ratio certis quibusdam terminis definiretur, quos transilire nefas esset, vt præfecturis suis abdicarentur Magnates nonnulli, æternumque Regis ab aula semouerentur, qui conniuere viderentur Hæreticis. Postremum vt Rex quo se à fouendis turbis alienum esse ostenderet, cohortem quam ad corporis tutelam nouam induxerat, ablegaret ex aula, ac repetitâ defessorum Regum consuetudine in antiquo prætorianorum numero conquiesceret; alia insuper fieri postulauit, quæ reiecit illico Medicæa, rata non regiæ consulturam se satis famæ his si annueret; appetentibus dein noctis tenebris Luparam remigrauit fœderatorum armis circumsessam. Postera luce rogatu Regis secundum rem diuinam, cui quotidie inter erat: Guisium iterum adiit, vt simulatis pacis conditionibus, producendoque colloquio tandiu hominem detineret, dum Rex commodum maturandi ex vrbe discessus tempus occasionemque captaret, illud idem doliaribus septis impeditum iter remetienti reginæ, obuius è Parisiensibus aliquis eius in aurem insusurrauit quindena hominum millia aut comparata iam esse, aut conquirenda diligenter ad arctius Luparæ festinandum obsidium, perrexit tamen regina, dumque protelandis pacis conditionibus Guisium, moraretur, quorsum hæc omnia pertinerent ignarum, Rex simulato Lateranos ad hortos itinere per portam nouam egreditur, indutisque confestim ocreis, præmissis Heluetiis, prætorianisque septus cohortibus ex vrbe tandem excedit. Exibat autem deformatâ penè majestate Rex acerrimis læsæ mentis cruciamentis penè confectus, vt enim corpora morbis acerbioribus maiora patent, sic il-

Guisij postulata.

A Regina refelluntur.

Rex ex vrbe egreditur.

lustres quæque animæ grauioribus ægritudinibus exeduntur, & repentinum hunc regia viscera permeantem doloris sensum apertè prodebant crebræ, dum solus inambularet, querelæ; dum ingratam, impiamque ciuitatem appellaret identidem, eminusque respectans, postremam ei cladem minaretur.

Regis extâtis mœror.

Durabat interea Mediceæ Reginæ cum Guisio duce colloquium, continuabatur potiùs fabula cùm repentinus rumor attulit Regem ex vrbe profectum, quod acerbissimè Guisius tulit adimplendorum deinceps votorum spe cassus, presso tamen cautè dolore sub solis occasum, vrbem lecto cum comitatu circumijt, stationes disposuit, fœderatos plebemque ad se pellexit sereniore vultu obuiis quibuscunque arridens, cumque omni lepore, ac scita quadam venustate affluerer, nihil tamen de principis officio & dignitate remittebat, vtque arctiùs fœderati populi voluntates sibi colligaret, primarios è Senatoribus adiit, commotiorem plebem edocens, quàm vt eusa seueriùs in se edicta sedatè perferret; igitur à Senatusconsultis huiusmodi abstinendum esse admonuit, per quæ atrociora vrbe totâ excitanda erant incendia. Restabat Parisiis Medicæa Regis Mater cum Regina nuru sua reliquias inibi conquassatæ ferè majestatis collectura: & principio quidem Medicæa imperandi nimium quantum auida priores illos motus pacate satis tulerat rata his in compescendis pristinam se authoritatem recuperaturam; at cùm eò autoritatis Guisium euectum esse deprehendit, vnde deturbari non nisi ægrè poterat, vix temperauit à fletu, segniotis se se operæ collocatæ incusans, quòd eum in altiora (vti querebatur) tendentem non validè satis compressisset, quare aut incusso pœnarum metu, aut splendidis pollicitationibus frequenter ingestis, de cœpto & prouecto iam cursu reuocare nitebatur hominem summam inter omnes fere autoritatem assequutum. Interim à fœderatis occupatur Bastilia, quam in arcem mercatorum præfectus conijcitur, tum noui veteribus magistratus subrogantur: fœderatos his in dispensandis dignitatibus quasi supremo regimine potitos indignè Rex tulit: hæc dolentiùs reputanti, & in vindictam inflammatiùs accenso non perinde fortia suggerebantur consilia, quare vehementius inualescebat fœderatorum conspiratio, dum formidari se intelligerent. Extant Regis literæ Carnuto ad prouinciarum præfectos datæ meticulosiore fortè, quàm Regem addecuisset, stylo concinnatæ; tumultum enim Parisiensem extenuat, cùm in seditionis autores acriùs eum pertonare debuisse varii scriptores tradiderint, eæ hunc fere in modum conceptæ leguntur.

Regis discessus à Guisio improbatur.

Edicta aduersus plebē molliri suadet.

Fœderati Bastiliam occupant.

Noui magistratus eliguntur, veteribus pulsis.

Parisijs agebamus in id tum maximè intenti, vt quidquid in Picardia tumultuatum recens fuerat quam ocyssimè componeretur à nobis, quo feliciores sortiretur exitus expeditio contra sectarios Pictones aliosque rebelles paulo ante decreta: cùm hoc consilium obturbauit inopinus casus aliquis, quo tempore Guisium hostile nihil meditatum esse è tenui eius, dum ad nos venit, comitatu intelleximus, nobilibus haud amplius octonis constante. Haud ita multo post magno animi nostri mœrore accepimus vagos & stati nullius domicilij viros, nobis multis de causis suspectos gregatim Lutetiam Parisiorum confluxisse, Nos pro Regia, qua pollemus autoritate Guisio id mandati dedimus, vt hanc externorum colluuiem, haud dubiam pestem molituram, procul ex vrbe facessere cogeret: at cùm ex ingenti extraneorum numero vel vnum sibi famulari obsequio deuinctum esse negaret, obstarentque primores aliqui, vrbem totam per Mercatorum præfectum, ædiles, aliosque proceres lustrari, ac quotquot alienigenas huiusmodi nacti fuissent, attineri iussimus, verum ne quid ipsi attentarent, absterruit seditiosorum multitudo, quamobrem Heluetios in vrbem inducendos esse censuimus, eorum vt operâ in exprimendo à pertinacibus obsequio vteremur, non abuteremur tamen, cùm omnibus in vrbem intrantibus seuerè iniunctum fuerit, vt ab hostilibus aduersus Parisienses exercendis abstinerent, excubarent tantùm ad subitaneos casus: Et ciues quidem non pauci siue majestatis reuerentiâ ducti, siue gliscente metu perterriti, molliti tandem in obsequia fuerant, damnabant coniurationis autores, exilium ijs, aut acerbius etiam aliquid imprecabantur, cùm (malum) truces in nos clamores auditi & incondita debacchantium voces, certam ad Parisiensium cladem intromissas has copias esse, aliaque in vulgus temerè sparsa sunt, quæ subsequuturæ mox pacis spem omnem adimerent. Confictis his rumoribus concitata plebs arma corripit, viarum aditus doliis aggestâ terra confertis occludit. Nobis insanientis plebis furorem comprimere mulctareque promptum vtique erat, loco tamen cedere consultius duximus: placuit nempe autoritatem nostram alia longè quàm cruenta via sancire, ne cum paucorum ferè culpa fuerit, pœna spargeretur in omnes, quod in seditiosorum supplicio non rarò contingit. Carnutum itaque concessimus Regina Matre Lutetiæ Parisiorum relicta, si fortè lymphatum populum ad saniora compellere posset. Hæc autem cunctis comperta esse voluimus, vt ciuitates curæ vestræ commissas de præsenti rerum statu plenius edoceatis. Quod reliquum est, in id præsertim incumbere vos iubeo, ne Parisiensis tumultus exempla ad vos vsque dimanent.

Regis literæ ad Prouinciarum Præfectos.

Rex studium suum pro religione tuenda expromit.

Hæc ferè Rex ad prouinciarum Præsides scripsit, tum ad diluendas religionis à se inertiùs defensæ suspiciones, affirmate hoc dixit, in eo vigilias se regias, curasque collocare, semperque collocaturum, vt sarta tecta vbique conseruetur Romana & Apostolica fides, decretum sibi esse quidquid Caluinianam, aut Lutheranam mephitim oleret, procul è regni finibus exterminare, tum impigram daturum se operam, vt tersâ ab errorum prauitate Galliâ, allatoque publicis calamitatibus leuamento, planum fieret omnibus non clementem minùs habere se regem, quàm pium, & Catholicæ, hoc est veræ religionis amantem, tutoremque fidissimum. Interea quia nonnulla de Guisio maligniùs fingebantur, expostulatoriæ ab eo ad Regem datæ sunt literæ, quibus significabat molestè se id ferre, quòd cuius maximè gratiam infinitis propè laboribus periculisque pro regno ac religione susceptis emereri studuerat, ab ea tamen calumniis artificiosè contextis depulsus vitam trahere cogeretur insuauem, quippe ab Regis amicitia extorrem; criminum autem sibi malignè obiectorum adeò purum se hactenus fuisse, vt locupletissimum innocentiæ suæ specimen dederit, cùm ferè incomitatus ad regem adijt. Si quid Parisiis turbarum extiterit, in externos ab Rege accitos referendam esse tumultuum causam, ad quorum aduentum vrbs tota contremuit, pestilens sibi aliquid ex hoc armorum, armatorumque delectu subuerita: quare minimè mirum si ad fortunarum, familiarumque suarum tutelam complures ad arma quanquam inuiti statim accurrerint, id autem inscio se à plebe consiliis ferè præcipiti attentatum; cùm enim primùm de Heluetiis in vrbem introductis perlatus est nuntius, solum se, inermemque quietis in ædibus fuisse cōspectum, nihil admodum formidantem, quia conscientiâ tutum; nec vt aliis formidini esset magnopere laborantem, quia publicæ tranquillitatis amicum; nihil autem à se curæ prætermissum, vt inconsultam plebem saniorem ad mentem reduceret, perfectumque tandem, vt hæc intentatos regiorum ministrorum Heluetiorumque iugulis gladios cohibuerit. Hæc porro illustria esse documenta, quanta Regem veneratione prosequutus sit semper, quantumque abhorreat ab vrbis obturbanda quiete, quàm alienam ab vlciscendi proritu sortitus sit indolem, quam pronus sit ad Regis amicitiam omni officiorum obsequiorumque genere demerendam. Hæc si omnia Rex æqua lance dignetur expendere, haud dubitare se ostendit, quin de consiliorum suorum integritate benignè pronuntiaturus sit. Cæterum acerbius nihil euenisse sibi, quàm allatum de insperato eius discessu nuncium, cùm interuersa hoc pacto fuerit pacis per calamitosissimum regnum

Guisij ad Regem Litera.

Tumultuum causam in plebem confert.

reuehendæ blandita diu spes, has nempe profligatorum hominum technas esse, sibi communique reipublicæ saluti aduersantium; non eo tamen esse se animo vt quidquid à variis contra se peccatum fuerit vindicare maturet; cùm curas omnes suas euocet vna pacandi regni necessitas, atque hæc omnia, tametsi leuia non sint, obliuisci hortetur.

Non ab omnibus perinde acceptæ sunt Guisii literæ. Erant qui Regi turpiter ab eo illudi affirmarent carperentque: alii verò quę perscripta erant, quippe officii obsequiique contestatione referta laudabant. Ad ciuitates varias plenius planiùsque scripsit vt & ad familiares suos, quibus præcipua quæ regiis in literis erant capita recensuit: laudabat prolixè Regis clementiam, non dissimulato tamen metu, graue aliquid propediem erupturum, quod Galliam atrocioribus bellis implicaret: cùmque Parisienses pro rei Catholicæ incolumitate Regisque obsequio egregiè animatos videret, reliquas hortabatur ciuitates, vt studia pariter sua cum iis iungere pergerent, nec noui aliquid attentari sinerent contra Regis autoritatem, cui secundum Deum vni obsequendum esse monebat. Additæ his erant Parisiensium ad easdem ferè vrbes eodemque ferè exemplo literæ, in quibus hæc vrbis Galliæque turbamenta in aulicos arcanorum regiorum arbitros refundebant, hortabanturque ciues ad strenuè pro communi Ecclesiæ causa dimicandum, non defuturam generose certantibus Cælitum vim; maturandumque victoribus illustrem, ob prostratam impietatem, triumphum. *Variè à variis accepta Regis Literæ.*

Amotis ex vrbe doliaribus vallis respirare tum primùm cœperat ciuitas quasi fatali defuncta periculo, ac consopito animorum æstu, purior quædam se se lux ciuium mentibus infundebat, cuius ad radios quæ gesta olim fuerant, attentè reputantes, intemperantiùs omnino contra Regem actum esse affirmabant: qua enim fronte segnioris pro religione studii Regem accusabant, damnabantque, cùm ad infima quæque diuini cultus ministeria, quidquid habebat majestatis demitteret, cum Pœnitentium se se choro quasi è pœnitentibus aut flagellantibus vnus tradidisset, cùm quotidiano ferè Iesuitarum, Capucinorumque frueretur consortio, ab eorumque recta monentium ore totus penderet; quorsum grauioribus tributorum oneribus populum ab eo premi opprimique criminabantur, cùm hæc omnia in ciuilia bella impenderentur, hæc autem bella fœderatorum cuderentur in gratiam; quod si hinc nonnulla sibi æra deraderent gratiosiores regis aulici; ab regum dignitate alienum minimè esse selectos quosdam habere, quos ament impensiùs, quosque regiis donis largiùs & festinantiùs impertiant: atqui sic res suas solitus Rex erat impen- *Doliare vallum amouetur.* *Regis innocentia.*

dere, vt non immoderatè profunderet, vt non spargeret in indignos, deinde quæ populo imperabatur æra, piceatis cótrectantium manibus pleraque inhærebant, pauca verò perueniebant ad Regem præterlabentis more fluminis, quod in multiplices sectum riuos, vix ad destinatam vsque metam procurrit. Quod si erratum ab Rege in aliquo fuerit, eccui tádem Regum Imperatorúque non concessa semper in perfecto mora? non accusandi, sed excusandi sunt Reges, aut si continuò excusari non possunt, optimum sanè illud est, in iis pacatè perpeti, quod emendare non possis.

Hæc ferè pro regiæ causæ defensione contra fœderatos afferebantur; quia & eorum plerosque sera subibat præteritorum pœnitudo, amplissimam ciuitatem, dilapso inde Rege, solis sui splendore cariturain esse dolebant, vnde vberes rerum omnium prouentus in ciuium cu stodorum ædes effluerent; magnificas vt plurimùm domos à magnis hospitibus incoli, in amplissimis & nobilissimis vrbibus considere solitam Regum Imperatorumque majestatem. Parisiensis Senatus qui in recentes hos ciuium tumultus non consenserat, Mediceæ Reginæ persuasu lectos è curiâ suâ proceres ad Regem delegauit, palam testaturos neminem vnum esse ex Augustissimo cœtu qui non se regiæ voluntati sponte submitteret, illique in omnibus famulari pulchrum esse putaret, plebeculæ ad vltima temeritatis ruenti nullum satis efficax vspiam impositum frænum. Hi comiter ab Rege accepti sunt vehementer gaudente inter tot sibi hostes oppositos nutasse nunquam, sed stetisse, stareque adhuc in officio amplissimum regni totius ordinem, haud ignorare se dixit has ferè plagas insanabiles esse, quæ à ciuilibus infliguntur discordiis, easque persanaturos illos fuisse, ni efferatior coniuratorum multitudo curatricem elusisset vim: incredibilem se ex ingrata ciuitate percepisse mœrorem, Regia, quibus ab se cumulata fuerat merita, ingestis per summum nefas calumniis atrocibusque maledictis indecorè pensantem, liquidò sibi constare, omnia regna probis, sceleratisque hominibus esse conferta, sinceris sementibus infelix plerumque lolium admixtum: homini plurima ex homine damna procreari, nec ex vano loquutum olim comicum vatem, dum alterum alteri lupum esse pronuntiauit. Cæterùm si conjurati rebelles animos exuerint, pristinum se cunctis amorem, regiósque perhumaniter amplexus polliceri. Quòd si solitis tergiuersationibus, & intempestiua cunctatione ludificare se perrexerint, denuntiare se omnibus, cunctos à se præteritæ beneficentiæ obstruendos esse fontes, eáque in peruicacem populum edenda iustæ seueritatis exempla, qua Reges nunquam impune contemni posteritatem edoceant

Legati à Senatu Parisiensi ad Regem.

Mali bonis immixti.

Regis mina.

edoceant. In id autem Senatoribus præcipuè incumbendum esse, dicit, vt Parisienses inanibus à se suspicionibus distractos ad debitum violatæ toties maiestati præstandum obsequium, & gratiam pariter promerendam inflecterent, in eo scilicet vrbis, ciuiumque omnium salutem tranquillitatemque verti, vnam hanc fundandæ firmiter paci sternendam esse viam.

Vix euoluti dies erant aliquot, cùm postremum id Rex supremæ eidem curiæ significari iussit, optare se vehementer, si fœderati ad officium tandem redirent, quæ postremis seditionibus contra fas moliti fuerant, perpetuæ obliuioni mandare, vt autem congrua placandarum mentium ratio initetur, comitia in exeuntem hunc annum indixit, curaturum se diligenter pollicitus, vt quæ pro regni religionisque incolumitate à Regni proceribus sancita forent, hæc castè integreque seruarentur. Atque vt ad præscriptos legum canones cuncta exigerentur, velle omninò, imò & iubere se significauit vt omnes nullâ interpositâ morâ ab armis discederent, perduellionis pœnâ in eos qui obsequi detrectarent, sancitâ. Et quia totum ferè contexendis apologiis, concinnandisque libellis impendebatur tempus, fœderatis Guisius autor fuit, vt ad minuendam partium aut tollendam omnino inuidiam, legatos ipsi ad Regem cum libello mitterent tum Cardinalis Borbonii, fœderatorum Principum reliquorum, insuper & ciuitatum nomine contexto, eiusdemque Cardinalis & Henrici Lotharingii hoc est Guisii Ducis manu subscripto, quo non prauâ ductos se in Regem voluntate, cùm arma ceperunt, contestabantur, obsequutos se fuisse conscientiæ, patrocinium religioni aliquod imploranti, quippe in postremi naufragii periculo constitutæ, quietura turbantium arma, pacemque Galliæ minimè dubiam reuectum iri, si modo hæresis discordiarum omnium origo è singulis regni prouinciis exturbetur. Orabant itaque Regem vt acrius aliquanto contra sectarios bellum instauraret, sique exorari se sineret, fortissimum in Guisio nacturum esse præsidium affirmabant, hunc si tam necessario bello ducem præficeret, expugnandis hæresibus ipsum Guisiorum nomen esse fatale, non degeneres eum à Maioribus versare animos idque illustribus non Galliæ modò, sed òrbi ferè vniuerso documentis testatum reliquisse. Porro sic instituendum bellum esse censebant, vt Rex ipse destinatas in Aquitaniam copias duceret; Meduanus, quòd Allobrogicæ nobilitati charus haberetur, in Delphinates sectarios robur exercitus transportaret, Medicæa verò Regina Lutetiæ commorati pergeret ad publica regni negotia solitâ prudentiæ laude tractanda. Hæc pro publica Catholicorum

Rex comitia indicit.

Fœderati ad Regem delegant.

Guisium regiis copiis præfici petũt

Alia pro felici statu postulant.

Mmm

causâ relata subsequuta mox est præteritorum motuum excusatio, culpaque in inconsultam plebem de more reiecta. Postulatum denique est, vt libera creandis magistratibus comitia forent.

Respondet Rex.

Ad ea Rex composito ad hilaritatem vultu, haud ignaros eos esse respondit, quorum nomine postulatorius inscriptus fuerit liber, quam acribus ipse studiis Romanam religionem contra falsas nouantium opiniones defenderit, nihil sanè occasionis oblatum, quam non arripuerit lubens, vt hæc in dies magis efflorescerét; illustrium victoriarum quas de prostratis hugonotis sæpius reportauit, testes esse propemodum infinitos, plures longe relaturum se fuisse, ni prosperum earum cursum inhibuisset ciuilis dissensio, quæ regnorum est pestis; Parisiensibus quidquid præteritis motibus deliquerint, haud grauatè dimittere se, si obsequuturos se tandem spoponderint; optare se vehementer, vt catholici omnes in sanctam vnà secum societatem immigrent, coniunctasque vires & copias contra nouarum opinionum cultores effundant. Quod ad querelas attinet de publico rerum statu allatas, item de populi eladibus, quas bellorum inuexit furor, postremo de appositis persanandi regni remediis, quoniam ad hæc componenda complurium arbitriis opus esse videtur, statuisse dixit generalia regni comitia ad medium Augusti Blæsis indicere, in quibus de restituendis quæ populorum prauitate, aut gubernatorum inertia defluxerant, liberè more maiorum salua semper Regis autoritate decerni posset. In hæc ferè verba ab Rege responsum; quæ Regis oratio compluribus non tam collocandæ gratiæ testimonium, quam metus confessionem continere visa est, quasi Rex pleraque Parisiensibus indulgeret, quod vlcisci non posset. Coactam igitur, ignauamque in Rege clementiam interpretati non pauci, ad defectionem, fœderatorumque partes propendebant: timorem illis excutiebat deprehensus in Rege timor, quo tempore (vti iam dixi) expetebatur & formidabatur vindicta.

Bellum decernitur in Hæreticos.

Interea crebra inter delegatos à Rege Guisiumque collocutiones habebantur ad commune reipub. bonum componendumque regni statum accommodatæ, tutiorque habita est arbitrantium vox continuandum potiùs in hæreticos bellum, quàm abrumpendam tum Catholicis pacem, perlatis igitur, expensisque diligenter fœderatorum votis Rex Iulio mense edictum Rotomagi condidit, in quo ad sanciendam Catholicorum vnionem, arctiusque constringendos fœderatorum animos, iureiurando se palam obstrinxit, nunquam ab armis conquieturum se, quin schismata omnia, quæ fœdi sunt hæresis partus, imo & hæresim ipsam felici marte contudisset, vtque

Iusiurandũ Regis pro abolenda hæresi.

consimiliter facerent principes, regni Ordines, omnes denique tum sacri, tum profani magistratus optauit, tum vt sanctè iurarent neminem se non Catholicum, in Regem admissuros, si absque mascula prole Henricum Regem mori contingeret. Statuit insuper ne vlli deinceps ad præfecturas magistratusque promouerentur nisi de ipsorum religione per Episcopos, aut eorum olim vicibus functos certò constaret: postremò vt ab omni fœdere aut intra aut extra regnum feriendo abstineretur deinceps. Id si effectum darent præteritorum motuum, Parisiensisque tumultus, expilatæ denique regni pecuniæ obliuionem in perpetuum sanciturum se, cunctaque pro infectis habiturum spopondit. In Parisiensi Senatu Promulgatum est hoc edictum, gratáque fœderatorum omnium admurmuratione ac ingenti populi voluptate acceptum, gratiæ Regi à Cardinale Borbonio Guisióque per petrum Espinacium Archiepiscopum Lugdunensem, Claudium Castreum Biturigum præfectum habitæ, tum à Parisiensi curia per Barnabam Brissonium Præsidem, aliosque delegatos] addita sunt de exercitibus aduersus sectarios comparandis arcana quædam conuenta, vt & de promulgandis Concilii Tridentini decretis, saluis Ecclesiæ Gallicanæ priuilegiis, de securitatis vrbibus fœderatæ societati tradendis. Demandatum Guisio summum armorum imperium, vt & amplissima magni regiæ domus Magistri dignitas, eiusque rei diploma confectum promulgatumque est.

Iurant etiã Principes.

Promulgatã pacis edictũ.

Acta Regi Gratiæ.

Cum tam benignè factum sibi reputaret Guisius, supra modum gestire cousspiciebatur, perinde, ac, quod in satyrico vate legitur, Diis olim à se auersis fruiturus mox esset, Regem apud Carnutes commorantem, inuisit, & ad omne obsequii genus ei præstandum se se vltro abiiciens, læto admodum ab eodem vultu acceptus est, in tetricum post dies aliquot commutando, His enim publicæ tranquillitatis initiis superuenit pestilentis genii emissarius aliquis, qui fatalis odii semen spargeret; aliorsum quippe acceptæ sunt atque scriptæ fuerant Sixti Pontificis ad Cardinalem Borbonium, & Guisium Ducem literæ, quibus Dei Vicarius commendato prolixè vtriusque in prouehenda religione studio, aliud nihil ad laudabile piumque consummandum opus restare dicebat, nisi vt Legatum à Latere in Galliam mitteret, cuius operâ tam sancti iuuarentur, promouerenturque conatus, idcirco lectum à se Ioannem Franciscum maurocenum Brixiensem Episcopum recens in Cardinalium Collegiuum adrogatum, cum quo de rebus omnibus ad religionis incrementum spectantibus fidenter conferre, cuique consiliorum suorum arcana tutò committere possent. Nihil hactenus scriptum Regi graue futurum,

Guisio datũ armorum Imperium.

Splendidè ab Rege accipitur.

Sixti V. Litera regiam in Guisium iram inflammant.

verùm dum encomiastico in Guisii laudes stylo terminatæ sunt litteræ, dum Guisium haud multò Machabæis inferiorem esse Pontifex affirmauit, qui olim pro templo, pro patria, pro diuinæ legis defensione fortiter dimicarunt; enim-verò acerbissimas in querelas versa est blandior hæc cithara, dum quantum Guisio concederet Pontifex, tantum Regi decedere interpretati sunt, questique non pauci, quanquam si diligentiùs Pontificis mentem perscrutati fuissent, nihil ab eo maleuolè scriptùm contra Regem asseruissent, cuius cùm auspiciis in profligandis hæreticis dimicatum hactenus esset, amplior ei longè quàm Guisio, vti debebatur, ita & deferebatur gloria. Præterea exploratum satis omnibus erat probatas nunquam à Sixto fœderatorum aduersus Regem conspirationes, neque enim quæsito armorum apparatu, aut aperta subditorum rebellione, aut illata vi aliqua, verùm supplicibus adeundi sunt precibus, paratisque aggrediendi sunt Reges obsequiis, quibus artibus vt oppugnari, ita & expugnari dulce & decorum est illis.

Priuilegia Cardinali Borbonio concessa.

Guisio tanta dignitate potito, Cardinali Borbonio indulgendum erat aliquid, quo fœderatorum votis cumulatè fieret, iura igitur ei proximi Regis agnati, creandorum nempe per singulas regni ciuitates opificum, & immunitatis eius domesticorum concessa sunt, scilicet vt hi eodem omnino iure, quo Regis domestici quantum ad priuilegia censerentur, hoc est tributo immunes fierent, proque disceptandis eorundem causis iidem adirentur Iudices, qui de regiorum administrorum litibus cognoscebant. Haud ita multò post Nemorosius Dux Lugduno præficitur, Archiepiscopus Lugdunensis Cancellarius designatur, Dux Niuernensis oblatam belli in sectarios Pictauienses mouendi copiam accepit. Hæc cùm ab rege indulgerentur, deficiebat interim Galliæ ac ne funditus interiret remedium est aliquod per Blæsensia comitia quæsitum, non factum. Principio itaque Octobris an. 1588. cùm pars conuocatorum maior aduenisset, Rex prisco Maiorum suorum Regum repetito more auspicata ducturus primordia, implorandam illico præpotentis Dei opem censuit, qui cùm magni consilii Angelum se se appellari voluerit, optimorum consiliorum copiam & bonitatem impertit. Instituta fuit itaque solennis per vrbem supplicatio pretiosis textilibus exornatam, circumlatus diuinus ille Gedeonis panis ac magnâ proximè subsequentium pompâ cohonestatus, Eucharistica pyxis ab Alexandro Canigeanio Archiepiscopo Aquensi sub vmbella prælata. Incedebant longo ordine Rex & Reginæ cum aulico omni comitatu ac ordinibus reliquis, sacra mysteria peregit Reginaldus

Blæsensia Comitia.

Solennis instituta supplicatio.

clnensis Bituricensis Archiepiscopus, Claudius verò Sanctius Ebroicensis Præsul eloquentiâ præclarus perlegantem orationem instituit.

Proxima subsequenti Dominica Rex Franciscanorũ in ædem cum Ordinum delegatis concessit, vbi cælesti cibo impertitus est, quo eodem Angelorum pane pastus est Guisius, conuocatique alii sic tandem augustissimo hoc Christianæ procurandæ vnionis sacramento Regis & Guisii conciliatæ sunt mentes ad augendũ sceptri Gallici decus vtiliùs admouẽdę:redintegratũ insuper fœdus,ac iterato iureiurando firmiùs roboratum. Haud multos post dies in Blæsensis arcis aula ad eiusmodi cœtus instructa factum est comitiorũ initium, hæc sexagenos passus patebat in longũ, vicenos quinos in latum, colũnis senis effulta, aulæis phrygio opere discriminatis ornata. Rex sublimis visebatur in solio, ad eius dexteram Medicæa Regina, ad læuam Regina vxor considebant. Sequebantur Carolus Borbonius & Carolus alter Vindocinus sacrâ purpurâ insignes, Franciscus Contii Princeps, Carolus Suessionensis Comes, qui dimisso Rupellæ Nauarro Regis gratiam ambierat, obtinueratque, à Mauroceno Cardinale Legato absolutione impertitus ob societatẽ cum hæreticis initam: aderat & Franciscus Mõpenserii Dux, omnes regii sanguinis Principes, Ludouicus Guisius, Philippus Lenoncurius, Petrus Gondius Cardinales, Carolus Sabaudus Nemorosii, Ludouicus Gonzaga Niuernii, Albertus Gondius Radesiarũ duces, intererant proceres alii, sacri, consistorii Senatores, Hẽricus Lotharingus Dux Guisii, qui magistri domus regię munere fũgebatur infra Regẽ humili cõsidebat in sella, prægrandẽ gestãs baculũ aureis liliorũ floribus interstinctũ, qui dignitatis erat insigne.

Rex & Guisius post cælestes dapes amicitiam renouant.

Restaurata vnio.

Ordo considentium in comitiis, & numerus.

Tum Rex dicendi peritus luculenta de more oratione prolusit, qua omnem veterũ iniuriarũ sensum extinxisse se, ægrique nihil reliquum residere ostendit, & quia collapsa pene deformataque regia erat maiestas, eam pristino restituendã esse splendori, roborandãque autoritatem significauit, occasione ciuiliũ discordiarũ eneruem, id autem aliè sibi animo impressũ esse asseuerauit, vt praua omnia dogmata cum religione vera pugnantia penitus abolerẽtur, quod vnum tum ante, tum post aditum regnum curarat enixè; cui potissimũ religioni vt omni ex parte cõsuleretur, Ecclesiastica ieiunia, & triduanã à carnibus abstinentiam indictam, vsurpata à delegatis sacrosancta mysteria, imploratã communibus votis cælitum opem, & pleraque alia ad demerendã Numinis bonitatẽ suscepta perfectaque demonstrauit. Dein natiuô quodam sermonis nitore quo reliquos facilè principes superabat sæculi sui Cæsar aut Pompeius hunc ferè in modum prolequutus est.

Imperata ieiunia.

Regis Oratio.

Antequam de iis dicere incipiam, quæ hodierna die proponenda constitui, à Deo Opt. Max. hanc mihi opem dari peto enixéque rogo, quæ in præsentia necessaria est, vt quod à me adiutoribus vobis susceptum est opus, id ad nominis eius gloriam, regni tranquillitatem, populique leuamentum optato fine concludam. Et sanè nisi primùm hæc spectentur à nobis; eóque præsertim colliment conuocatorum omnium studia, minimè dubium est, quin frustra, imò etiam cum vitio hic institutus sit cœtus. De colligendis naufragi penè regni reliquijs agitur, statuendóque cladibus fine, quæ Galliam vniuersam multis ab hinc annis attriuerunt, quod vt faciliùs consequi valeamus, plurimùm interest, vt euulsis, si quæ supersunt dissentionum fibris, integras cogitationes & consilia nulla priuati affectus contagione corrupta ad vnius Dei cultum Principisque vestri obsequium referatis, vt securitati publicæ publicus cedat timor à tumultuantibus ortus, regnoque Gallico pristinus florum suorum redeat nitor, quod in præclarissimum opus penè puer necdum rerum vsu pollens satis incubui; in hac siquidem ætatis meæ teneritudine præclara quadam mihi Catholici quietique regni species insidebat, quam sæpius intuens, nihil non tentandum esse ducebam, tam vt vniuersæ Galliæ inducere possem. Nunc verò, dum ætatis incrementa consequuta est longe maior consiliorum maturitas, graui me dolore premi necesse est, dum inhonoram deformatamque Galliam, dum exaggeratas eius clades, irrita verò remedia contueor, dum in hæc me tempora reseruatum esse sentio, quibus potentissimus iniuriarum vindex & punitor Deus grauissimum iustæ iracundiæ pondus in amicum olim regnum exonerat, cuius vt indignationem emollirem, subueniremque populo tot calamitatibus affecto, nihil laboris periculique defugiendum esse censui, bello pacem quæsiui, imperatis induciis in expetitam frustrà pacem prælusi, conatus omnes nostros optima semper est comitata voluntas; vna, quæ Regibus inuidere solet, mihique non raro inuidit, felicitas defuit. Non hîc silentio præteribo quanta optimæ parentis de me quámque non intermissa fuerint studia, cui secundum Deum consiliorum meorum adiutrici immortales ago gratias, cuius opera salutaribus ab adolescentia præceptis conformatus, aut nunquam, aut Catholicorum Principum more regnandum esse didici, vt & diademata, sceptra, purpuram terrenorum Regum insignia esse, quæ vnà cum Regibus ipsis intereunt, quocirca iis enitendum esse vt semper & quietè regnare aliquando possint, quæ imperiorum æternitas pietate, & Apostolica religione conciliatur, hac autem vna quos in terris Reges studiosos sui cultores nacta est cælestium choris inserit nunquam non reges futuros.

Nunc accedo propiùs ad rem cuius causâ conueni re placuit, ac primò laudare satis non possum morem hunc à decessoribus nostris Regibus indu-

ctum, vt damnis per ciuilia bella in vniuersum regni corpus importatis remedium aliquod à prudentibus Ordinum consiliis quæreretur: nempe morborum omnium contumaciam, quibus regni status corripi solet, expugnari facilè nouerant, dum adessent alta quadam sapientia præditi viri, qui opportunam consiliorum medicinam afferrent. Neque enim quod imperiti nonnulli malignè blaterant, dum multorum exquiruntur, valentque apud multitudinem arbitria, legitima Principis potestas labefactatur, contrà verò roboratur magis, quia stabilitur à multis, pudetque deinde præreptum hoc velle Principi, quod communibus ei Ordines suffragiis decernendum esse censerunt. De sincera verò mente, quam ad hæc comitia allaturus sim, nulla est ambigendi ratio. Testem appello Deum me nulla mala conscientia implicitum aut prensandorum causa suffragiorum, aut corrumpendæ eorundem libertatis consilio accessisse, & si quod huiusmodi nefas mente agitem, repentino id vtinam rubore coram omnibus luam, vt & pariter erubescere debent si qui per arcanas fraudes & ignorabiles bonis artes nobilissimum hunc Procerum cœtum contaminare nituntur, à quibus comitiorum pestibus, quantum abhorrere me plerique vestrum agnoscitis, tantum rectam meam erga vos, & vniuersam Galliam voluntatem consiliis vestris promouere satagite, ad præpotentis Dei gloriam amplificandam, propagandam Apostolicam fidem, extirpandum sectariorum virus, constituendam rempublicam, alleuandas populi calamitates, regiamque autoritatem constabiliendam. Ex iis intelligi facilè potest haud quaquam ascribendas mihi esse communes regni clades, quanquam, cùm hominem me non diffitear, haud omnis immunem me noxæ præstare ausim, si quid tamen erratum est, factum id eorum vitio, qui circa me fuerunt; dabo deinceps operam, vt consiliarij etiam mei à prauis cœptis abstineant, quasque nomini nostro labes inusserunt, sera saltem pœnitudine expungant.

Procerum consilia Regibus necessaria.

Inter tot ægritudines quæ mentem meam exedunt, hæc vna præsertim res mihi solatio est, quod satis multa documenta dederim inflammati erga Catholicam religionem amoris, & exitialis in hæreses odii. Ad hoc delectus à me nondum Rege habiti; lacessiti bello perduelles, prælia suscepta feliciter, consummata feliciùs. Tam præstantibus, laudabilibusque cœptis decretum est mihi necessariam adhibere constantiam pro Apostolicæ religionis incremento facultates omnes, regiamque vitam profundere multò nunc, quàm olim paratior: ac ne vetera retexere cogar, quo sim ego in hæreticos animo præclarum à me datum indicium est, cùm infestum religioni Germanorum exercitum profligaui. Et erunt tamen, qui conniuere me protestantibus autument, contra quos constitutum est à me vnionis edictum. Nunc attingenda summatim nonnulla videntur, quæ diligenter

emendari oporteat. Occurrunt primum execrandæ Numinis eiurationes, scommata contra Deum, Cælitesque ore sacrilego blasphemoque iactata licentiùs; accedunt turpes tum in sacris nundinationes, tum in publicis Iudicum dispensandis muneribus, cui ego malo ante triennium mederi occœperam, sed mentem alio abduxit bellorum, quæ tum atrociora committebantur, importunitas. Nunc quid super hac re monendum vobis mihique incumbat paucis expromite. Ego certè tum in Ecclesiasticis, tum politicis muneribus, aliisque dignitatibus conferendis hanc deinceps inibo viam, vt conscientiæ primò meæ, tum regiæ ma estatis decori, regni denique commodis, splendorique subseruiam; priusquam effundam beneficia, candidatorum merita diligenter pensabo; vlciscar si non impleuerint munus.

Blasphemiæ coercendæ & sacrilegæ nundinationes.

In restaurandâ quoque militum disciplinâ impendendus est non vltimus labor; atque vt bellum commodè contra Religionis hostes confici possit, ære militari donandus est miles, sine quo in prædas agitur, laborum pretium aliquod collecturus; ne verò grauioribus populus exedatur tributis, de ratione pecuniariæ expediendæ rei in commune consultare vos decet. Sanè quidem nihil mihi optatius esset, quàm importuno hoc vectigalium pensitandorum onere plebem eximere: Regium quippe magis est spargere, quàm colligere, sed cùm alendus sit miles, parandus est necessario commeatus hic bellicus, exprimendumque aliquid à populo, si commodè fieri poterit, non inuito, ne quotidianæ eius audiantur lamenta hac cum indignatione vociferantis. Bonorum nostrorum expilatione aucta est priuata potius nonnullorum res, quàm publica; debellati, proculcatique sunt heretici, sed eorum cladi clades nostra prælusit; è subtractio nobis succo adoleuit, si qua Regi parta est laurus; periimus omnes, quia pereundum erat hæreticis, non est quod Rex Regnique proceres de reportata sibi gratulentur victoria quam nostra, liberorumque nostrorum peperit fames. Hæ sane vulnerant animum cruentantque querimoniæ. Cæterùm cùm in Principis vitam intenti sint subditorum ferè omnium oculi, suosque eius è moribus componere soleant, ita me domi forisque geram, sic regiam ordinabo familiam, vt salutaria inde promi possint Christianarum virtutum exempla. Atque vt planum fiat omnibus, quàm caste integreque custodire decreuerim quæ in hoc Procerum cœtu statuta erunt, volo, iubeoque vt quæcunque ad postulata vestra descendero, aut quæcunque sanxero ipse, nemini vnquam, ac ne mihi quidem quacunque de causa violare liceat. Vt autem finem dicendi faciam oro obtestorque vos omnes per cultum quem numini Comitiorum præsidi, perque obsequium quod mihi legitimo Regi vestro præstare debetis, per Francici nominis decus, per regios Majorum meorum cineres, per charitatem patriæ, per vestram libero-

Restauranda militaris disciplina.

Subleuandus populus.

rùmque

rumque vestrorum salutem, vt excusso omni prauo affectu, studia vestra omnia, consilia, curas, vigilias ad augendum Romanæ fidei splendorem, componendumque reipubl. statum referatis.

Hæc cùm proloquutus esset Rex, grauiter inuehi cœpit in fucatos homines ac vulpina fraude grassantes, quos ad Dei tribunal prouocauit, vbi nullus scenicæ dissimulationi dandus est locus, cùm illic clariora solis luce pateant hominum arcana tametsi densa nunc caligine consepulta. Vociferantem, & dolosas huiusmodi artes execrantem Montholonus sigillorum custós excepit, ac singulare facundiæ specimen dedit. Tertio loco perorauit Reginaldus Belnensis Bituricensis Archiepiscopus, hic perpolitâ, quàm habuit oratione, Regi gratias cumulatissimas egit, omnes regiis eius pedibus affusos, prensare genua, orareque supplices dixit, vt ipse regiæ incumbentem ceruici Franciam in extremam calamitatem ruituram opportunè sustentet, penes ipsum esse Irenen alteram, hoc est Parentem optimam, cuius consiliorum affluentia iuxtà ac bonitate vti commodè possit; hactenus imperii Gallici habenas scitè moderatam hanc esse, non recessuram exaggeratam illam sapientiam à sede sibi propria, hoc est à capite canis consperso, atque ob id etiam venerando: ab Hercule & Theseo repurgatum portentis suis terrarum orbem, æmulaturum Regem magnos illos priscæ virtutis Heroas: multa in Gallia & nata & adulta esse portenta, quæ manum domitricem expectent: eam Regis vnius dexteram esse, hoc est Herculeam manum; ingens monstrum forti hac manu sternendum; Vt à Moyse Ægyptii, septenique à Iosue prostrati olim Reges fuerunt, sic ab Galliæ Rege rebellionem esse domandam, tollendumque deprauatarum opinionum cultum. Auguratus deinde est, Regem Salomoni parem futurum, hoc est pacificum, quo sceptrum Gallicum moderante quisque sub ficu sua, & pergulæ vmbra quietam & ab omni tumultu remotam ducturus sit vitam. Tum hostile (vt prænunciabat) nihil auribus obstrepet, tum vacuæ terrore prouinciæ, tum strata patulis oliuæ ramis terrarum sola, tum exarescent palmarum folia in militares gladios aculeata, & quia nullum futurum est certamen, nulla quoque futura est victoria, quæ cruentus plerumque fœtus est pugnæ, & tamen ob laurum vnam quæ sterile victorum est præmium, quot exacuuntur gladii? quot aggerantur strages, quot vrbium direptiones, quot familiarum interitus: quot truncata iacent militum membra. Dein Nestoreos Regi cōprecatus est annos, auream que regiorum liberorum seriem, & post expletum viuendi desideriū, parem iis, quos pietas & Iustitia Cœlo intulere, mercedem:

Rex inuehitur in versipelles.

Archiepiscopi Bituricēsis Oratio.

Senescaus & Capella proloquuti.

Post Bituricensem Archiepiscopum Claudius Bellofremontius Baro Senescæus Nobilitatis, & Michaël Martellus Capella Decurionum Lutetiæ Magister, quem Mercatorum præfectum appellant, plebis nomine perorarunt, ac collaudata Regis pietate enixuros se contestati sunt, vt extinctâ sectariorum lue, florum suorum eandore splendescat quotidie magis Gallia, nullis deinceps insinceri coloris pigmentis adumbranda. Biduo post eodem in loco conuentus est habitus, in quo renouatum est vnionis edictum, additumque nihil propterea Nobilitatis prærogatiuis ac immunitatibus detrahendum; ac quo paratiores ad fœdus iureiurando sanciendum Proceres forent, de iuramenti religione atque præstantia præfatus est Bituricensis Archiepiscopus. Tum in Sancti Saluatoris æde Ambrosianus in gratiarum actionem decantatus est hymnus, collætantibus & applaudentibus in speciem vniuersis; dum eruda imis in præcordiis vulnera residerent, nam conceptum sæpius à fœderatis iusiurandum mansuros se semper in fide ac Regis obsequio, & nunquam in partes discessuros, violatum à plerisque fuit, armatum ahuc Regis animum remanere suspicantibus, tametsi præteritorum obliuionem sanxisset.

Fremunt hæretici ob Blæsentia comitia.

Fremebant interea hæretici dum in Blæsensi conuentu gladios acui mox in se distringendos, arctioribusque vinculis fœderatorum societatem alligari viderent, quàm vt dissolui facilè posset: at ne strenuè laborantibus pro religionis regnique defensione Catholicis segni quodam otio hugonoti diffluerent, Nauarrus occupatis prospero marte locis in Pictonibus aliquot, comitia apud Rupellenses indixit, eóque eonuenere mense Nouembri magno numero variis ex vrbibus delegati praua consilia consiliis optimis, Blæsis Rupellam, cœtum denique cœtui affectata quadam æmulatione oppposituri. Illic Nauarrus cum Henrico Turrio Turenæ Vicecomite, suo per Aquitaniam Vicario, Claudio Tremollio, aliisque Ordinum ductoribus multa non sine gemitu de calamitoso rerum statu præfatus, quò deploratiores nouellæ sectæ res essent, eò validiores se animos ad eas componendas allaturum ostendit, pollicitus nullam tantam fore vim, quæ mentem suam ad demutandas institutæ à puero vitæ suæ rationes adigat, alienisque alliget institutis. Quod verò ad Regnum religionemque spectat, in quæ potissimum duo exitiales in conuentu machinas à fœderatis aptatas dicebat, paratum se esse affirmauit pro illorum defensione opes omnes suas, quin & vitam quâ nihil charius habebat, profundere, vt eadem omnes animi firmitate essent hortatus. Vt autem bellum aduersus fœderatos auspicatò fieret, restaurari iussit quæ contra deierationes, raptus, Latrocinia, aliaque militum probra à

Comitia Rupellæ celebrant.

Nauarri Oratio.

Edicta de morum emẽdatione.

Proceribus sectæ sancita olim fuerant, seuerisque in eos pœnis animaduerti, qui talibus se flagitiis contaminarent: postulauit insuper, vt egenis benignè largiterque collatione publica fieret, vt probis tantùm prudentiæque laude conspicuis dignitates & primaria reip. munera demandarentur: Actæ publicæ Nauarro gratiæ pro incenso ipsius erga sectam sectariosque studio, atque vt benè verteret quod prudenter edixerat, Deo supplicatum ab omnibus est. Post paulò decreta de militari Ecclesiasticaque disciplina condita sunt, de moribus de Concilii instauratione, ac ordine in eo seruando, de ærario, donis, immunitatibus, agrorum cultoribus à militum vexatione custodiendis, & aliis huiusmodi, quæ magna ex parte laude digna fuissent, nisi quidquid erat decoris, eorum qui conuenerant, hæresis obscurasset.

Haud intra verba & arbitrantiū disceptationes Rupellensia stetere comitia, concinnatus quippe ab iis libellus est, Regique in comitiis Blæsensibus oblatus, quo plena conscientiæ libertas, conciliique nationalis cogendi potestas postulabatur: item vt à peritis ex vtraque parte Theologis discuterētur quæ de religione controuerti solerent; saniorque ab omnibus admitteretur doctrina: comminabantur, nisi oblato sibi libello Catholici conuocati annuerent, ostensuros se Blæsensia non sine vitio conuocata esse comitia. Recitatus liber est haud sine Catholicorum stomacho iniqua ab se postulari indignantium. Nam quorsum Conciliorum instaurationem petunt hæretici, qui tot Conciliorum decretis euerberati, contumaces adhuc obluctantur, cùm obtemperare debuissent. An verò in Conciliis, in quibus æterna præest veritas, sanciri posse id autumant, quod veritatem ipsam oppugnet? Satisne sani sunt, qui congruentius esse censeant recentium opinionum prauitati aptari debere Concilium, quàm vt à recta veritatis semita aberrantes ipsi prudentibus se Consilii placitis attemperent? Quanta religioni labes infligitur, dum tabida illius membra in sanum eiusdem caput insurgunt, dum errorum caligine mersi rectè sentientibus facem ad veritatem præire arrogantiùs ambiunt, ignari plerumque, & nihil supra crepidam, & subulam docti. Quid cœnobio rumvomicis, excucullatisque hominibus tantùm liceat, vt infame os illud quod tot impuritatibus contaminarunt, ad Catholicorum Theologorum cœtum afferant, fœtentesque illic sententias inflatis buccis cructent, qui in Caluinianorum castra commigrarunt, non vt veritati (quod falsò prætexunt) sed libidinosæ vitæ patrocinium quærerent. Sic fœderatorum plerique differebant, ideóque non iaciendum amplius ante obscæna hæc animalia margaritum, iactum

Libellus Regi offertur.

Porrum postulata.

Reijcitur.

toties, totiesque reiectum. Et quia, ne Rupellæ graue aliquid contra religionem moueretur, metus erat non leuis, postularunt ab Rege delegati Blæsenses, vt nutantem in Gallia fidem trabali clauo solidaret, clauum autem hunc aliud nihil esse, quàm Catholici Principis ad Gallici regni coronam delectum, repulsam verò hæretici: communibus item votis Regni supplicabant, vt iusto hoc timore Catholicos omnes eximeret, hunc esse scrupulum afferentes, quo sanior Catholicorum angebatur pars, monstrum religionis in Galliam inuectum iri affirmantium, si qui Catholicos regerent, iis religione dispares essent; colenda esse Regum omnium iussa, verùm id ægrè admodum impetratum iri à compluribus Regis imperium ad religionis canones exacturis, inspecturisque, an quod ab Rege imperatum fuerit cum vera religione cohæreat, hinc subditorum diffidentiam, illinc hæretici principis indignationem nascituram, expostulante Rege sibi à subditis obtemperari non promptè, querentibus subditis nonnulla sibi ab Rege imperari non rectè.

Catholicorũ vota, ne Rex eligatur hæreticus.

Rex quanquam ægrè de successore deliberaret iuuenis adhuc, nec spe cassus omni procreandæ sobolis, maximè cum vigeret valeretque Regina eius vxor, tamen ne delegatos ab se abalienaret, quos paratiores ad cætera fore sperabat, in hoc tandem consensit, vt religionis securitati quacunque ratione consuleret, cætera salua fore confidens dum ei tutò esse liceret; Censuit tamen pertentandum adhuc circa religionem Nauarrum, quod frustra fore arbitrati sunt Præsules, obtendentes pertinacem iteratis toties monitis haud esse tundendum: in instruendo Nauarro præcessisse iam Cardinalis Borbonij eius patrui peruigiles curas, nihil tamen ab indurato expressum, à Medicæa matre sæpius eiusdem rei commonitum, neutiquam tamen rediisse ad frugem, & vt aliquando spem ostentaret aliquam Maiorum ad fidem remigrandi, spem illico euersuros omnem Caluinianorum Ministrorum clamores contra Romanæ Religionis antiquitatem debacchantium. His ab Ordine sacro non sine querimonia stomachoque recensitis facturum se satis pollicitus est Rex, dum in condendo super ea re propediem edicto laboraturum se dixit.

Assentitur Rex.

Censet tamẽ pertentandam adhuc Nauarrimẽtem circa religionem.

Gliscebant interea animorum simultates insolitâ verborum & officiorum humanitate conuelatæ, mutuæ Regem inter & Guisium fœderatorum Ducem diffidentiæ alebantur, tumultus Parisiensis adhuc erat in metu, Regis indulgentiam, quia nimiam, nullam esse censebant, intutamque eius amicitiam; conceptas imis in præcordiis Regum iras consopiri nonnunquam, vt vel exiguo palpantium aulicorum anhelitu vehementiores ignescant; quam vt suspicionem euel-

Iurat Rex hostile se nihil contra Guisium alere.

lerct Rex, coram Augustissimo Christi Corpore panis inuolucris obducto persanctè iurauit hostile se nihil in Guisium alere, contra verò obliteratis veteribus iniuriis arctissimam cum illo amicitiam iungere velle, eidemque Regiam abundè gratiam polliceri. Sunt qui violatam ab Rege iurisiurandi religionem criminari audeant, cùm proximè Guisiorum subsequuta mors sit, ab Rege, quod nemo diffitetur, impetrata; contrà verò tam fœdum crimen in Religiosissimum Regem cadere non potuisse affirmant autores longè plures, vnde regiæ aduersus Guisios indignationis post iuramentum præstitum nouas subortas esse causas asserunt, quibus inductus Rex eorum neci susceperit, has autem studiosius indagare politici magis puto quàm religiosi scriptoris.

An iuramentum violarit.

Scio tamen ad hanc cædem Regem inductum proposito ab aulicis Caroli, qui Philippi II. Hispaniarum Regis filius erat, exemplo; sollicitabant etiam Regem oblatæ ei per quietem ferorum animalium species, quorum morsus (lanienam enim minabantur) Guisiorum nece anteuertendos esse monebant Proceres aliquot; hocque obiecti Regi somni interpretamentum esse non fallax. Interea tristis ad Guisium perferebatur rumor grande ipsi ab Rege imminere periculum; haud ignarum eum esse quam suspecta sit læsorum Principum gratia: ille pristinæ memor felicitatis ab hostibus ratò concussæ, nunquam verò euersæ, nihil sibi admodum timendum esse obfirmabat dum neminem vnum esse putaret à quo iure metueret; vrgebant amicorum preces, vt ex aula se proriperet, ille turpem hanc fore sibi suisque fugam obiiciebat, turpitudinē autem omni suppliciorū acerbitate redimendā. Ex eius familiaribus vnus aliquis in mantile, quod, dum accumberet explicaturus erat, Schedulā furtim inseruit, quâ monebatur instare percussores, ni actutum tutiorē se in locum reciperet, Ille vt intēpestiui monitoris obstinatā mentis fidētiam reponeret, postulato calamo eidem chartæ inscripsit. Cōtra Guisium ecquis nisi temere audeat? ac complicatam eandem subter mensam abiecit inspiciendam ab eo qui subscripserat. Verùm post paulò arcanos amicorum monitus attētiùs reputans inhorruit, expalluitque & impetu nescio quo præsagientis animi abreptus, interno nunquā terrore percelli supra hominem esse didicit, mōstrauitque tum maximè, cùm formidanti, & frigido quodam horrore affecto allata sunt Salgama. Reficiebatur corpus, cùm interea præsaga mens mali solitā ægritudine debilitata instantis sibi cladis posttemæ augurium proderet, & accelerati sibi fati vates fuit, multis quippe confossus vulneribus viuere desiit; cæsus pariter Cardinalis Guisius eius frater, capti Guisianatum partium proceres aliquot, Cardinali Borbonio custodes appositi,

Tragica Guisiorum nece funestata comitia.

Atque hinc non vana loquutum vatem fuisse constat, dum regum iram non modicam asserit, quam potestas, & quiduis aggrediendi voluntas inflammat. Medicæa Regis mater arthritide præpedita, è Guisiorum cineribus fatalem erupturum ignem prænuntiauit, qui totam longè latéque Galliam inflammaret: nec ita multo post tum morbi vi, tum ingenti mentis ægritudine affecta, post relicta pleraque regiarum virtutum documenta, intabuit, solertissima in paucis fœmina, vniuersæque Galliæ adgubernandæ haud impar, quippe ab Henrici 2. mariti sui obitu imperare assueta, dum interea adolescerent eius filii Reges, maternisque rite præceptis aptarentur ad culmen.

Quæ inde damna sequuta?

Hoc casu funestatus est comitiorum finis, Ordinum postulata Regi oblata, renouatum vnionis edictum publico in conuentu iureiurando sancitum. Non hîc commemoro varias ex iis cædibus calamitates exortas, defectiones vrbium, prouinciarum tumultus, iacta in Regem conuicia, Ecclesiasticas diras, aliaque in nobilissimum hoc regnum importata damna: hæc enim obstinato silentio premere, quàm stylo consignare puto consultius. Carolum Meduanum ob fratrum suorum cædem graui mœrore confectum emollire, partibusque suis iungere Rex frustra satagit, incassum destinantur ad eum literæ; quarum argumentum hoc erat, in rerum & temporum necessitatem conferendum, si congenitæ sibi lenitatis oblitus, quam maximè noluisset personam induere coactus fuerit, vt Guisii Ducis & Cardinalis cœpta interuerteret, moderatè tamen actum à se, quod hi vni capite luerint, periucundo iis qui cædendi pariter erant compendio, se neque iracundiæ motibus violentius abreptum, aut praui alicuius affectus impulsu concitatum cò seueritatis deuenisse, Lotharingiam familiam cordi sibi hactenus esse, deincepsque futuram, nec commissurum se vnquam, vt si quid in necatos Principes odii conceperit, in eorum cognatos, affinesque redundet, non clam ipso esse quæ quantaque pro regnô relgioneque Meduanus molitus aliquando fuerit, quare cùm Regum maximè sit, subditorum pensare merita, supremum ei se armorum præfecturam demandare, rogareque ne optimam, quam nactus est indolem vllis factionum sordibus aut vllo illiberali facinore inquinet, arma cum Rege suo consociet, vt pristina Galliæ reuehatur tranquillitas, quæ nisi debellatis priùs hæreticis obtineri non potest. Quod si Regi suo auscultare in animum induxerit, festinatis itineribus aduolet, æquas admodum conditiones, & quamcumque volet ipse, securitatis tesseram accepturus.

Regis litteræ ad Meduanum.

Meduano recenti fratrum suorum cæde calenti frustra, iaquesceptri Gallici moderatori renuntiato, hoc fuit regiarum literarũ condimentum, nulliusque roboris medicina, cùm eius à quo porrigebatur, manum pertimesceret: quar frequẽti senatu hanc in formulam iusiurandum cõcepit: Religionem Catholicam Apostolicam Romanam strenuè se aduersus eius hostes propugnaturum, integrum regni statum, curiarum autoritatem, antiquos Iustitiæ ritus, Ecclesiæ Nobilitatisque priuilegia, etiam cum capitis discrimine, defensurum; tradita sibi potestate ad supremi Numinis gloriam, publicam regni vtilitatem, bonorum securitatem, sceleratorum terrorem rectè prudenterque vsurum, atque vt magistratibus debitum in posterum exhiberetur obsequium, vexandæ per tributa plebi modus fieret, illique munera sua quàm pacatissimè obire liceret, perfecturum se spopondit. In hoc rerum statu Rex maiestatis interesse putauit firma vndique auxilia conquirere, nihil alioqui aduersus validam fœderatorum manum perfecturus, hanc nisi quæsitissimo copiarum delectu oppRimeret. Incessit eum itaque cogitatio Nauari ad armorum societatem pertrahendi, sed absterrebat eius religio grauissimas apud Catholicos excitatura dissensionum procellas, idque ne aggrederetur autor erat Niuernius Dux, prudenter admonens atrocibus super hac re spargendis sermonibus amputandam esse materiam; nam quid aliud é socialibus armis huiusmodi fœderati collecturi sunt, nisi hoc vnum attentari, vt expedita ad Gallicum Sceptrum via sternatur hæretico, atque (vti vocant ipsi) relapso; idque vt festinantiùs accuretur; qui Nauarrum à regni successione arcere poterant, eos partim cæsos, partim in vincula datos. Denique cùm & hæreticis, & fœderatis eodem tempore bellum inferre statuerit, secum ipse reputet, expendatque vires suas, num pares eæ futuræ sint tot tamquediscrepantibus copiis profligandis, tot debellandis Magnatibus, quos, cum priuata res familiaris, tum præsertim religionis obtentus ad propulsandam vim simul & inferendam accendit. Quare si cum alterutra parte paciscendum sit, consultius longè fore, si Meduanum ad se pertraxerit Catholicum quippe & Catholicarum partium fautorem defensoremque acerrimum, Quòd si oblatæ hic pacis consilia repudiarit, enimuerò exposcendam tum esse Nauarri amicitiam, iungendasque cum eo vires, neque opperiendum super hac re Romani Pontificis nutum, cum in restaurandâ laceratæ penè Galliæ salute lenta sit festinatio quæuis.

Parere abnuit.

Solenne eius Sacramentum.

Dubitatur an Rex cum Nauarro fœdus inire debeat, necne.

Dissuadet & suadet Niuernẽsis Dux.

Meduanum censet regias ad partes trahendum.

Huic Niuernii orationi continuò assensus est Rex; vtque Meduanum optato sibi fœdere copularet, Apostolico vsus est Nuntio,

In hoc incũbit Apostolicus Nũtius

quem futurum pacis sequestrum ad eum delegauit. Sanè si quid in Italis prisci viget adhuc eloquii, copiosè Nuntius attulit, dispensauitque prudenter, votorum haud dubiè compos futurus, nisi fœderatorum omnium mentes vnà cum Meduano expugnandas habuisset, quas hic omnes sibi colligatas circumferebat vbique: nam fœderatis fidem iam dederat, acceperatque; arduum itaque ei videbatur hoc abrumpere vincula, quibus infinitæ pene multitudini tenebatur adstrictus, coalitasque inter præcipuos regni proceres amicitias dissuere, vt vni se duntaxat Regi connecteret. Refutauit itaque Meduanus pia Nuntii hortamenta, virium inopiam in Rege malè interpretatus, quod pacem expeteret: suspicabatur præterea haud quaquam permansuram diu pacem, sed perbreues tantùm postulari inducias, post dissipatas fœderatorum vires, dissoluendas. Tradunt Historici Regem absque vlla simulatione Meduani prensasse amicitiā; erat enim in eo quod timeretur, cùm hic tum regni status esset, vt pauci, aut nulli existerent, qui non metuerentur, pariterque metuerent. Et quod de aqua in Oceano reciprocante tradit vates non illepidus, nescire eam cui potissimum Domino pareat, id haud insulsè variis aptabant partium administris, cui potissimum Duci obsequerentur, ignaris. Meduano oblatam Regis amicitiam abnuente, cùm Nauarro Rex pepigit, plerisque ad id hortantibus, cùm regni vnius, non verò religionis causam agi affirmarent, sed nec tutum se satis Rex fore putabat, nisi quod crebris vsurpabat sermonibus, *de inimicis suis vindicaret inimicos suos*. Nauarrus pactas inducias fide quàm optima coluit, post complures enim tum Santonico tum Pictauiensi in agro ciuitates deditione acceptas, seuerè inhibuit ne cui vlla in re noceretur Catholicarum partium viro: dein in singulis Nauarreæ ditionis locis conscientiæ libertatem nomine suo publicari, ac Ordini sacro reuerentiam haberi præcepit, exemplo id ipse suo sanciens, dum cunctos Ecclesiæ Romanæ administros sincerè ipse percoleret.

Hortatur, sed non persuadet.

Regis & Nauarri fœdus.

Nauarrus fauet Catholicis.

Fœdus hoc cum Nauarro ab Rege percussum ægre admodum tulit Cardinalis Legatus, grauiterque expostulans denunciauit quanto id cum mœrore excepturus esset Romanus Antistes, violari spem illam quam post Guisiorum cædem astantibus multis Rex dederat, non propterea temperaturum se ab armis Romanæ religionis hostibus inferendis; nunc verò quasi mutatis clypeis fœdus cum iis iunxisse, quos debellare debuerat: Regum promissa vbique sancta & illibata extitisse, nunc quorsum datam Romano Pontifici sibique fidem tam obfirmatè frangat, ac vtrumque tanto cum dedecore ludificet. Ad hæc Rex nihil admodum se cum hæreticis pepigisse respondit; cul-

Cardinalis Legatus fœdus improbat.

Excusat Rex.

pam

pam vnius esse Meduani fœderatorum Ducis, quòd pacem abnuerit eiusdem Pontificis componendam arbitrio; attente perpenderet ipse quantis implicatus ærumnis quantis appetitus insidiis insuauem admodum regioque indignam fastigio vitam egerit, priusquā cum Nauarro fœdus iniret, inuitum se omnino reluctantemque ad hoc fœdus impulsum, pleraque ab ipso rerum molitore Deo tolerari interdum, quæ seuerè vindicaturus olim sit, nullius affinem esse se culpæ, quod necessitati paruerit, cum hæreticis arma iuncta, non animos; nullam propterea religioni formidandam esse labem, cum ab sectariorum erroribus auersâ semper mente fuerit.

Bernardinus mendosa Hispaniensis legatus perlato induciarum cum Nauarro pactarum nuncio Parisios illico ad fœderatos diuertit, ne se (vti iactabat) hæreticorum societate pollueret; Apostolicus verò nuntius, ne ab Regis aulâ excederet, prohibebat tuendarum Catholicarum partium spes aliqua, igitur quà monitis, quà precibus, quà intentatis ab Roma comminationibus aliquid ab Rege exprimere satagebat, quod religionis decus proueheret; agebat ergo frequentiùs de componendis Galliæ discordiis, aduocatis in consilium Cardinale vindocinensi Cardinalis Borbonii nepote, & Renato Belnensi Archiepiscopo Bituricensi cum plerisque Proceribus aliis, fidei in Regem prudentiæque præclaris; horum ex numero vix vnus erat aliquis qui si modò diuturnas Galliæ calamitates reputaret pacem cum Nauarro inchoatam, hanc quamuis maximè odisset, damnare tamen auderet Gestiebant interea sectarii ob sancitum hoc fœdus, quippe continuatis diu bellorum laboribus fracti; traductisque per omnium ora fœderatis Catholicis, quasi regiorum mandatorum desertoribus, nosse se præ Gallis reliquis iactantiùs affirmabant, quàm sincerâ incorruptâque fide colendi sint Reges. Rex bellicarum rerum curâ Nauarro commissâ legationem in Hispaniam ad Philippum Regem destinat vt specie nuntiandi Catharinæ matris obitus, quæ Philippi socrus erat eum ab auxiliaribus copiis Meduano submittendis auocaret. Delectus qui legationem obiret Petrus Borgetus Fraxineus a secretis Regi epistolis, mandatumque vt de motibus in Gallia concitatis pleniùs Regem edoceret, ostenderetque pessimè consultum iri Regibus, si praua rebellantium populorum exempla per subditas sibi nationes proserpere finerent. Et quanquam non vsque eo labefactata Francici Regis autoritas esset, vt seuerus perduellionis punitor esse non posset, quippe pacta cum Nauarro induciarum fide, eâque fretus nobilitate quæ nihil non sublime altâque dignum indole saperet, cum tamen à Philippo ea petere, quæ si consimile quid sibi con-

Gratum hæreticis fœdus.

Fraxineus in Hispaniā mittitur ad Philippum Regem.

Auxilium petit.

simile quid sibi contingeret, haud dubiè postulaturus foret ipse Philippus, quidquid in Principem vnum iniuriosè delinquitur, quadam velut contagione dimanare in reliquos omnes, vnde cùm omnium par atque eadem iniuria sit, æquum esse vt omnes pariter ad eadem vlciscenda probra cum armis accurrant.

Negat Philippus.

Rex Catholicus hanc auxiliorum petitionem imbecillitatis confessionem existimans, dolere sibi quidem respondit, quod socru optimâ, prudentissimâque reginâ orbatus esset, quodque ciuilium bellorum incendio conflagraret potentissimum Galliæ regnum, Catholicorum se damna, cùm Catholicus esset, prælibare, afflictâque Regum fortunâ torqueri se Regem consimilibus fatorum casibus obnoxium: quæ verò poscebantur auxilia suppeditare se posse negauit, quippe mali eiusdem non prorsus ignarum, quo premebatur in Belgio, deficientibus ab Rege suo Romanaque religione plerisque prouinciis, quas vt in officio contineret, omnibus sibi viribus enitendum erat; proinde, vt maximè vellet, externis subuenire se minimè posse negotiis, absque rerum suarum neglectu, autoritatisque suę dispendio. Ad extremum addidit ægrè admodum acceptum à se de icto cum sectariis fœdere nuntium. Sic irrita fuit, quia intempestiua Borgeti legatio. Missus dein in Germaniam ad milites conquirendos Gaspar Schombergius Nantolii Comes perspectæ vir fidei exploratæque prudentiæ, Ad Rudolphum quoque Cæsarem delegatus Iacobus Augustus Thuanus tristi quidem de reginæ morte nuntio defuncturus, sed præsertim vt sparsos per hæc loca ab fœderatis, & Hispanis rumores conclamatam Galliam affirmantibus refutaret, spemque minimè dubiam faceret integræ ab Rege recuperandæ autoritatis; datum eidem negotium vt à Cæsare peteret, ne perduellibus militum in Germania delectum permitteret, contrà verò, quos Rex inde bellatores educturus esset, gratiâ suâ autoritateque communiret.

Ictū ab Rege cum sectariis fœdus improbat.

In Germaniam missi Schombergius & Thuanus.

Cùm Gallicę sic deploratę res essent, Apostolicus nuntius concupitâ diu quiete potiturum se diffi lens, tutum aliò cogitabat discessum; ab repetendâ Româ hominem absterrebat summi Pontificis iracundia, haud ignaua certè futura, cùm eam fœderatarum partium Principes datis ad eum literis certatim incendissent, quasi Catholicorum res segniùs promouisset, etsi ad grauiores multo suscipiendos labores, sanguinemque pro religione fundendum sacra eum purpura inuitaret. Huic animi dubio tutissima Rex Galliæ loca ad securitatem obtulit, fœderis cum Nauarro ineundi necessitatem obtendens, quod disturbatum maximè vellet, quare iteratis aggressionibus Meduani animum pertentaturum se, pacemque amplissimis conditionibus ob-

latum se spopondit, sed cùm ad hęc immota Meduani mens esset, re infecta haud sine graui mœrore, metuque Legatus excessit.

Hoc tempore Galteri opiliones arma contra Regem pro fœderatis iunxerunt. Erant hi Neustrię Villatici compungendis stimulo bobus, quam armis decorè tractandis aptiores, & tamen nescio quonam œstro perciti ad henoticorum rumorem ligones, vomeresque in enses, fatales sibi futuros commutarant. Haud difficile fuit collectos illos è mendiculis greges, aut ad rastra sua compellere, aut ne quid è fęcibus istis superesset funditus perdere; ex his quippe terna fere ab regijs Monpenserio ductore cęsa sunt millia. Aruernię vrbes plęreque prudenti Effiati opera vicina nobilitate subnixi in fide manserunt, alię fœderi astrictę obsequia detrectarunt, atque hinc factum est, vt inter aduersantes sibi partes armatus nunquam conquieuerit furor. Rex apud Turones commorans has exigui nominis victorias quasi ampliorum pręnuntias osculabatur quidem, sed iucundior longè erat ea quam de expugnata Nauarri mente reportarat, quem coràm alloqui & in amicos ruere amplexus expetebat ardentiùs, & quanquam pari iungendę cum Rege dexterę cupiditate flagraret Nauarrus, absterrebant tamen eum proceres aliquot, intutum ipsi hunc congressum fore fatalemque cōminantes, calere adhuc Bartholomæanam Parisiis editam stragem, ex hac certò colligi posse, an fallaci vt plurimùm aulę genio fidendum sit semper. Nauarrus quanquam non omni metu solutus, ancipitem tamen firmabat animum vrgentis necessitatis obtentu, ad Regem non tam inuitari se, quàm interni cuiusdam afflatus impetu rapi contestans. Fusè narrant historici vtriusque Regis congressum, vt comitatis & obseruantię munera vtrinque exhibita redditaque, Henrico Gallię Rege cuncta humanitatis officia largiter offerente, Nauarro fidum ad obsequium, & ad regiorum vsque pedum oscula flexo. Quo autem purior & defæcatior esset diei illius lætitia expuncta vtrinque est præteritarum offensarum recordatio: postridie Nauarrus Turonibus ad suos trans fluuium opperientes remigrauit, Rex verò intra vrbis septa cum prætorianis cohortibus aulicoque comitatu remansit, peditatu in Sansymphoriano suburbio considere iusso.

Galteri opiliones ad tria millia cęsi.

Regis & Nauarri congressus.

Interea Meduanus fœderatorum spes omnes confouere, congruamque impositæ sibi personæ vim constantiamque proferre adnitens, eò vbi tum Regii aderant, copias duxit. Igitur Turones versus iter arripiens, captis quæ progressuro moram facere poterant, oppidis aliquot, Sansymphorianum suburbium inuadit, id vt auderet, animos dabat Nauarri recens inde discessus, qui Salmurium ad incerta

Meduanus Sansymphorianum suburbium inuadit.

belli diuertat Rex inopinato Meduani aduentu commotus aciem confestim instruit, crebrisque hortatibus tum duces tum milites suos incendens, irrumpentes vi magna majoribusque animis fœderatos generosè repellit. Non poterat non esse concitatus regiorum impetus, cùm Regis eos adurgeret præsentia, ac auspiciis suis speque regiorum munerum oblatâ ad assequendum victoriæ decus tum per se, tum per supremos copiarum præfectos inflammaret. Meduanus aduentantis Nauarri rumore perculsus relicto suburbio pedem referre cogitur. Regis ob repulsum fortiter hostem victoriam adscripsere Scriptores non pauci, sed multo victricis partis sanguine stetit hæc laurus, quadringenti enim qui pro Rege dimicabant occisi, atque inter eos duces adnumerati complures bellicis olim muneribus cum dignitate perfuncti; cæsus Bertonus Grillonii nepos, castrorum præfectus, nec non Sanmalinius, è fœderatis verò centum non ampliùs desiderati, nec ita magni nominis Viri. Cæterum stragem hanc comitata de more est effrænata militum licentia, cœnobia sola æquata, expilata sacra, quodque in heterodoxis fœderati iure damnassent Catholici, ab Catholicis impiè sacrilegéque attentatum obnitente Meduano, cui sacrorum cultus nunquam non cordi fuerat. Verùm quis furentem militum audaciam satis comprimat ad turpe sæpius adhinnientium lucrum.

À Rege repellitur.

Cruenta Regiis victoria

Expilata sacra.

Meduanus è cæsorum paucitate bellici successus felicitatem æstimans, tantò fortunatiores regiis fœderatos esse duxit, quanto pauciores ex iis conciderant. Hinc vulgatus illico libellus, quo Meduanis partibus adscripta fuit victoria, vbi complura dubæi fidei ad majorem colligendam famam inscripta. Rex quòd fœderatos Turonibus feliciter exegisset, futurarum inde victoriarũ omen accepit, cumulatè ad gloriam fecisse se ratus, quod irrumpentibus hostibus aditum in vrbem interclusisset. Hoc perfunctus periculo, cautiùs agendum esse censuit, ac ne nimiâ curarum mole fatisceret, harum partem in Nauarrum deriuauit, dato ei negotio, vt Blæsas cum totiùs exercitus robore maturaret, ipse verò copiarum partem apud se subsistere iussit, tum Comitem Suessionensem in Britanniam Armoricam summo cum imperio misit, cui Ioannem Bellomanerium Lauardinum castrorum præfectum adiunxit, quos tametsi incredibili animi robore septos, quia pares aberant militum vires, belli fortuna destituit. Suessionensis ab Mercurii Duce interceptus Nannetes captiuus abducitur, vnde œconomi ad ipsum sæpe visentis astu, corbe cibaria delitescens feliciter euasit præsidiariis huius fraudis ignaris, quæ post paulo patefacta risu facetusque excepta est quasi Moses alter è care-

Stratagema militare.

cto non ad Pharaonis filiam, ſed ad libertatem altricem aliquanto meliorem futuram enauigaſſet.

Interea Rex Nauarræi copiis fretus, qui pedites quingentos ſupra quaterna millia, & ſexcentos equites ſub ſignis habebat, agitabat magnum aliquod aduerſus fœderatos belli facinus, & cùm bini ſociatis armis depugnarent Reges, exile nihil tentandum videbatur. Inceſſit ergo Regem vtrumque cogitatio, vt neglectis minoribus oppidis, quæ magnorum conatuum ſunt remoræ in ipſam Gallicarum vrbium principem vrbem Lutetiam Pariſiorum mouerent, hanc quippe ciuitatem eſſe, quæ peſſimo defectionis exemplo cunctas circum ciuitates ad cœptandam rebellionem excitarat, quâ parere coactâ reliquas pariter ad obſequium vrbes redituras, iamque occupatis ad Sequanæ ripam viciniorbus oppidis, vnde res frumentaria cæterique commeatus aſportantur; proximum erat, vt fames induceretur in vrbem, cunctis hoſtibus importunior hoſtis. Nauarrus & Eſpernonius præmittere iam copias cœperant, dilata tamen obſidio fuit, quod Rex Turonibus Pictauium cum ſexcentis equitibus & quaternis peditum millibus eſſet profectus, frænaturus videlicet, nutantem in obſequio ciuitatem, ac poſt Pariſienſem tumultum rebellare paratam. Pictauienſibus aliquot Regi cedere meditantibus obiiciebatur clades ab hugonotis imminens, quare Regi vrbem ingredi poſtulanti negatus eſt aditus, indignè ferentibus, qui vrbi tum præerant, & in ſternacem populum imponendo ſibi fræno repugnantem coniicientibus crimen.

Rex & Nauarrus Lutetiam aggredi ſtatuunt.

Differtur obſidio.

Rex Pictauium proficiſcitur.

Vrbis aditu prohibetur.

Regem repulſam hanc ægrè concoquentem ſolabatur fauſtus de Longauilla perlatus rumor, qui Siluanecti fœderatorum copias ad internecionem exciderat. Hæc vrbs poſt Lutetiæ ab Rege defectionem fœderatorum in partes tranſierat, cùm autem de triſti Guiſiorum caſu percrebuiſſet, ſiue imminentium metu pœnarum correpta, ſiue quotidianis Botauillæ hortatibus impulſa Regiorum ſe ſe parti adiunxerat. Dux Aumalius importunis Pariſienſium precibus victus, ſimul ac eo cum ſenis armatorum millibus venit, verberationem ad eam partem, quæ in auſtrum vergit, admouet; ruinâ editâ fœderati confuſis ordinibus impetum faciunt, ac repelluntur ab obſeſſis, Mox Humerio, Longauilla, Bonniueto, Lanouico, aliiſque è primaria nobilitate ductantibus, regiæ eo tranſportantur copiæ: ferunt equites mille, binaque peditum millia ad ſoluendam obſidionem aduenisſe, bellatoreſque in vrbem inducendos; hinc

Longauilla Siluanecti fœderatos cædit.

Siluanectenſis obſidio.

obsessis creuerunt animi, spesque quæ conspecto fœderatorum numero elanguerat, tum longè maior assurrexit, captum itaque ferro cominus eminusque experiendi consilium. Lanouius minora tormenta, campestresque machinas opportunis inter pedites disponi locis commodùm iusserat, his enim vndique fulminantibus fœderati militiæ rudes obtriti complures, aut ne discerperentur, terga vertere coacti sunt. Fama est mille quingentos occisos fuisse præter vulneratos innumeros. Aumalius fuga elapsus ad Sandionysium oppidum perfugit, Balagnius haud ita graui accepto vulnere Lutetiam venit fœderatorum cladem eleuaturus, nc plebs ab Aumalio cedere coacto deficeret, Dena cum bellico instructu capta tormenta, ingens parta de mercatoribus præda, qui ex vrbe perinde quasi pax vigeret altissima, vt ad nundinas, sic ad castra commigrarant, omnis generis non ad bellicam tantùm rem, sed inuentis etiam ad luxum mercibus onerati, tumultuariis tanquam ad commune rerum emporium excitatis tabernis, ac patentibus vbique officinis.

Mille quingenti fœderati occisi.

Hanc cladem à fœderatis accepta aliâ non ita multo post cumulatam ferunt. Maio siquidem mense an 1589. Castellionæus dum Boneuallij in Carnutibus ageret, monitus equites trecentos Sauosio & Anna Brossio Ducibus fœderatorum parti pertinaciter astrictis, & Sclopetarios equites aliquot non procul iter arripuisse, aciem proximus instruit, obuiamque factus manum conserit. Sauosius, qua erat animi alacritate Castellionæi ordines perrumpit, ac Castellionæum ipsum equo deturbat, cui fortiter dimicanti auxiliarii adsunt Harembdurius, & Fucherollius, ac districtis cominus gladiis decertantes ingentem fœderatis cladem important: hi pertinacibus animis vim vi vsque eo repellunt, dum concidentibus ob accepta vulnera, exhaustumque cruorem corporibus animas exhalarent. Sauosius septemdecim confossus vulneribus paratam chirurgorum manum, ac fomenta omnia militari quadam indolentia mortisque contemptu respuit, in hoc vno acquiescere se contestans, quòd vitam præclarècum fœderatis actam generosa morte profunderet, piam hanc esse turmam dictitans, diuinique cultus propugnatricem; non satis pro religionis causa facere eos, qui non in eandem se societatem immergerent. Cæterum è fœderatis centum atque eò amplius bellatores occisos, quinquaginta lethalibus plagis affectos, totidem è primaria nobilitate captos apud historicos legas, quæ profecto strages Parisienses fœderatos ingenti mœrore compleuit, vt & eosdem singulari voluptate affecit Alençonii in Aulercis deditio Meduano per Ratium traditi, qua in vrbe hugonoticam sectam profitebantur complure

Alia fœderatorum clades.

Sauosii vulnerati constantia.

Fœderati Alençonio potiuntur.

Sic alternante victoria ludo nunc in hanc, nunc in aliam deflectebat partem, regiis iuxta ac fœderatis adblandiens, nunc vtrisque simul, nunc triumphatrices palmas, nunc ferales lauros obiectans.

Rex Pictauio Turones reuersus à Nauarro inuisitur, vbi de obsidenda Lutetia Parisiorum postremò deliberatum est, dumque eò copias promouerent, Gergolii oppugnationem aggrediuntur, quod oppidum Ligeri impositum Aurelianensibus pereommodum est, cùm paucis inde milliaribus distet. Loco præerat Iallangius qui vana spe auxilii mox adfuturi sustentatus, ideoque Regi resistere ausus, post captum direptumque oppidum capite luit. Pitiuerium insuper vi ab Regiis captum, Pons Esiæ redditus, alia denique aut vi, aut deditione capta sunt oppida. Atque hæc præmissa principi Galliarum expugnandæ ciuitati præludia, vt quæ rebellionis natalis vrbs à multis dicebatur, eidem occidenti tumulum daret; huius autem in potestatem redigendæ spes fuit maxima ex quo certior factus Rex est de Nicolai Harlæi Sancii aduentu cum auxiliaribus copiis, quas in Heluetia, Germaniaque summo studio collectas contra fœderatos aduexerat. Ferunt in Regio tum exercitu dena Heluetiorum millia, bina Germanorum peditum (Lansquenetos appellant) mille quingentos equites siue Reitros adnumeratos. Regia iuxta sancti Clodoaldi municipium collocata sunt castra. Trepidabant interea Parisienses, cùm prope aduenraret Rex triginta quinque peditum, equitum verò quinis millibus fretus, Meduanus in vrbem regressus nutantium confirmabat animos à iusta Regis ira faméque iure metuentium, obseptis quippe rei cibariæ viis omnibus, nihil propius erat, quàm vt læsi principis iracundiam experiretur ingens hæc ciuitas, clementiam tamen offerebat, optatamque diu pacem, quam cùm impigrè accuraret, pacemque bello quæreret, regia Principis Optimi intercepta spes est, momentoque collapsa.

Gergolium à regiis capitur.

Iallangius Supplicio affectus.

Alia capiuntur oppida.

Heluetiçis & Germanicis copiis auctus Regis exercitus.

Regia castra ad S. Clodoaldum.

Trepidant Parisienses.

Cassæ Regis Spes.

Horribile sanè tetrúque facinus vix hîc inserere sustinet calamus, quod ad sanciendam Regum securitatem, retinendumque sacri Ordinis decus æternis contumulandum tenebris videretur, tum ne qua natio Galliam nostram, ac verecundos olim Galliæ mores exsibilet, quorum candorem atrox adeò scelus contaminauit, vt nullo vnquam tempore deleri possit hæc macula. Vt nunquam in Principes peccatur impunè, sic perennat peccantium culpa, & opprobrium, præsertim si parricidales manus in Reges immiserint, quod scelus homo nequissimus cænobitici claustri vomica & retrimentum est ausus. Is est Iacobus Clemens, cui blandum nomen inerat cum crudeli manu barbaraque sæuitia, ex omni memoria expungendus homuncio, reus

quippe cædis Henrico Valesio Regi per simulationem illatæ; ãt cùm tacitum hunc minime prætermiserint, qui ante me scripsere historici, patiar ego postremas libri huius paginas ferocissimi sicarii mentione funestari. Erat is regicida Sorbonâ Senonum vico oriundus, literarum planè rudis, obtusiorisque ad eas perdiscendas ingenij, 23. natus annos, ad immane autem hoc nefas aut importunis concionatorum aduersus Regem debacchantium clamoribus, aut priuatis nonnullorum hortamentis impulsus, aut atra quadam bile correptus, suique impotens, ad S. Clodoaldi oppidum, vbi tum Rex erat, perrexit, literas & arcana quædam Regi significanda habere se dixit. Postridie regium in conclaue introductus propiùsque accedere iussus, Regem legendis literis quas in manus dederat, intentum adoritur, ac promptum è manica cultrum in imum eius ventrem immittit, quem Rex eductum è lethali vulnere in percussorem supra oculum læuum retorquet addita hac impij facinoris exprobatione. *Homo nequam, in quo te offenderam, vt me sic læderes.* Accurrunt qui tum aderant, arreptumque Sicarium superante irâ multis impactis vulneribus enecant, ac quaternis in diuersa tendentibus equis discerptum, vstulatumque in proximum profluentem coniiciunt.

Vulneratur Rex.

Rex inspecto à chirurgis vulnere adesse animo iussus est, adblandiebatur siquidem spes valetudinis recuperandæ non leuis, verùm aduesperascente die, acutis febris correptus ardoribus, dum collaberentur sensim vires, Ecclesiasticis ritè procuratus sacramentis mortalitatem exuit iis pietatis editis documentis, quæ innumera superstes vbique defixerat. Tum Christiani, Francicoque Rege digni conatus in ægro non sine aulicorum admiratione conspecti, dum à conscientiæ suæ moderatoribus admonitus num iis à quibus læsus fuerat veteres condonaret iniurias, eas se libentissimè remittere dixit, rogatus deinde num parricidii autoribus volens lubensque ignosceret, Deo (inquit) supplico vt iis omnibus, qui in necem meam conspirarunt non seueriùs faciat, quàm mihimetipsi factum optarem, secundum hæc ob it, obdormiuitque in Domino Rex cum Diuo Martyre Stephano, quem imitatus erat in obitu pariter coronandus. Atque hinc intellectum est, quam purus horum scelerum Rex fuerit, quæ in eum falso congerebantur, quàm alienus à tutandorum hæreticorum studio, quorum errores ad obitum vsque hostilibus prosequutus est odiis, Nauarrum nunquam aggregaturus sibi, nisi eius viribus opus habuisset, reiecturus deinde, nisi Catholicorum in castra rediret, quod postremum ei mandatum dedit, & affirmatè tanquam ex oraculo pronunciauit, pacatè nunquam Gallico potiturum.

Morientis pietas.

Necis autoribus ignoscit.

Alienus semper a sectariis fuit.

potiturum hunc regno, nisi Catholicã Apostolicam Romãnam religionẽ eiuratis Caluini dogmatis Sanctè percoleret, expeditã hanc esse non terreni tantùm, sed & cœlestis consequendi regni tutissimãque viam, eiusdem Ecclesiæ præsidiis in periculoso mortis agone communitum se, lætanter admodum ex hoc corporis ergastulo demigrare, immortalibus, vti sperare iubebatur voluptatibus perfruiturum. Hæc identidem presagã voce Nauarro inculcabat, quæ, si Euangelicis vti verbis fas est, non poterat portare modo, intima nondum diuini spiritus luce perfusus, cuius deinde radiis collustratus Clodoueus alter incendit quod adorauerat, quodque incenderat, adorauit.

Pia eiusdem ad Nauarrum monita.

Fuit autem Henricus III. accerrimus Iustitiæ vindex, singulari prudentia, facundiâ pari, aut maiori conspicuus; huius, dum loqueretur, in ore cunctæ renidebant gratiæ, quæ in eloquentissimis olim sparsæ Cæsaribus resederunt; accedebat comitas molle gratumque maiestatis è vultu toto promicantis temperamentum, quas animi ingeniique dotes si labes obtriuerint aliquæ, malim id Henrico Valesio nunquam vltra hominem se professo, quàm Regi optimo, maximoque ascribere. Homo enim, vt ab Romanæ facundiæ genio assertum est, cùm omni ex parte perfectus non sit, sed quædam particula perfecti, quotus quisque est, qui ad perfectum semper, & indesinenter collineet; aut si collimet, semper attingat, aut si attigerit, mordicus hæreat, maximè cùm perdifficilis sit in perfecto mora, & circumfluentes vndique difficultates heroum etiam ad decus illud enitentium constantiam labefactent. Scio innatam magno huic Regi pietatem à nonnullis scriptoribus carpi, quasi augustissimis Christianæ religionis mysteriis interesse frequentiùs, pia supplicantium, aut pænitentium agmina comitari, dutioremque cum iis vitæ rationem profiteri regiam maiestatem deprimat, nimiumque deuenustet. Non dedecebat sanè Regem hæc pietas, quæ in Dauide Regum maximo nunquam formosa non fuit; nec turpi diffluebat otio Vates ille sanctissimus, cùm à bellicis interdum curis receptui caneret, vt vni se Deo, quem medullitus amabat arctiùs iungeret, consecraretque, aut dum eundem iteratis citharæ modulis demereri, aut lacrymis, amoris indicibus emollire satageret, quas parabilem effundebat in cibum. Superest igitur vt Henrico Regi postremùm gratuler, Cælites inter, cum dauide recepto, paremque quod eius semper vestigiis institerit, ad coronam vocato,

Regis Virtutes.

Non dedecet Regẽ pietas.

Porro in describenda regni huius serie longiùs sensim, quam

Autori. propositum.

pene decreueram excurrit calamus, non tamen vltra propositi metam; cùm enim nefarios hæresis conatus ne posteritas ignoret, perfecturum me initio spoponderim, iuuit ad id assequendum internecinum fœderatorum aduersus Regios bellum euoluere, quod hæreseos occasione conflatum est; nam quorsum tot factionum procellæ? tot seditionum excitati sunt turbines? tot funestata stragibus Gallia, tot expilatæ prouinciæ, tot direptæ, incensæque vrbes, hæc omnia calamitosis his temporibus in Gallia exorta portenta, audeo dicere, teterrimi sunt hæreseos partus. Hæc nempe Megæra facem, qua Gallia conflagraret accendit, hæc nobilissimum regnum exitiales in partes Medea distraxit, hæc extinctâ in multis fidei religionisque vetustate fallacibus succis illusit quasi vegetam religioni iuuentam formamque reuectura. Quis tetrum de statu Romanæ religionis labefactando consilum agitasset, nisi reformatæ, informis potiùs nouitatis mucronem exacuisset hæresis, quem in hominum corpora altè demisit, vt mentes ipsas extingueret. Vt contra Regem funestissimis armis fœderati insurgerēt, occasionem dedit hæresis, cuius segniorem quàm tempora paterentur, expugnatorem esse censebant, falsò id quidem, sed tamen culpa quædam hęresis fuit. In eandem conferendum est pestem quòd longè latéque per cunctas regni prouincias ciuile bellum exarserit, ne in gallicum solum irreperet aliquis à Romana religione dissentiens. Atque tot intestinis discordiis, tot excitatis tumultibus, quàm lugendæ Principum aliorumque procerum sequutæ sunt neces? Quod de Gigantibus fabulosus Vates asseruit, eos etiamnum latus in Ætna motare, solumque subinde succutere, id ex parte saltem extra lyram, fabulamque de infinitis immaturo fato iuuenibus stratis affirmare nil vetat è tumulis spirare adhuc si minus corpora, saltem eorum virtutes, dum ambire, dum efflorescere, dum emicare cæptarent, præcoce fato interceptas, eamque hęresis causâ factam vim sibi merito dequerentes. Guisij quales, quantique memorātur fuisse heroes, corporis formâ præcellentes, vigore mentis acerrimi, munificentiâ effusissimi, auitæ religionis propugnatores fortissimi, & tantos tamen, ac ferè supra mortalium conditionem euectos heroas idem hæresis occasione collectus turbo decussit. Quid de immani Henrici III. cæde prædicabo, querar potiùs Principum optimi & religiosissimi Regis, hunc, cuius maturandæ neci ansam attulit hæresis, fleuerunt etiam hæretici, & cum eo antiquam Valesiorum stirpem extinctam, fœderatos enim in arma conciuit hæresis, his autem armis Rex,

Ciuiles discordiæ parricidia & bella occasione hæresis orta.

Guisij quales.

Quales Henricus Rex.

periit; quo nemo pietatem aptiùs cum fortitudine iunxit, nec elegantiùs negotiorum interualla otio sed honesto dispunxit, lentitudinem immeritò criminantur in eo scriptores nonnulli, cùm ei consiliorum nunquam celeritas defuerit; optarit autem sæpius adiutricem manum, nam dum remigare contenderet, adhærebat nonnunquam aduentitia remora, quæ cæptum feliciter cursum inhiberet; exoctam semper ad negotia prudentiam attulit, improsperi non rarò fefellere successus: culpa hæc omnis inopinis casibus ascribenda, non Regi, qui tamen Rex in omnium virtutum exempla genitus miserando fatalique Galliæ fato concidit. *Hic cum Velleio exclamare nihil prohibet, vt imperiorum, sic & Imperatorum, & Regium nunc florere, nunc senescere, nunc interire fortunam.* Humanarum rerum declinatio.

INDICVLVS AVCTORVM, vnde ista desumpsimus.

Auila.
Belcarius.
Bellaforestus.
Bulengerus.
Bombinus.
Bosquetus.
Duplexius.
Florimundus Raym.
Gariellus.
Grapaldus.
Ioannes le Frere.
Mathæus.
Monlucius.
Muretus.
Nicolaus Baylius.
Petauius.
Sacchinus.
Serranus.
Spondanus.
Strada.
Surius.
Thuanus.
Tursellinus.

Variorum diaria, è quibus excerpta sunt non pauca.

INDEX RERVM Memorabilium.

A

C

I

L

M

Augustissimæ Virgini Deiparæ Operis huius Auctor.

Se totum, paruúmque dicat Tibi, VIRGO, volumen,
Qui tuus est, & qui te cupit esse suam.

R



Errata sic corriget Lector, quæ per absentiam Autoris irrepserunt.

PAgina 2. leg. numne 25. Antiste,531. lege ætat. 53. 37 deuitaret,40. delenda additio. 1.66. in,77. Viennensis,106.vnquam,157. quas,163. sacrificiis destituta,167. vtraque,168. distractæ,198. vacamus,212. eo,223. à meridie,230. per,243. exitium,245. fulminandi,284. hominem,298. semestres, 299. fieri, 301.propugnaculis,313.dele se,318.l. cùm perquam difficile,319. constabiliendæ,322.magni, l. quinti,329.mirè, Canonicorum,332. virili,335.extra,361. Aginnensium corrupta,365.sumptus,,leones, 368. assignatæ,372. terrarum,373. perperam,380. partium,388. dele tum,389.Henricique,dele que,392.l. temerè 395. redundantem,397.fæderatorum,Niortium,401.monerent,quę vnumquemq; 402. octogesimus septimus,403. differebant,404. Germanic.Pelleuæo,obstiturum,407. aliquod,408. dele sapiente fortiq; consilio, 413. l. in,414.conantem,palmarum,416. legionum,exedunt,417 onusti erant,420. conciendos,421. hianti,422. Dragam,partitus, 423. formidantur,commilitones,427.eæque,430.bipertitus,Giensis,432. abcessit,435. nobilitate,437. gnauiter animus,441. Ancelinus,natus est die,443. nisi,445. infecta,446. impigrè,destinatas, 447. reliquis,efferati,450. focis,456.non concessa,dele non,l. pensante, quę,458. crebræ, 459.deinceps,omnium,collegium,460. Gallia,461. perelegantem, 462. dissensionum,466. adhuc, 467. sentientibus,468. Regi,interea, 469. monitoris timori obstinatam, 470. Regum, 471.frustra fuit,quare, 476.diuerterat,Règiis,dubiæ, 477 Lanouio, 478. acceptam, 479. Lansquenetos.